

TRINUM PERFECTISSIMUM. SEU TRIA SPIRITUALIA OPUSCULA, ...

Albertus : Magnus santo (santo)




31
3 A
1


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

TRINUM PERFECTISSIMUM.

Seu

Tria Spiritualia Opuſcula, aurea, & incomparabilia, utiliſsima, lectúque digniſſima

B. ALBERTI DOCTORIS MAGNI,



Ex Ordine Prædicatorum, Epiſcopi Ratisbonenſis.

PRIMUM.

De Conditione Creaturæ rationalis, & quæ illi ſunt, ad Deum, ad ſeipſam, aliáſque creaturas agnoſcendas neceſſaria.

SECUNDUM.

Enchiridion de veris, perfectíſque Virtutibus, & Praxi earundem.

TERTIUM.

De adhærendo Deo, omni Chriſtiano homini apprimè neceſſarium.

Lege & Releges.

Editio tertia correctior.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Impenſis Franc. Joſephi Eiſenbarth, Sen. Bibliop.
Anno M. DCC. XXXIII.

PERILLUSTRI, AC GENEROSO
DOMINO DOMINO


JOANNI JACOBO HOLZAPFEL

Ab Herxheim & Kötz,
Sacræ Cæſareæ, & Regiæ
Catholicæ Majeſtatis

CAROLI VI

Conſiliario actuali.
Inclytæ Reipublicæ Augu-
ſtanæ Duûm-Viro Præ-
fecto & Prætori
Imperiali.





DEDICATIO.

SI Magnos Magna decent, quidni & Tibi Perillustri & gratioso Domino hujatis Civitatis Imperialis Augustanæ Duûm-Viro, hoc [esto, mole parvum] virtute, & contento

Ma-

Magnum Opusculum, imò & ab ipsómet Auctore Suo B. ALBERTO MAGNO celeberrimum, debebitur summòpere? Cùm ergò juxtà Sapientiæ divinæ testimonium Flumina, unde exeunt, redeant, optimo Jure præsens Scientiæ infusæ Rivulus ex Tuo secretiori Librorum Thesauro nobis communicatus, & veluti quotidianum Spirituale Vade=Mecum commendatum ad tuum gratiosum sinum rediturum fas erat; sed non sine

ſine fœnore ſpiritali, tam novæ & tertiæ Editionis, quàm multiplicis animarum fructificationis: auſim enim omnibus hoc incomparabile Opuſculum benè ruminantibus promittere illud Sapient. 7. v. 14. Infinitus enim eſt Theſaurus hominibus, quô qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Patêre ergò, Perilluſtris, ac gratioſe Domine Domine Mœcenas, ut Tibi hoc jam antè

tuum

tuum, tam acceptum offeramus Munus, debitô tot titulis noſtræ gratitudinis, quô ſe ſe continuando Amori tuo, Favori, & Patrocinio devinciat, & commendet humillimè, & impenſiſſimè

12. Martii 1733.

Conventus Auguſtanus
Frr: Prædicatorum.

Approbatio Ordinarii.

PRæſens Opuſculum, Trinum Perfectiſſimum Jure aureum & incomparabile intitulatum, utpotè magis cœleſti & infusâ, quàm humanâ ſcientiâ elucubratum, cùm jam inter præclara B. Authoris Alberti Magni approbata opera reperiatur, nullâ novâ Cenſurâ indiget, ſed potiùs ob tertiam Editionem Recommendatione, ut omnium manibus, tanquam Manuale teratur; auſim promittere aſſiduis ejusdem lectoribus illud magnificum Encomium. Sapient. 7. v. 14. *Infinitus enim Theſaurus eſt hominibus, quô qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ DEI.*

Imprimatur H. S.

Ex Vicariatu Auguſtæ die 3. Martii 1733.
Gerardus Guilielmus à Dolberg
Vicarius Generalis.

Franciſcus Joſephus à Handl,
SS. Theol. Licent. Rev. &
Seren. Princip. & Epiſcopi
Auguſt. Conſil. Eccl. Major
Pœnit. & Lib. Cenſor, ac
Inſig. Eccl. ad S. Maurit.
Can. Parochus.



DE ALBERTI MAGNI VITA,

Et præsente ejus opere.



LBERTUS MAGNUS; hoc enim cognomentum ob multijugam eruditionem raramque sapientiam apud omnes invenit, è primis sui sæculi Theologis ac Philosophis extitit, neque solùm admirabilis doctrinæ laude, sed & singulari vitæ Sanctimonia longè latéque excelluit. Ac natione quidem Germanus fuit, provinciâ Suevus, patriâ Lauingensis, professione vitæ Dominicanus, & dignitate demùm

 non


non modò Clariss. Theologus, sed & Antistes Ratisbonensis eximius sub Rudulpho Imperatore. Cæterùm relicto Episcopatu, ad vitam rediit monasticam, ut sibi sacrísque studiis & DEO imprimìs toto vacaret pectore. Qua in re cùm aliorum plurium verè piorum Præsulum, tum maximi apud Græcos Theologi Gregorii Nazianzeni exemplum voluit æmulari. Primùm verò Parisiis, ac deinde Coloniæ, ubi sepulchrum ejus adhuc visitur, cum summa sui nominis celebritate Theologicam Cathedram tenuit, & inter alios percelebrem illum D. THOMAM Aquinatem habuit auditorem. Porrò, cùm senex esset octogenarius, vitam Admodùm Religiosam, morte sancto viro digna conclusit, multáque præstantis doctrinæ suæ monumenta reliquit, post quem non surrexit vir similis, sic enim Trithemius palàm prædicat, qui in omnibus litteris, scientiis & rebus tam doctus, eruditus & expertus esset. Quid multa? fuit ille & Patriæ & Ordinis decus insigne, nulli inter Germanos vel Theologo, vel Philosopho secundus.

QUOD ad sequens hujus Auctoris opusculum attinet, sive argumenti præstantiam,


tiam, ſive methodum & felicitatem in tractatione ſervatam conſideres, non poteſt illud ſapienti ac pio lectori non eſſe gratum atquè frugiferum. Quid enim virtute ipſa honeſtius, quid nobilius, pretioſius, ſalutarius, quid ad benè beatéque vivendum efficacius, & homini tota vita convenientius queat excogitari? Beatus qui virtutes colit, ut ſanctiſſimi Diaconi Ephræm verbis utamur, & qui tanquam ager fertilis uberes vitæ fructus fert in Domino. Feret autem, qui hunc libellum amaverit, & crebrò ſumpſerit in manus, ita ut ſingulis ſaltem diebus, vel hebdomadis in eo virtutem unam conſideret, ſimúlque exercitandam ſibi proponat ac deligat. Ut enim veteres dictitabant: Virtus in actione conſiſtit, & ſi Areopagitæ credimus, praxis potiſſima pars eſt Chriſtianismi.

FATENDUM eſt interim, ſtyli elegantiam & ſermonis nitorem in hoc libello negligi, quòd Auctor, ſicut in ſcriptis aliis, ita hîc etiam pro ſui ſæculi more non tam verborum, quàm rerum rationem haberet. Paulum Apoſtolum imitatus, qui de ſeipſo dixit: Imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ. Præterea, quàm hoc opus relegere-

geretur, & cum aliis exemplaribus conferreretur, mirum, quanta codicum varietas, quàm crebra verborum transpositio, qualisque perturbatio apparuerit sententiarum, quæ passim & è sacris litteris, & ex Patrum testimoniis producuntur. Neque rarò se offerebant verba duriora, imò tam obscura loca, quæ vix intelligi possent, hoc præsertim sæculo. Quare non potuimus non aliquem subire laborem, ut quæ in hoc libello multos poterant aut impedire aut offendere, paulò commodiori dictione alicubi explicarentur, sed retentâ ubique Auctoris sententiâ. Placuit autem veteribus hunc libellum nunquam satis laudatum specioso titulo cohonestare, quoniam Paradisum animæ illum appellârunt, rati, quod res est, in eo, velut amænissimo prato, lectori ita esse versandum, ut indè & odoriferos piæ doctrinæ flores & salutares animi fructus stantium virtutum Insignia depromeret.



De



De

Hominis Natura, & quæ illi ſint ad DEUM, ſeipſum, & alias creaturas cognoſcendas neceſſaria.

PROLOGUS.


Quàm ſit neceſſarium, noſſe, quæ in hoc ſcribuntur opuſculo.

HUc quæſo Lector, huc oculos animumque converte: de rebus enim magnis loquuturus ſum. Hìc doceberis, quam debeas de te noſſe ſcientiam. Hìc diſces, quicunque homo rationalis es, quid ipſe ſis? quid tibi? quid DEO? quid proximo debeas? Hìc diſces tuum laudare opificem, diligere, & honorare, metuere, revereri; teipſum autem deſpicere, & proprium amorem, laudem, favorémque acriter aſpernari. Hìc diſces omnem de DEO, & de Homine veritatem, & quæ tibi neceſſaria ſunt ad omnem perfectionem, ut apprehendas veram vitam. Hìc Hìc diſces, quicquid in ſacra Scriptura diffusè præcipitur, & diſcuſſo ignorantiæ nubilo, luce clariùs cuncta pateſcent. Hìc diſces omnes, quæ de DEO, déque Homine formari poterunt,

runt, dissolvere quæstiones. Hîc agnosces omnes errores, sectas, & opiniones Philosophorum, Paganorum, Hæreticorum: & quicquid sanæ fidei contrarium est, facilè deprehendes. Hîc tibi, quicquid sparsim in sacris doctorum libris disputatum est, collectum oppanditur. Hîc disces, à quo, & propter quid factus sis? quod bonum, quodve sit malum tuum? quid obligaris, cui, & propter quid obligatus sis? Hîc disces agnoscere ruinam, corruptionem, cladem, miseriam & damnationem generis humani, & unde hæc mala omnia pullularint? Hîc disces, quid homo in prima conditione fuerit, unde ceciderit, quo iverit, in quos latrones inciderit, quas plagas susceperit, & quàm longè à prima perfectione exulârit, & quibus tandem remediis, & cujus miseratione reparatus sit? Hîc disces omnem humilitatem, obedientiam, benignitatem, justitiam, charitatem, veritatem. Hîc aspernaberis omnem arrogantiam, superbiam, invidiam, & quicquid virtutis est & gratiæ consequêris. Hæc tibi magìs cognitu sunt necessaria, quàm si nosses siderum cursus, herbarum vires, & quicquid aut Poëta aut Rhetor instruit, aut Philosophus. Vana est enim omnis industria, quæ non innititur scientiæ DEI. Hæc scientia argumenta affert solidissima, quibus potest contradicere nemo: arguit enim per ea, quæ sunt cunctis certissima, ut sunt homo, cæteræque creaturæ, atque ideò hæc scientia non alios testes exigit, præter hominem, qui

hæc

hæc norit. Nec te ſcandalizet rogo, quòd à rebus infimis, & humilibus exordium ſumit, hæc enim humilia ad ſumma te faſtigia ſublevabunt. Quantò nempe in imo fœderis fundamentum, tantò celſiora culmina poteris ſublimare. Nam principia hujus artis res ſunt, quæ & palpari, & cerni poſſunt, quæ quantò ſunt viliora, tantò ſunt firmiora ad id, quod probare contendimus. Scripturas ſacras facilè quis impia interpretatione ſubruere poteſt: ſed nemo eſt tam execrandi dogmatis hæreticus, qui naturæ librum falſificare poſſit, in quo manifeſtis obtutibus omnia propolantur. Pronus igitur, mi ſuaviſſime Lector, iſtuc acceſſeris animi tui lucra maxima reportaturus. Nunquàm te liber iſte dimittat, donec in gemitum lachrymásque ſolvaris, & ſcelerum tuorum te pœniteat. Quia ſi tam dura præcordia poſſederis, ut ingemiſcere ac dolere non poſſis, jam acriter pertimeſce; quia cor durum malè habebit in noviſſimis.



Isagoge, seu introductio in hunc Librum.

RÆMUNDUS.

UNde nunc venis, mi Dominice? & quorsum sub hoc diluculo maturas iter? DOMINICUS. Huc ad te propero, te quæro, te desidero, mi Ræmunde suavissime. RÆM. Gratissimus mihi hospes advenisti: neque enim inter mortales quispiam est, quem jucundiùs exceperim. Sed quæso te, quid ante ortum solis ociùs surrexisti? rem certè grandem aliquam meditaris. DOM. Hesterna sero, cùm essem in Gymnasio Tolozano, post varias quæstiones explicitas, audivi illic à narrantibus, iis diebus, quibus pro communi utilitate absens fui, mirabilem te omnibus coram disputationem habuisse, quâ sanctiorem, utilioremve nemo se unquam asserit audiisse, tantæque fuisse virtutis, ut non illum ullatenus arbitrentur hominem, neque spem habere salutis, qui eâ non fuerit à vitiis ad justitiam permutatus. RÆM. Multùm mihi homines tribuunt, sed ipsi viderint, qua id faciant ratione, ego fructum ingenii mei domino dicavi. DOMINICUS. Justissimè id facis. Sed obsecro te. (hâc enim causâ tam manè in tuum hunc agrum festinus descendi,) ut mihi, quæ illic à te disputata sunt, scriptis coram exhibeas. RÆM. Scripta est fateor disputatio illa, sed heî mi Dominice! Aurelius Sulpitius amicus noster jam fermè mensis est, librum illum, ut sibi de-

scri-

ſcriberet, aſportavit. Quid igitur tibi nunc faciam? DOM. Nuncquid tu me vacuum patieris abire? nunquid ideò ſine doctrina es, aut induſtriam omnem perdidiſti, quia liber ille à te dimiſſus eſt? RÆM. Sed quid tibi vis faciam? DOM. Certè ut videam, aperi mihi lumen ingenii tui, & illam Sapientiam, quâ librum illum DEI munere condidiſti, rurſum quæſo mihi clemens aperias. Nihil tibi obfuerit, imò proderit multùm, ſi rem tam ſalutiferam etiam ſepties reſumpſeris. Præſtare etiam debes hoc amico tuo, quem tua dignatione ſemper ex animo charum habuiſti, & in petitione tam neceſſaria non fatigari. RÆM. En! pareo libens votis tuis, & trium dierum diſputationi me promptum exhibeo. Dum igitur materiam à fundamentis exordior, tu diligenter aſpicito, & ſapienter interrogato. DOM. Faciam quod hortaris. RÆM. Animus humanus, circa inquiſitionem veritatis occupatus, nunquam antè quieſcit, donec ad ultimum venerit certitudinis gradum. Virtus autem certitudinis ex firmitate teſtimoniorum, ſeu teſtium geneneratur, qui quantò fuerint magis manifeſti, lucidi, propinqui, tantò certiorem fidem, credulitatémque conſtituunt. Verùm, quia nulla res eſt magis nota, propinqua, intrinſeca alteri, quàm ipſa ſibi, ideò quicquid per propriam ipſius rei naturam oſtendimus, id ſolidiſſimum, id veriſſimum eſt. Et idcircò omne, quod de homine monſtraturi nunc ſumus, per ipſius hominis naturam, maximam dictis noſtris fidem

facient. Sed quoniam homo longissimè exiit à semetipso, nec jam habitat in nativa domo, ac per hoc nec sui meminit, nec se cognoscit, nec quàm sit nobilis & ingenua creatura intelligit, ideò omninò necessarium est, ut per res inferiores, quæ extrà cognoscit, ad sui cognitionem revocetur. Ut ergo ad se possit ascendere, scala trium graduum opus habet; quos dum scandere, hoc est agnoscere incipit, incipit & agnoscere semetipsum, id enim summopère est illi necessarium. Hujus verò scalæ gradus adeò solidi sunt, & robusti, ut scandens titubare non possit, aut cadere. Volens igitur homo ad seipsum introire, primò consideret rerum creatarum ordinem inter se. Secundò comparet hominem ad cæteras res penès convenientiam & differentiam earundem. Tertiò per hanc comparationem ascendat homo ad seipsum, & à seipso ad omnium Conditorem DEUM. Tu igitur, mi Dominice, si cupis in his, quæ dicturus sum, proficere, hanc scalam diligenter aspicito. DOM. En! præparo tibi cordis oculos, tu mihi hanc scalam ocius expone.

Scala naturæ, per quam homo scandit ad semetipsum.

CAPUT I.

RÆMUNDUS.

DIsputationis igitur nostræ hoc sit exordium. Entium quædam sunt, quæ habent esse tantùm; sunt quæ habent esse, & Vivere: sunt

ſunt quæ habent Eſſe, Vivere, & Sentire; Sunt poſtremò; quæ habent Eſſè, Vivere, Sentire, & Intelligere. Hæc eſt ſcala naturæ, quæ omne in ſe Ens manifeſtè complectitur. DOM. Video ſcalam iſtam, ſed quorsùm per eam me jubes aſcendere? RÆM. Dicam tibi, ſed expecta parùmper, donec hos ſcalæ gradus quaternos in ſuas partes brevi ſermone diſtinxero. DOMIN. En ſiſto pedem, tu verò progredere. RÆM. Earum rerum, quæ habent eſſe tantùm, multiformis differentia eſt. Nam etſi in hoc uno conveniant, quòd habeant eſſe, recipiunt tamen hoc eſſe, iſta quidem clarius, iſta verò obſcurius. Inter elementa enim aqua dignior eſt terrâ, & ignis ſupra aquam & aërem multò præclarior. Iſte gradus complectitur cuncta, quæ generantur in viſceribus terræ, ut ſunt mineralia, & metalla omnia, argentum vivum, plumbum, ferrum, cuprum, ſtannum, argentum & aurum. Quid autem horum ſit altero præſtantius; facilè eſt advertere. In hoc gradu eſt Laſurium, quod aurum pretio ſuperat, ſulphur, ſalpetra, ſalgemma, & cuncti lapides pretioſi, ut ſunt carbunculus, hyacinthus, ſmaragdus, ametiſtus, topaſius, corallus. Hi omnes magni ſunt pretii, magnæ pulchritudinis, & virtutis. In hoc prætereà gradu ſunt omnes cœli, omnia corpora cœleſtia, omnes ſphæræ, ſidera, & ſeptena planetarum lumina. Artificialia quoque ad iſtum referuntur gradum, quæ etſi inter ſe de nobilitate compugnent, in hoc tamen cuncta conveniunt, quòd eſſe tantùm ha-

habent, & non Vivere. DOM. Cùm voluptate te capio disputantem, verùm ad secundum gradum proficiscere. RÆM. In secundo gradu sunt illa omnia, quæ solùm habent esse, & vivere, cujusmodi sunt omnes plantæ, arbores & herbæ. Hæ nempè vitam suam oculis nostris insinuant, dum videmus eas sursum, deorsum, antè & retrò, ad dexteram sinistrámque moveri. Attrahunt è terra succum, unde se nutriunt, alimentum, crescunt, augmentantur, & flores, frondes, fructus seminaque producunt. Habent enim intra se virtutem quandam, quâ facilè ista perficiant. Sub isto gradu innumerabiles ponuntur arborum & herbarum species, quarum inter se fructus, sapores, odores, virtutes, colorésque longissimè separantur. Omnibus una vivendi ratio: sed nobilitas dignitásque non una. DOM. Si fuerit quispiam, qui dignetur advertere, facilè quæ dicis aspiciet. RÆM. Porrò in tertio gradu animantia cuncta recipimus, quibus esse, & vivere, & sentire indultum est. Ad sensum enim Visus requiritur, & Auditus, Gustus, Odoratus & Tactus. Ad istum gradum referuntur cuncta, quæ moventur in terris, vel in aquis, vel quæ in liquido aëre pervolitant. Considera nunc rogo, quanta sit inter qnadrupedes, pisces, volucrésque distantia? Nam sicut genus à genere, ita & à speciebus species separantur. In animalibus autem tres gradus invenies. Sunt enim quædam, quæ habent sensum tactûs; sed neque auditum habent

bent; neque memoriam, ut sunt conchylia & minuta animalia, arborum & herbarum affixa radicibsu, & iste primus est atque infimus gradus. Hæc animalia, quia memoriam non habent, ideò nullam habent prudentiam, nec se de loco ad locum possunt promovere. Quædam verò sensum habent tactûs, & memoriam, sed auditu privantur, ut sunt formicæ, & hujusce generis animantia, quibus memoria est, & providentia & motus localis; congregant enim in cibum frumentorum grana, ne hyemis tempore fame pereant &c. Et hæc animalia sunt primis nobiliora, cûm illa sint plantis propinquissima. Quædam prætereà sunt, quæ habent sensum tactûs, memoriam, & auditum, ut perfecta quæque animalia, cujusmodi est canis, bos, leo, capra &c. Et iste tertius animalium gradus, qui ideò est duobus primis nobilior, quia à plantis est multò distantior. Nunc si libet hos, quos tibi naturæ gradus constitui, ociùs ascende, & in quod sublime te culmen promoverim facilè deprehendes. DOM. Ecce, ut jussisti, conscendi, & quartum hujus scalæ gradum, quem tu nondum prosequutus es, celeri calco pede. Nam in quarto gradu meipsum hoc est hominem constituo, cui præter vivere & sentire, subest etiam intelligere, discernere, velle, & nolle liberè; solo enim libero arbitrio ascendit homo supra cætera animantia, qui potest judicare, ratiocinari, & susceptibilis fieri experientiæ, artis, scientiæ, atque doctrinæ. Hoc modo com-

pleta

pleta cum suis gradibus naturæ scala consititur. RÆM. Rectè tu quidem. Nunc verò in summum hujus scalæ cacumen constitutus, oculos quæso undique circumfer, & intentissimo corde considera, quam habeat homo cum rebus se inferioribus convenientiam, & quam teneat discrepantiam. DOM. En! facio quod hortaris: tu tamen, quò respiciendum, ostendito.

Quomodo homini cum rebus inferioribus conveniat.

CAPUT II.

RÆMUNDUS.

SI vigilanti oculo consideres, quam convenientiam habet homo cum rebus trium inferiorum graduum, naturam, & dignitatem hominis perspicuè cognosces, & supra hominem DEUM hominis conditorem intelliges, videbisque Dominum innixum scalæ, & ad ipsum poteris festinus ascendere. Dico ergò breviter, homini convenire cum rebus inferiorum graduum; quia habet esse cum elementis, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, complectitur enim in se homo omnes perfectiones inferiorum entium: Nam & vivit, & nutritur, & conservatur ab elementit. Convenit etiam ei cum rebus secundi gradûs, nam sicut arbores & herbæ vivunt, nutriuntur, crescunt, & gignunt, sic & homo. Pari modo cum rebus tertii gradus, cum quibus & sentit, videt, audit, sapit, odoratur, & tangit. DOM. Facile hanc ego convenientiam animadverto: hoc

hoc tamen ad magnam redundat hominis dignitatem, quòd eas perfectiones, quas res habent inferiores divisim, homo possidet conjunctim. Omnia enim in se continet, quæ in rerum natura bona sunt, nec aliquid potest sibi perfectionis adjungi. Sed rogo te, ut ex hac rerum omnium convenientia DEUM mihi ad oculum demonstres. RÆM. Facilè (ut credo) mihi concedis, res horum quatuor graduum suas essentias, suas etiam perfectiones à semetipsis nullatenùs possidere. DOMIN. Admitto equidem; nullæ etenim res seipsas aut producere possunt, aut perfectionis aliquid tribuere. RÆM. Fatearis ergò necesse est, unum esse supremum opificem, qui & hominem ipsum, & cuncta, quæ sub homine sunt, potenti manu constituit. Omnia enim ab ipso producta, omnia commensurata & limitata sunt, omnia in numero, pondere & mensura confecta. Unus conditor princeps, qui producta omnia ordinavit, unus, qui unumquodque in suo gradu constituit, unus, qui hos gradus stabilivit, & certis vallavit limitibus. Hic talis ac tantus conditor DEUS est, sublimis, potens, terribilis, & non æstimabitur alius ad illum. Si me juncto pede secutus es, DEUM suprà hominem invenisti, ad DEUM per hos gradus ascendisti, & quomodo huic scalæ innixus sit, luce clarius aspexisti. DOM. Aspexi fateor, & tuæ doctissimæ demonstrationi gratias habeo. RÆM. Est tamen & aliud quiddam, quod ex hac scala poteris intueri. DOM. Quodnam illud quæso? RÆM. Rerum

rum omnium unum tantùm esse conditorem, & gubernatorem DEUM, quod quidem ex his, quæ jam diximus, facilè demonstratur. Licet enim in his quatuor gradibus sint plures, & innumerabiles res inter se admodùm diversæ non est tamen nisi unus ordo inter eas, & ad unum aliquid referuntur. Ascendunt enim de gradu ad gradum, & ad id, quod dignius, cuncta contendunt. Videmus enim, quoniam elementa plantas subintrant, & nutriunt, & fructiferas reddunt, fructus verò, fruges & herbæ intrant animalia, & ea nutriunt, Carnes animalium hominem cibant, & ad incrementa perducunt. Corpora quoque cœlestia, ut sol & luna, continuè influunt in ista inferiora, & ministrant eis vigorem, & calorem & lumen. Quia ergò unus est omnium ordo, unus est etiam omnium ordinator, unus est artifex, qui tam diversa uno ordine sociavit. DOM. Libens assentior: Nam & elementorum contrariæ qualitates nunquam possent uno ordine ad invicem pacificè sociari, nisi esset unus solus Moderator, qui omnia ordinaret. Video præterea innumerabiles rerum naturas ad unam solam tendere naturam specificam hominis, ut eam in esse conservent. Currunt ergò omnia ad unitatem, & bonitatem, ad fortitudinem, & conservationem. Ex his colligo, humanam naturam tendere debere ad unam solam naturam, sibi superiorem, & dominantem, cui debet ministrare, colere, inhærere. Una ergò & sola est suprà hominem natura, quam DEUM & domina-

minatorem & rerum principem nominamus. RÆM. Probè me intelligis. Sed hunc rerum omnium principem DEUM, non unum esse specie, sed unum numero, necesse est, ut agnoveris. DOM. Vehementer assentior. Decet enim eam naturam, quæ suprà hominem est, non solùm unam esse, imò magis una quàm sit humana natura. Sed in humana natura reperitur unitas specifica: ergò divina natura est individuo una, aliter non esset magìs una, quàm sit hùmana natura. Restat igitur hoc inferendum, Quòd sicut omnes naturæ trium graduum inferiorum cum humanâ naturâ colligantur, ita humana natura (quæ est una sola specie) colligata est cuidam superiori naturæ, quæ tota est una numero. Et sic mundus totus in unum collectus finitur & consummatur in summa ac simplici unitate, quà nulla potest major æstimari. Non est igitur nisi unus solus DEUS & in simplici individuo, unum numero. RÆM. Luculenta assertio tua; efficacior tamen erit, si affirmes, non solùm unum DEUM esse. Sed & impossibile esse, plures esse DEOS. Quod tali ostendit ratione? Si enim essent plures, aut essent inter se contrarii aut amici? Si contrarii, nulla ratione rerum ordo ad unitatem congrueret, nec diu pacificus perduraret; si verò inter se fuerint amici, aut sunt sibi mutuò necessarii, aut unus sufficit sibi? Si dixeris eos sibi necessarios, ut alterius ope alter indigeat, tunc per se quisque est impotens, imbecillis, inscius, ignarus, & sic nulla poterit esse rerum creatio, nec

moderatio, ſed nec conſervatio quidem. Si verò unus per omnia ſibi ſufficit, ſuperfluum eſt alterum ponere. Sed nec rerum natura id ullatenùs admittit. Non enim opus eſt gemino ſole, neque ut homo duo capita habeat, cùm unum ſibi ſufficiat. DOM. Concipio rationem. RÆM. Concipias etiam neceſſe eſt, hunc DEUM actu eſſe infinitum. Si enim humana natura eſt infinita poſſibilitate, quia quantùm ad ſe attinet, multiplicabilis eſt in infinitum: mare enim exiſtente & fœminâ, nihil obſtat quin tertius generetur. Ignis quoque ſi apponas combuſtibile, creſcere poteſt in infinitum. Si ergò hæc ſunt poſſibilitate infinita, ſequitur quòd natura divina (quæ facta non eſt, & eſt omnium maxima) erit actu infinita: quia inter actum & potentiam nullum eſt dare medium. Et quia natura non poteſt multiplicari per individua, relinquitur, quòd in uno individuo eſt actu penitùs infinita. DOM. Mirabile ex hac noſtra diſputatione de DEO lumen concipio. RÆM. Majora videbis, cùm tibi cœpero demonſtrare ex his quatuor præfatis gradibus DEUM habere eſſe, vivere, ſentire, & intelligere. DOM. Oro ut mihi ociùs iſta demonſtres.

DEUS quomodo habeat eſſe, vivere, ſentire & intelligere.

CAPUT III.

RÆMUNDUS.

CUm certiſſima ratione conſtet, DEUM cuncta creâſſe, & eſſe, vivere, ſentire, & in-

intelligere humanæ contulisse naturæ, qui ergò hæc aliis beneficia manu concessit, multò magis in semetipso & vivit,& sentit & intelligit. Non enim hæc aliis conferre posset, si in se vacuus esset. Et hæc quidem in genere raptim dicta sint: nunc specialiùs, quomodò DEUS esse habeat, insinuemus. Esse DEI nec habet exordium à nihilo, nec ab alio, nec ab ipsomet DEO. DOM. Tria hæc quæ nunc enumerâsti, da operam, rogo, ut expressiùs manifestes. RÆM. Dixi DEUM non accepisse esse suum à nihilo, nec ab alio quoquam, nec à seipso. Non à nihilo, quia non ens nihil producit, nihil constituit. Non etiam ab alio quolibet superiore, vel priore, quia tunc verè DEUS creaturà esset, non creator, factura non factor. Non etiam habet suum esse à semetipso, ita ut sibiipsi tribuerit esse quod habet, quia tunc aliquando esse, non habuisset, quod absurdum est dicere. Non refragaris puto. DOM. Credo vera esse quæ dicis. RÆM. Considera nunc præclaram esse DEI conditionem. Unde quia DEUS esse suum recepit ab aliquo, nec à seipso ideò non recipit multitudinem, conjunctionem, compositionem, diversitatem, sed est simplicissimum, purissimum, indivisibile, & summè unum. DEUS prætereà est, suammet esse, & totum esse, à quo non esse longissimè separatur. Omnia nempe quæ præter DEUM habent esse, habent non esse sibi conjunctum: DEUS verò in infinitum à se abigit non esse, & ante se, & post se, & ideò DEUS est ens inter-

minatum, infinitum, æternum, ſine principio, ſine fine. Et quia eſſe DEI excludit à ſe omne non eſſe, idcircò continet in ſe quicquid pertinet ad eſſe. Atque ideò infinitos gradus & rationes & modos eſſendi intra ſe complectitur. Sicuti ſi eſſet aliquis numerus actu infinitus, hæc infinitas numerorum ſpecies in ſe veraciter contineret. DOM. Intelligo optimè cuncta quæ loqueris, quia niſi Dominus DEUS noſter infinitos eſſendi modos intra ſe concluderet, poſſet augeri, & creſcere in his, quæ non haberet: nec eſſet completus, nec perfectus DEUS, eſſetque non ens ſibi conjunctum, quod impium eſt aſſerere. Relinquitur ergò, quòd DEUS eſt ens actu altiſſimum, completiſſimum, perfectiſſimum, & maximum. Eſt præterea immutabiliſſimum, quia ſi mutaretur; haberet non eſſe loci ad quem. Et ideò eſt in omni loco, in omni tempore, non habens præteritum, neque futurum, ſed tantùm eſſe præſens id eſt nihil novi acquirere poteſt, nec poſſidere quicquam. Eſt igitur DEUS fons & mare eſſendi infinitum, hinc menſura ſine termino, ſine fundo. RÆM. Puto te etiam intelligere, ut quoniam divina eſſentia excludit à ſe omne non eſſe, ideò non poſſe eſſe plura entia infinita. Si enim duæ eſſent infinitæ ſubſtantiæ, eſſe unius non eſſet in altero, & ſic neuter DEUS eſſet perfectus, & infinitus, cùm uterque haberet ſibi conjunctum non eſſe alterius. Præterea, quia DEUS abjicit à ſe omne non eſſe, ideò habilitas, impotentia, ignorantia longiſſimè ab eo removentur.

tur. Tenemus ergò, DEUM summæ esse virtutis, potestatis, sapientiæ, & majestatis, cui uni soli creandarum rerum potentia tribuatur. DOM. Habent hæc, quæ dixisti, ex præcedentibus consequentiam' unum tamen abs te interrogo: DEUS quia abigit à se omne non esse; ideò necessariò intra se continet omne esse. Sequitur ergò, quòd DEUS habet in se esse terræ, esse aquæ, esse aëris & ignis, esse quoque asini, bovis, leonis. Sed nunquid DEUS terra est, aut aër, aut ignis, aut asinus, aut leo? Quis sanæ mentis ista dixerit? RÆM. Facilè respondeo. Duplex autem est esse terræ, aëris, ignis, omniúmque rerum conditarum: Unum, quod in se habent, & in natura propria, quam videmus. Aliud quod in suo habent conditore, quod in suo habent conditore, quod videre non possumus. Res ergò creatæ juxta esse, quod habent in sua natura nullatenùs sunt in DEO: quia esse DEI tale esse habere non potest, cùm sit ipse incompositus, indivisibilis, immutabilis, æternus. Omnia autem creata de se sunt corruptibilia, composita, mutabilia, finita &c. taliter ergò non sunt in DEO. Sed quoniam DEUS habet in se omne esse, ideò omnes res creatæ sunt in DEO, ut in suo Creatore, Moderatore, Conservatore. Cape manifestum exemplum: Domus, quam tu fabricâsti habet duplex esse: Unum, quod extrà videmus in propria natura, Aliud, quod non videmus, in mente artificis. Ita & de rebus creatis intellige. DOM. Sed si DEUS abjicit omne non esse, ideò nullum



lum esse potest extra DEUM haberi, sed creaturæ habent (ut certum est) esse reale extrà DEUM: ergò vel tale esse est etiam in DEO, vel DEUS non habet omne esse. RÆM. Fortiter me premis: Primum dico, separa mihi ab omni re creata omne compositum, omne corruptibile, omne finitum, mutabile, caducum, divisibile, & breviter omne, quod sonat imperfectionem, atque indigentiam: Quod dum feceris, vide si non tunc omnia creata sunt in DEO, imò ipse DEUS. Habet ergò DEUS omne esse reale rerum intra se, seclusa tamen à rebus omni imperfectione, quæ DEO perfectissimo admisceri non potest. Dico secundò: Omnia entia esse in DEO secundum triplicem causæ respectum. Exempli gratiâ, Domus fabricata respicit primò suum artificem, ut causam efficientem, secundò ut causam exemplarem; propter similitudinem, quam in suo gerit opifice: tertiò ut causam finalem, propter quam domus ipsa sumpsit originem. Pari modo de rebus creatis, & suo conditore cogita, in quo sunt, ut in sua causa efficiente, formali & finali: non materiali, quia Mundus ex nihilo, agente DEO, constitutus est. Est etiam Mundus in DEO, ut in suo gubernatore, provisore, conservatore, propagatore. DOM. Adjutus sum responsis tuis, at quoniam in rerum productionem incidimus, oro te, ut quomodò à DEO Mundus procreatus sit, breviter edisseras. RÆM. Faciam quod præcaris. Primò noveris, Mundum per modum artis à magno DEO, non natura, neque

que ex necessitate productum. Nam ex quo DEUS habet arbitrium liberum, ideò omnia producit intellectu & voluntate. Et quia mundi productio est artificialis; ideò non est de natura sui opificis. Præterea sicut artifex producit domum juxta similitudinem, quam gestat in mente: ita & DEUS pulchrum, pulcherrimus ipse Mundum mente continuit, & simili imagine exrrà in esse constituit. Et sicut artifex ante productionem habet intellectu formam & similitudinem rei producendæ, aliàs eam producere non posset: Ita DEUS nunquàm extrà se Mundum formaret, nisi ipsam ideam mundi priùs in mente sua teneret. At quoniam DEUS hanc Mundi similitudinem non potuit aliundè ab aliquo extrinseco recipere, ideò ab æterno eam in suo retinuit intellectu: ac perinde Mundus est in DEO æternus, atque idipsum quod DEUS. Verùm quia esse DEI est multò præclariùs, digniùs, ac nobiliùs, quàm esse Mundi extrà producti de nihilo: ideò dignius & illustrius esse habet Mundus in DEO, quam in semetipso. Præterea sicut artifex ipse potest innumeras domos producere per domum, quam gestat in mente: ita & DEUS, si vellet, infinitos adhuc Mundos formaret ex Mundi imagine quam retinet in corde. Et sicuti artifex meliori quâ potest industrlâ, & juxta condignam exigentiam domum producit, ita & DEUS Mundum, quem condidit, summâ & condignâ perfectione donavit. Verùm in hoc fallit exemplum artificis, & conditoris. Nam, quoniam artifex

ſolam ponit formam in materia, nec tamen facit ipſam materiam: ideò non neceſsè eſt, ut ſemper cum ſua domo permaneat; poteſt enim domus perſiſtere ipſo ruente. At non ita eſt inter creaturam & plaſtem ſuum: DEUS enim non ſolùm ponit formam in materia, ſed & ipſam materiam de nihilo producit. Idcircò Mundus neceſſariam habet continuam præſentiam DEI, nec poſſet ad momentum unum perſiſtere, ſed per præceps iret in nihilum, ſi ſuam illi DEUS ſubtrahat manum. Portat igitur DEUS robuſtiſſima manu ſua Mundum univerſum, illum creans, illum moderans, conſervans, & ad finem debitum cuncta perducens. At quoniam hìc celſiſſimus conditor continuè Mundum conſervat, & manu retinet, ne ruat in nihilum: ideò clarè relinquitur, quòd etiam continuè Mundum creat, ſicut ſol ſine intermiſſione ſuos in aëre radios format. Niſi enim inceſſanter ſol à ſe radios diffunderet, radiorum claritas contabeſceret. Ita & Mundus repentè deficeret, ſi non continuè à DEO crearetur, & ſervaretur. DOM. Ex his, quæ doctè nunc perorâſti, hæreſis Peripateticorum Philoſophorum facilè convellitur, qui Mundum garriunt ab æterno fuiſſe; quod ſi verum eſſet, nunquàm potuiſſet à DEO creari, nec egeret gubernatione, conſervatione, directione. Eſt ergò (ut tu aſſeris) in tempore, & de nihilo à DEO productus, non neceſſitate, ſed ſola DEI voluntate, dulcedine, bonitate, liberalitate. Dum ergò reſpicimus ad Mundum, quem in tanta majeſtate

jestate de nihilo formavit, apprehendimus Dominum DEUM nostrum fortissimum, omnipotentissimum, æternum, infinitum, immutabilem, ac summè unum, immensæ majestatis, gloriæ, ac celsitudinis, qui de non esse universa constituit, retinet, & moderatur. Hinc vehementer exulto, dum hujus admirandi opificis in me facturam considero, & cùm de nihilo sim ab eo formatus, principalior tamen & dignior pars sum Universi, sub ipso rerum omnium caput & dominus. Gaudeo igitur, & Ræmunde gratias maximas habeo, qui me in id perduxisti, ut noverim me habere tam nobilem, tam sublimem, tam beneficum Creatorem, qui me, cùm non essem, nobiliter creavit, creatum verò conservat, regit, & dirigit. At nunc, undè paululùm digressi sumus, ociùs revertamur.

Sicut DEUS habet esse, ita habet, & vivere, sentire, & intelligere.

CAPUT IV.

RÆMUNDUS.

ANimadvertisti? quàm fructuosus tibi fuerit excursus noster: verùm, ut hortaris, sicut paulò antè de esse DEI diximus, ita nunc quomodò DEUS vivere habeat, differemus. Sicuti per esse Mundi, quod cernimus, arguimus aliud esse quod non cernimus: sic per ea, quæ videmus in Mundo vivere, DEUM vivere manifestè colligimus. Nunquàm enim Mundus

viveret, nisi DEUS antè vixisset. Præterea cùm DEUS necessariò habeat esse, habeátque, quicquid convenit cum esse, cùm esse DEI separet à se omne non esse, ideò necessariò habet, & vivere, quia vivere convenit cum esse. Vivere enim ipsum esse nobilitat, & illustrius reddit, ut videmus ad oculum in creaturis. Si enim DEUS haberet esse sine vita, sensu, & intellectu: tunc esse DEI non includeret omne esse, quia vita, sensus, & intellectus sunt res reales, quæ ab infinito esse separari non possunt. Et ideò manifestè colligitur, ut quia habet esse, habet necessariò & vivere, & sentire, & intelligere. DOM. Nihil verius: sed quia ens simplicissimum, & summè unum, sine compositione, sine divisione, ideò vivere DEI est omninò idem, quod suum esse, nec sentire, aut intelligere quicquam aliud sunt in DEO, quàm vivere. Et quia DEUS est suum esse, & esse DEI idem est quòd DEUS, ita DEUS ex sua vita, suus sensus, suus item intellectus. Et quemadmodum DEUS excludit à se omne non esse, omne scilicet non esse negativum, & non esse privativum, ita excludit omne non vivere, non sentire, non intelligere. Et ideò ab æterno & in æternum DEUS vivit sine principio, sine fine. Ideò solus habet immortalitatem, quia suæ perpetuæ vitæ non potest adscribi permutatio, nulla fieri additio, nulla ablatio. Et quia DEUS est sua vita; ideò est tota vita, nec est quicquam aliud, quàm ipsamet vita. Hinc sequitur, quòd omne creatum vivit in DEO, & ideò

ideò DEO omnia vivunt, nec aliquid in DEO moritur. RÆM. Pulchrè admodum intelligis dictum nostri Evangelistæ. Quod factum est in ipso vita erat. Nam ex quo omnia vivunt in DEO, creaturæ omnes quæ nunc vivunt, etiam antequàm in se viverent in DEO vivebant. Verùm nunc de ipso sentire pauca dicamus. Sicuti enim sensum in animantibus esse videmus, ita DEUM quoque (qui sensum illum largitus est) sentire cognoscimus. Præstereà si DEUS habet omne esse, habet & sentire, quia sentire est esse, & valdè nobile esse; ideò necessariò est in DEO, alioquin non excluderet à se omne non esse. Et sicuti DEUS est suum esse, & suum vivere, ita est suum sentire; quia vivere, & sentire non faciunt in DEO ullam distantiam. Relinquitur ergò quia DEUS audit, videt, odorat, sentit, & tangit. Non tamen eo modo, quo id animantibus convenit, sed invisibiliter, spiritualiter, realiter tamen. Ex his verò, quæ nunc de esse, Vivere, & DEI sentire diximus, puto te optimè comprehendere, quid de suo intelligere dicere debeamus. DOM. Comprehendo planè; necessariò enim sequitur, ut qui homini intellectum tribuit, cùm is sit inter DEI munera nobilissimus, ipse quoque intellectum habeat oportet. Et quia intelligere est esse, imò præstantissimum esse, ideò si DEUS habet omne esse, habet & intelligere. Præstereà sicut esse DEI est incommutabile, nec præteritum recipiens, nec futurum, sed præsens solùm, ita intellectus DEI non incurrit ab uno in aliud, sed sunt ei ab

æter-

æterno præsentia omnia. Et sicut non eget DEUS aliquo ad essendum: ita nullo indiget ad intelligendum. Quia verò esse DEI est infinitum, & continuè suum esse intelligit, ideò semper intelligit infinitum. Et quia in suo esse totus est Mundus, & quicquid adhuc esse potest: intelligens ergò suum esse, totum mundum simul intelligit, & quicquid potest esse. Et sicut in DEO sunt omnia simul, ita simul omnia intelligit, videt & cognoscit per suum esse, tanquàm per speculum universale, quod est omnium rerum communis idea. At verò quoniam tantum est suum intelligere quantum est suum esse, ideò cum summa voluptate intelligit se habere æternum esse, æternum vivere: se esse immortalem, omnipotentissimum, perfectissimum, & id verissimè se esse, quod in veritate est. Et quia esse atque intelligere in DEO idem sunt, ideò & se intelligere intelligit, & sapere cognoscit. Præterea quia DEUS habet in se omne esse, & omnes essendi gradus: intelligens ergò suum esse, intelligit simul infinitos existentiæ gradus: atque ideò actu intelligit totum esse Mundi, & omnes species, naturas omnes, & individua omnia, & quicquid unquàm aut fuit, aut est, aut futurum est, aut esse potest. Uno ergo intelligentiæ obtutu terribilis ille majestatis oculus videt, numerátque totam arenam maris, aquarum & pluviarum guttas, omnes partes terræ, & quæ in terra, aut in visceribus terræ, aut in undis & fluminibus generantur, omnes itidem stellas cœli, virtutes & cursus earum, omnes dies sæculi, & ho-

horas, & momenta dierum, herbas, & herbarum vires, arbores omnes, fructus & frondes, ſemina & grana omnia, hominum quoque, dæmonum & angelorum cogitationes, intentiones, deſideria, opera, & verba ſingulorum, omnia videt, omnia novit, omnia diſcutit, & quicquid abditiſſimum eſt, clariſſimè comprehendit. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis ejus. Ex his manifeſtiſſimè lucet, DEI intelligentiam, DEI notitiam infinitam eſſe, innumerabilem, incomprehenſibilem. RÆM. Cùm ingenti gaudio te hæc audio diſſerentem. Optimè comprehendis, incomprehenſibilem eſſe DEI eſſentiam, vitam, ſenſum, atque intellectum, quæ quia in DEO unum ſunt, qui unum ponit, omnia ponit, & qui unum tollit, omnia tollit. Qui enim dicit DEUM non intelligere, negat & DEUM eſſe. Et quia ens verum & bonum convertuntur, qui negat DEUM eſſe, negat DEUM & bonum & verum & juſtum eſſe. Sed patêre quæſo, ut paulò longiùs te protraham. DOM. Patior quod vis. RÆM. Vidésne igitur ex his, quæ jam diximus, manifeſtè ſequi, ut conſequenter dicamus, DEUM incorporeum eſſe, & liberum habere arbitrium? DOM. Per rimas (ut ajunt) hæc utcúnque video, oro tamen ut palàm mihi iſta demonſtres. RÆM. Diximus ſuprà, idem eſſe in DEO intelligere, ſentire, vivere & eſſe, ſed intelligere eſt ſpirituale, ergò & ſentire & vivere & eſſe in DEO penitùs eſt ſpirituale. Eſt ergò DEUS naturâ ſpiritualis, incompoſitus, impartibilis, ſimpliciſſimus. Hinc ſe-

quitur, quòd DEUS eſt incorporeus, impalpabilis, inviſibilis, nec aliquo ſenſu corporeo perceptibilis. DOM. Hîc pulchrè eliditur hæreſis Antromorphitana, quæ aſſerit DEUM habere humani corporis effigiem, hominemque juxta hanc membrorum ſuorum deſcriptionem ad ſuam imaginem condidiſſe, hunc errorum nequiſſimus impoſtor Mahometus in ſuo Alchorano, & Judæi in ſuo libro, quem Thalmud vocitant, longiſſimis fabulis proſequuntur. Nos verò qui ſcimus, quoniam Spiritus eſt DEUS, ipſum in Spiritu adoramus. Hinc DEUS optimus maximus homini intellectum contulit, à quo ſolo poteſt cognoſci, dilligi, revereri. Horum gratiâ homo poſt mortem accipit DEUM pro munere, inviſibilem, immenſurabilem, incapabilem &c. intellectus enim humanus adeò nobilis eſt, ut non poſſit caducis, & viſibilibus bonis munerari, & ideò bona intellectûs ſunt ſpiritualia, æterna, infinita, ſemper permanentia. Nunc de ſecundo, videlicet, quòd DEUS habeat liberum arbitrium ociùs exequêre.

DEUM habere voluntatem, & liberum arbitrium.

CAPUT V.

RÆMUNDUS.

CUm homini liberum communicavit arbitrium DEUS, manifeſtum eſt, quod & ipſe liberum arbitrium habeat, nam nemo dat, quod non habet, Prætereà ſi DEUS habet eſſe intellectuale, habet etiam & velle, quia intel-

tellectus sine voluntate esse non potest. Et sicut DEUS habet esse primum, ita voluntas ejus est prima voluntas, nec sequitur ullam aliam voluntatem: idcircò quicquid DEUS vult, sua id vult propria voluntate, & quia in DEO esse, & velle idem sunt, ideò quæcunque de DEI suprà diximus, de sua voluntate dicere tenemur, quòd videlicet est immutabilis, invariabilis, æterna, completissima, plenissima, omnipotentissima. Et sicut DEUS intelligit se primò; & suum esse, ita vult primò seipsum, & suam plenissimam perfectionem, & quemadmodum habet, ita & cupit sibiipsi omne bonum, omne gaudium, omne solatium. Est ergò in continua, jugíque lætitia, & habet æternum gaudium intra semetipsum. Prætereà, cùm voluntas in DEO idem sit quod intellectus, cujus prima operatio est intelligere verba, sensumque verborum. Secunda, discutere per rationem, an res intellecta vera, an falsa sit, justa vel injusta. Tertia operatio, quod verum & justum est approbare; rejicere autem quod falsum est. Quia ergo voluntas, & intellectus in DEO unum sunt, non potest sua voluntas ab intellectu discordiam facere, ideò DEUS nihil potest velle contra rationem, nec contra justum judicium intellectus. Idcircò divinæ operationes justæ sunt, rationabiles, ordinatæ, sanctæ & veræ: & voluntas ejus semper est rectissima, justissima, ordinatissima, & prima regula, quæ obliquari, & in transversum duci non potest, nec à veritate ullatenùs declinare, cum sit ipsamet veritas, Quæ etsi

mala aliqua, atque injusta fieri permittat, nunquàm tamen ea inordinata relinquit, sed ea semper dirigit in bonum finem. DOM. Hinc manifestè colligitur, nunquàm debere hominem murmurare contra voluntatem DEI, sed æquo animo perferre, quicquid in illum divina censura decreverit. Et ideò voluntas, quæ ab hac divina & prima voluntate discordat, tortuosa est, inordinata, injusta, pœnis digna atque suppliciis. RÆM. Verùm asseris, sed nunc sequere me quæso, & ex cognitione liberi arbitrii de DEO tuo stupenda, magnificaque cognosces. Ex quô enim in DEO est liberum arbitrium, atque æternum: ideò divina liberras est prima, æterna, summa, plenissima, quæ à nullo unquam aut deprimi possit, aut violari. Hinc sequitur, quòd habet omnia quæ summæ competunt libertati. Et ideò DEUS quicquid vult, est; & quicquid non vult, non est, & eo modo, quo vult, & sicut vult, est. Est ergò talis, tantúsque qualis, quantúsque vult esse: alioquin sua voluntas esset restricta, & impedita, nec in summa consisteret arce libertatis. DOM. Omninò necesse est ita fateri: Idcircò consequens est, DEUM esse omnipotentem, summè bonum, summè benignum, summè justum, misericordem, omnia scientem, omnia, quæ vult de nihilo procreantem. Nam talem se, ac tantum esse vult, atque desiderat. Est ergò summus dominus, summus Imperator, solus bonus & potens Rex, cui subest, cum voluerit posse, cujus virtuti nemo resistit, cujus sapientiam nemo fallit, cujus dul-

dulcedini se nemo subducit. RÆM. Magnificè tu quidem; nam plena libertas arguit DEUM omnipotentem, cum summa sapientia, & summè sapientem cum summa potentia. Cùm enim in DEO hæc unum sint, tantùm potest, quantùm intelligit, & tantùm intelligit, quantùm sufficit: Alioquin unum atque idem numero esset seipso majus & minus. Verùm licet esse, vivere, intelligere, velle, &c. omnia in DEO unum sint, aliqua tamen proprietate magìs uni tribuuntur, quam alteri. Nam, quia DEUS vivit, ideò est immortalis, impassibilis, incommutabilis; Et quia intelligit, ideò est summæ sapientiæ, summæ industriæ, omnia regens, omnia prospiciens. Quia verò omnia potest, ideò omnia, quæ vult producit, destruit, & rursum construit, & omnem altitudinem se extollentem comprimit, & extinguit. At quoniam DEUS benevolam voluntatem habet, ideò est bonus, mitis, benignus, præstabilis super malitia, justus, sanctus, rectus & verus. Hæc satìs ex his, quæ suprà diximus, elucescunt. At nunc paululùm sublimius oculos attolamus, & qui jam per esse Mundi ad DEI esse conscendimus, cognovimusque, hunc Mundum de nihilo, & ex tempore à DEO productum, indagemus quæso adjutore DEO, ut per hanc manifestam productionem aliam invenire possimus, multò istâ meliorem, digniorem, sublimiorem. DOM. Non erit in eo judicio grave, hanc productionem, licet admodùm occultam, invenire, si tamen mentis aciem acriter intendimus. Nam hæc de nihilo mundi pro-

C ductio

ductio pandit nobis excellentiam, potentiam, ſapientiam, & bonitatem magni DEI. Sed multò nobilior, altior, & melior ſine ulla comparatione eſſet illa productio de ſua infinita & altiſſima eſſentia, quàm ea, quæ de nihilo eſt, tantóque præſtantior, quantùm diſtat divinum atque æternum eſſe à nihilo. Videmus ad oculum, hominem producere domum, non in quantum homo eſt, ſed in quantum artifex eſt, & hanc domum non de ſua facit natura, ſed materia aliena. Producit quoque de ſua natura hominem ſimilem ſibi, inquantum homo eſt, viventem, rationíſque capacem, ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Sed multò præclarior, magíſque radicalis, & conveniens eſt homini, inquantum homo eſt, ſibi ſimilem in natura producere, quàm more artificis domum extrà ſe de aliena ſubſtantia formare. Hoc exemplo duplicem in DEO productionem eſſe monſtramus, unam, quâ ut artifex Mundum de nihilo creavit, aliam, quâ tanquam DEUS de ſua ſubſtantia filium edidit.

Deum de ſua natura produxiſſe Deum, rationibus aliquantis oſtenditur.

CAPUT VI.

RÆMUNDUS.

SOlidum ſatìs fundamentum poſuiſti, nunc ſupereſt, ut aliquantis rationibus probem, DEUM de ſua ſubſtantia DEUM produxiſſe. Si DEUS voluit aliquid producere de nihilo multò ampliùs voluit aliquid producere de ſemet-

metipſo. Si voluit, ergò & potuit: alioqui non eſt omnipotens. Nunc ergò, quia complacuit ſibi Mundum de non ente producere, multò magìs omplacuit ſibi de ſua propria natura filium generare. Iſtud cogimur dicere, ne illi aut impotentiam, aut triſtitiam aſſcribamus. In ſumma enim triſtitia, & impotentia DEUS erit, ſi generare filium voluit, & non potuit. Prætereà, quantò creaturæ a DEO productæ magìs ſunt illi ſimiles, tantò eas magìs diligit, atque complectitur. Summè ergo illum diligit, quem de ſua natura ſibi ſimilem generavit. Ut ergò ſit in DEO ſummus complacentiæ & amoris gradus, neceſsè eſt ponere alium de ſua eſſentia productum, in quo ſibi ſummè complaceat. DOM. Satìs hæc ratio prægnans eſt, nam ſi DEUS gaudet ſocietate alterius de non eſſe producti, & delitiæ ejus ſunt, eſſe cum filiis hominum, multò jucundiùs in ſocietate filii ſibi omninò ſimillimi, gratulabitur. Verùm tu quod cœpiſti proſequere. RÆM. DEUS eſt realiſſimè infinitus, immenſæ virtutis atque vigoris: nam ſumma natura eſt ſummè activa ergò neceſſariò ſequitur, quòd ſit in eo productio infiniti. Sed productio Mundi, non eſt niſi productio unius puncti, reſpectu infiniti DEI, & quia etiam impoſſibile eſt, quòd infinitum in actu poſſit produci de nihilo, aliàs eſſent duo Dii contrarii actu infiniti, neceſsè eſt ergò, quòd DEUS producat rem actu infinitam de ſua ſubſtantia infinita. DOM Facilè ego iſta conceſſero, nam quoniam in DEO reperitur produ-

ctio, necessè est, quòd in eo sit summa, atque infinita productio, quâ nullâ possit major intelligi. Et hæc est productio suæ imaginis, & suæ prolis. RÆM. Videmus præterea, quòd quælibet res creata suam naturaliter, & incessanter producit imaginem, ut patet in speculo, in quo quælibet res objecta suam imprimit similitudinem, Sol quoque generat radinm, & ignis calorem. Si ergò hanc generationem DEUS aliis à se tribuit creaturis, multò magis ipse de semetipso suam continuè generabit imaginem, sibi omninò simillimam intelligentiâ, & sapientiâ, & potentiâ, & dulcedine, & bonitate. DOM. Optimè deducis, si enim de nihilo creat DEUS res temporales, quæ vivunt, sentiunt, & intelligunt: multò magis producet de sua natura sobolem viventem, intelligentem, sapientem, sibi penitùs conformem, & tanquàm splendoris radium de suo lumine prodeuntem. RÆM. Possent quidem hæ rationes sufficere, libet tamen aliquantò robustiùs incumbere. Cùm nihil suavius, melius, & amabilius sit summa jucunditate ne ergò hanc DEO denegemus, necessè est, in eo ponere infinitam jucunditatem, sed summa atque immensa jucunditas non potest esse sine societate alterius summè sibi similis, atque conformis, in qua fit verus amor, vera jucunditas, summa suavitas. Habet ergò Deus apud se alium à se productum, sibi omninò simillimum, in quo, sicut in proprio filio delectatur, exultat, gratulatur. Prætereà, cum naturale sit DEO, & summè proprium.

Tri-

Tribuere atque largiri, ſicut clarè patet in rerum omnium creatione, habet enim quælibet res tantum muneris divini, quantum ipſa recipere potuit. Videmus quoque, quòd unáquæque res id, quod accepit, alii feſtinet impartiri, nam corpora cœleſtia continuò influunt in hæc inferiora, elementa quoque omnibus corporalibus rebus ſe permiſcent, arbores etiam & herbæ rebus ſenſibilibus ſuos fructus ultrò communicant; hinc oſtenditur, quòd ſumma ingenuitas eſt, aliquid largiri. At quoniam Deus eſt omnium nobiliſſimus, ideò largiri illi convenit in ſummo gradu, eſtque ſibi ſummè naturale, & maximè conveniens. Sed tribuere, & eſſe in Deo unum ſunt, ideò ſicut ſuum eſſe eſt infinitum, ſic & ſua largitio eſt infinita, & ſicut neceſsè eſt Deum eſſe, ita & neceſsè eſt, Deum largiri. Hinc ſequitur, oportere Deum dare totum quod habet, alioquin non eſſet infinitus largitor. Verùm,ne iſta largitio ſit in Deo vacua, neceſſariò ſequitur, ut ſi eſt infinitus aliquis largitor, ſit & infinitus acceptor, qui totum in ſe recipiat, quod alter tribuere poteſt. Erit ergò iſte acceptor ſuo Largitori per omnia æqualis, æque nobilis, æquè ſublimis, æquè perfectus, infinitus, æternus &c. At quoniam major eſt & perfectior actualis largitio, quàm potentialis, & intrinſeca, quàm extrinſeca, ſubſtantialis quàm accidentalis, & de propria natura quàm de nihilo producta, ideò neceſsè eſt, quòd ab æterno fuerit in Deo iſta largitio, & iſta productio ſubſtantialis, naturalis, & actualis,

æquè nobilis, ut est ipse producens. DOM. Efficacissima hæc ratio est, nam largitio, quæ fit à Deo ipsis creaturis, penè nihil est, si ad suam immensam munificentiam conferatur. Maximum verò, quod Deus dare potuit, est, quòd tribuerit totam suam substantiam alteri personæ.

Et nisi id fecerit, cùm sit ipse indivisibilis, & simplicis naturæ, nihil de proprio tribuit, nec dat quod optimum habet: imò totum sibi retinet, & sic convincitur esse avarissimus, & tenacissimus, quod omninò longissimum est à tam liberali & munifica natura.

Quòd in simplicissima, atq; indivisibili Unitate summa sit Trinitas personarum.

CAPUT VII.

RÆMUNDUS.

HIs itaque præmissis, nunc facilè erit, in uno & simplici Deo personarum ostendere Trinitatem. Suprà monstratum est, quòd esse Dei est infinitum impartibile, & summè simplex, & ideò non potest una pars dari, & altera retineri, sed necesse est, ut dum communicatur, ex integro communicetur. Quandò ergò Deus suum esse alteri largitur, totum datur, & totum retinetur, & sic persona tribuens, & persona recipiens habent idem atque indivisibile esse, unam naturam, unam numero substantiam, & in nullo differunt, nisi quòd unus est largiens, alter recipiens, iste habens esse divinum à semetipso, ille ab alio, iste producens, ille productus, iste ge-

generans, ille generatus. At quoniam Largitor non eſt Receptor, nec econverſo, ideò in eſſentia divina invenimus duos realiter diſtinctos, unus generans, alter generatus, unus Pater, alter Filius. DOM. Deliteſcat nunc Sabellius impurus hæreticus, qui dicît, Patrem & Filium ſolo inter ſe nomine diſcrepare, nec in re, ſed in voce ſolam facere diſtantiam, poſſéque eum, qui Pater eſt, Filius eſſe, & qui Filius, Pater. Sed progredere quæſo. RÆM. Quia igitur totum eſſe divinum tribuitur alteri, & nihil penitùs retinetur, quin id communicetur Filio à Patre, ideò inter Patrem & Filium eſt ſumma coæqualitas, ſumma conſubſtantialitas, ſumma coæternitas, poteſtas eadem, eademque majeſtas. DOM. En! hinc funeſtiſſimus Arrius vehementer eliditur, qui dicit, Filium ſuo Patre minorem, nec genitum eſſe à Patre, ſed ante mundi creationem à Deo conditum, factumque. Sed aſſertio tua veriſſima eſt, quia ubi inter Patrem & Filium eſt una ſubſtantia, non poteſt unus altero prior eſſe duratione. Nam licèt unus oriatur ab altero, tsmen ſimiliter ſunt ab æterno. Ex quo enim divinæ naturæ eſt largiri, ideò ab æterno fuit ipſa elargiens, & ab æterno recipiens, ſed largiens Pater, & recipiens Filius. Sed præſtolor mihi (quam policitus es) demonſtrari in Deo Trinitatem. RÆM. En ſolvo promiſſum. In omni natura intelligibili & ſpirituali, invenitur & intellectus & voluntas, Intellectus eſt naturalis, & naturaliter operatur, & ex neceſſitate. Voluntas autem

libera est, & ideò liberè agit. Est ergò duplex in natura spirituali productio, una necessaria & naturalis, quæ fit per modum intellectûs, alia libera & voluntaria, quæ fit per modum voluntatis. Prima productio in Deo est naturalis & necessaria, Deus enim intelligendo seipsum & suam essentiam, producit necessariò suam imaginem, sicut Sol radium, & largitur suæ imagini, hoc est suæ soboli totam suam substantiam; Et quia ista productio est per modum naturæ, ideò vocatur generatio. Et quia fit per modum intellectûs, & ideò productus vocatur Verbum Patris, imago & sapientia Patris. Quia verò quilibet per se subsistit, ideò utérque Persona nuncupatur. Porrò quod à voluntate producitur, amor est, & quia est una voluntas patris & filii, ideò à Patre & Filio amor procedit, qui est Spiritus sanctus. Habes ergo in Deo tres personas, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. DOM. Habeo, fateor, sed Spiritus sanctus quomodo in Trinitate persona sit, paulò quæso evidentius ostende. RÆM. Faciam breviter: Diximus suprà, Patrem esse largientem, & Filium recipientem, sed ubi est Largitor & Receptor, oportet, quòd aliud inde procedat. quòd scilicet nec sit dare, nec recipere, videlicet amor, qui procedit, à dante in recipientem, & à recipiente in dantem. Et sic est ibi amoris processio, quæ est tertia res, & tertia persona, quæ neque Pater est, neque Filius, sed amborum Spiritus. Hîc autem amor, necessariò à Patre, Filióque procedit, quia Pater non potest non amare suam ima-

imaginem, suum Filium à se productum, nec Filius non potest non amare Patrem, qui eum genuit. Ista autem productio fit à duobus simul, quia Pater non erat prior Filio, sed ab æterno sunt simul, & ideò non priùs procedit amor à Patre in Filium, quàm Filii in Patrem, neque sunt duæ ptoductiones amoris, qui non est nisi una voluntas Patris & Filii, à quibus amor iste procedit. DOM. Hinc evidenter destruitur hæresis moderna Græcorum, qui asserunt à solo Patre procedere Spiritum sanctum, quasi & Filius Patrem non amet, à quo tantoperè se intelligit amari. Sed perge, quô cœpisti. RÆM. Sicut ergò hæ tres personæ habent eandem numero essentiam, sive substantiam, ita sunt inter se per omnia æquales, quippè quibus est una Divinitat, æqualis Gloria, coæterna Majestas. Sed Pater generans, Filius genitus, Spiritus sanctus amborum nexus, amor amborum, & amborum charitas. DOM. Egregiè nunc confusus hinc Arrius abscedit, qui impia voce ausus est dicere, Spiritum sanctum creaturam esse, & servum esse Patris & Filii, nam reverà necessè est, quòd amor, qui à Patre Filióque procedit, sit infinitus, quia Pater amat Filium, quantùm potest, & econversò, & quia Pater potest in infinitum amare, & filius similiter, igitur amor (qui est Spiritus sanctus) est infinitus, omnipotens, æternus, omnium Rector & Dominus, & Patri & Filio coæqualis. RÆM. Vidisti certè, in quæ sublimia animum porreximus. Ex comparatione enim hominis ad res inferiores

trium graduum, penès convenientiam generalem repentè in Dei cognitionem pervenimus, quem nunc ſcimus & eſſe, & vivere, & ſentire, & intelligere, quem etiam videmus & in ſimplici eſſentia unum eſſe, & trinum in perſonis. Nunc ſupereſt, ut comparemus hominem ad res ſe inferiores penès convenientîam magìs ſpecialem & ex hac comparatione aliud quoddam mirabile lumen illuxerit nobis, quô & nos ipſos, & Dei gloriam contemplemur. DOM. Fiat obſecro, quod dicis, libens animum accommodo, expertus fructum diſputationum noſtrarum.

Comparatio hominis ad res inferiores trium graduum penès convenientiam ſpecialem.

CAPUT VIII.

RÆMUNDUS.

COnvenit itaque homo cum rebus ſibi ſnbjectis generali convenientia, ut ſuprà diximus, quia habet eſſe cum inanimatis, vivere cum plantis, ſentire cum animalibus. Nunc paulò ſpecialiùs hominem aliis conferamus. Primò convenit cum rebus primi gradûs, quæ tantùm eſſe habent, & non vivere. Convenit enim cum elementis, & corporibus cœleſtibus, nam ſicut illa inter ſe ordinata ſunt, nobiliora enim & digniora altiorem obtinent locum, & minùs digna inferiorem, ideò enim cœlum ſursùm, & terra deorsùm, & aqua præeminet terræ, aër verò & ignis, ſicut his meliores, ita & altiores ſunt; ita pariformiter in corpore humano caput, quod

quod eſt inter exteriora membra nobiliſſimum, ſupremum retinet locum, & membra minùs digna, ut ſunt Pedes & Tibiæ, terræ propinquiora ſunt. Et ſicut ſuperiora corpora influunt & regunt iſta inferiora, ita caput influit & regit minora membra. Et quamadmodum Sol medius planetarum tribuit lumen, & influit vitam, reſidénsque in medio, ſursùm tribuit & deorsùm, ita cor humanum, quod omnibus membris vitam influit & calorem, collocatur in medio, & ſua munera diſtribuit ſuperiùs & inferiùs. DOM. Præclara concinnis concordiáque. RÆM. Cùm rebus verò ſecundi gradûs majori adhuc concordia homo ſociatur. Nam ſicut granum, de quo ſeu arbor, ſeu planta naſcitur, materiam, augmentúmque recipit à terra, ut inde radix, truncus, ramíque procedant, ità granum illud, de quo homo pullulat, à ſanguine menſtruo in ventre matris augmentum recipit, unde membra omnia generentur. Et ſicut ex uno parvo ſeminis grano tot diverſa procedunt, radix, truncus, cortex, frondes, folia, fructus, & ſemina, ita ex uno modico patris tui grano omnia corporis tui interiora & exteriora membra prodierunt. DOM. Hìnc evidenter aſpicio opus me eſſe magni Dei, qui hoc modicum granum Patris mei in tot diverſa & mirabilia membra protraxit, eſſéque unum atque eundem opificem, qui & arborum corpora diſtinxit, & hominum. Nam cùm corpus humanum formetur in matris utero, ipſa aut neſciente, aut dormiente, aut etiam plerúmque nolente, luce clariùs apparet, quòd

in

in formatione humani corporis infinita potentia, ſapientia, & benignitas creatoris penitùs operata ſit, qui ſuper omnia alia corpora illud nobilius condidit, diſtinxit, & organizavit. RÆM. Jam non erit difficilè monſtrare convenientiam cum rebus tertii gradûs, Nam quemadmodùm animalia coitu generantur maris & fœminæ, & in utero matris horum membra formantur, ita & homo per coitum gignitur, & in ventre ſuæ parentis coagulatur, formatur, & alitur. Animalia caput habent, oculos, aures, &c. & quinque decorantur corporis ſenſibus, pariformiter & homo. Illa comedunt, digerunt, egerunt, ſic & homo. Illa in terram, de qua ſumpta ſunt, per mortem revertuntur, ita & homo, cùm pulvis ſit, in pulverem revertetur. DOM. Datâ hâc convenientiâ audire nunc abs te cupio, quòd inde lumen debeam ſpeculari. RÆM. Hæc convenientia rerum omnium inter ſe, oſtendit, quòd unus atque idem ſit artifex, unus Deus & Domiuus omnium, unus Ordinator & Rector hominis, animalium, plantarum, & elementorum. Arguunt enim unum conſilium, unam providentiam, unam bonitatem. Non enim eſſet tanta rerum inter ſe concordia & ſimilitudo, ſi duo eſſent opifices, duo Moderatores. Unus eſt ergò Dominus, qui & homini intellectum contulit, atque plantarum atque arborum opera moderatur. Eadem quoque omnium rerum materia unum monſtrat artificem ſummè potentem, ſummè ſapientem, qui de una eademque materia tot innumera-

rabilésque rerum formas producere potuit, voluit, ſtruxit, & fecit. Illud quoque non mediocriter mirandum, quòd de vili, infima, terreſtríque materia tam nobile humanum corpus plaſmare voluerit, quod capax eſſet animæ rationalis, & ſummi artificis imaginis. Si enim hoc tale corpus ex lapidibus pretioſis, aut certè ex aliqua cœleſti materia condidiſſet, non eſſet tanta admiratione dignum. Nunc verò cùm ex vili luto illud ſuſcitaverit, ſatis ſuam potentiam & ſapientiam egregius Conditor oſtendit. Hinc potes etiam intelligere, quòd ſi te ex tam contemptibili maſſa formare potuit, poterit quoque ſi voluerit multò te ſublimiùs attollere, & in ſtatum multò nobiliorem ſublevare, & corruptibilem pulverem tuum immortalem reddere. DOM. Capio lumen, idque non parvum; unde & datori luminum, & tibi maximas habeo gratias. RÆM. Vidiſti itaque, quanta cognovimus ex comparatione hominis ad ſua inferiora penès convenientiam; nunc reliquum eſt, ut hominem conferamus ad res cæteras penès differentiam, & multò ampliora de homine & hominis conditore cognoſces, quàm hactenùs cognoviſti. Verùm, quia jam prandii hora eſt, & fame illia contabeſcunt, vox quoque jam à ſermonis virtute ſuccumbit, oro ut ſapientem diſputationem, donec ſtomachus confortetur, differri patiaris. DOM. Potior libens; ſumpto enim cibo fortiùs inſtabimus, nam tritum apud Rhetores proverbium eſt: Benè inflatas tibias meliùs reſonare ſolere.



SECUNDUS DIALOGUS.

De Beneficiis Dei, & hominis obligatione.

Comparatio hominis ad res inferiores penès differentiam generalem.

CAPUT IX.

RÆMUNDUS.

ROboratis nunc paululùm viribus, comparemus, si placet, hominem ad inferiores gradus rerum penès differentiam, primò juxta differentiam generalem, secundò, juxta differentiam specialem, & grandia quædam & sublimia, quæ nondum vidimus, intuebimur. Res enim, trium inferiorum Graduum multùm ab invicem separantur, & in ipsis sunt distincta genera, & species inter se plurimùm differentes. Sed homo maxima nobilitate & dignitate distat à cæteris, non quia aut existit, aut vivit, aut sentit, sed quia intelligit. Habet enim homo Liberum arbitrium, per quod potest cognoscete, intelligere, discernere, & velle, & nolle. Ista ingenua dignitate homo præeminet universis subter se creaturis, quia illæ omnes operantur ex necessitate, homo autem ex intelligibili, & libera voluntate. Illæ suas operationes non intelligunt, homo, quod operatur, & intelligit, & dili-

diligit. DOM. Patet amplissima differentia, sed quis inde nascitur fructus? RÆM. Magnus certè, atque sublimis. Nam cùm homo habet intellectum, potest intelligere verba, sermones, sententias, potest discernere, quid verum, quid falsum, potest etiam quod verum, & bonum est eligere, quod autem falsum est reprobare potest; præterea se rebus quæ sub se sunt comparare, & se multò nobiliorem cognoscere, potest etiam de una cognitione ad aliam, & de minore ad majorem conscendere, potest quoque intelligere, se intellectum non à se, sed à suo opifice recepisse. Verùm quia creatura non potest ascendere ultrà suum creatorem, ideò homo suo intellectu, & cogitatu nequaquàm potest Deum transcendere, à quo accepit, & Vivere, & Intelligere, & Desiderare. Hinc sequitur, quòd non potest homo præstantiùs aliquid, aut meliûs vel cogitare, vel desiderare suo maximo & optimo Creatore: Alioquin major erit homo cogitando, quàm Deus existendo, essetque aliquid majus in creatura, quàm in creatore, quod impium est dicere. DOM. Verè impium, nunquàm enim creator hoc suæ tribueret creaturæ, ut posset aliquid se melius, se dignius, aut intelligere, aut cupere, quia & hoc naturæ repugnat, & imbecillem, & impotentem, atque ignobilem argueret Creatorem. Si enim posset homo aliquid meliùs æstimare, aut cupere, quàm suus est Conditor, tunc certè non esset nec optimus, nec maximus Deus. Verùm, quia & hujusmodi cogitatio, & affectio potest ascendere in

in infinitum, ideò, qui hanc capacitatem homini tribuit DEUS, necesse est, ut sit & ipse infinitus RÆM. Optimè confiteris; ex intellectu ergò, & cogitatu humano evidenter omnia approbamus de DEO, quæ illi possunt cum summa veritate & veneratione tribui, & ascribi. Capesce igitur, & intellige hanc, quam tibi nunc affero, regulam in humano corde fundatam; DEUS est, quô nihil majus cogitari potest, vel DEUS est, quod omnium maximum cogitari potest. DOMINIC. Capio regulam, mirabile, jucundúmque lumen, & quod nos vehementer inflammet, ex hac regula hausturi sumus. Cùm enim DEUS est, quicquid maximum homo cogitare potest, ergò necessariò DEus est perfectissimus, optimus, dignissimus, nobilissimus, altissimus, omnipotentissimus, & prudentissimus. Hæc enim homo de DEO maximo cogitari potest, & illi cùm summa veritate attribuere.

Practica hujus regulæ ad probandum omnia perfectissima de Deo.

CAPUT X.

RÆMUNDUS.

PRopinquiùs hanc regulam explanemus. Cùm igitur Deus est optimum, & præstantissimum, quod homo cogitare potest, ideò necessariò Deus est omne illud, quod melius est esse, quàm non esse. Hinc cognoscimus, quòd Deus non potest cogitari, non esse, sed habet perfectissimum esse. Et quia homo potest cogi-

gitare, quòd Deus est suum esse, nec acceperit esse ab alio, nec à nihilo, nec à seipso: igitur Deus est suum esse. Homo potest cogitare, Deum esse æternum, immensum, infinitum: ideò necessariò Deus est æternus, immensus, infinitus: aliàs Deus esset humana cognitione minor, quòd nefas est dicere. Homo potest cogitare; Deum esse summam essentiam per se subsistentem, nullius egentem ope, omnia ex nihilo creantem, omnia moderantem, igitur talis est Deus. Homo potest cogitare, Deum non solùm justum esse, aut veracem, aut viventem, aut beatum, aut bonum, sed esse ipsam justitiam, veritatem, vitam, beatitudinem, & bonitatem: talis igitur est Deus. Homo potest cogitare, simplicem esse Deum, incompositum, insolubilem, hoc enim magìs congruit divinæ naturæ, quàm putare, eum compositnm esse, aut in partes divisibilem. Est ergò Deus simplicis naturæ, & insolubilis, atque ideò incorruptibilis. Homo potest Deum cogitare incircumscriptum, nec loco contineri, nec tempore; hoc enim est præstantissimum. In nullo ergò loco, vel tempore coarctatur Deus, sed est simul & semel in omni loco, & tempore, nec inclusus, nec exclusus. Homo potest cogitare, Deum posse plura in infinitum facere, & cognoscere, quàm possit mens creata concipere, ergò sic est, ut homo cogitavit: alioquin Deus non esset id maximum, quod homo cogitare potest. DOM. Cùm maxima te audio voluptate. Hinc luce clariùs intueor, per humanam cogitationem infinitas

D poss

posse Deo tribui dignissimas proprietates. Quòd videlicet Deus est in infinitum bonus, pius, benignus, fortis, jucundus, beatus, beneficus, honorabilis, gloriosus, & quòd hæc omnia in tanta habeat perfectione, quâ non potest altera præstantior æstimari. Et quia homo cogitat Deum justum, & bonum, ideò tribuit illi odium omnis peccati, omnis malitiæ & nequitiæ. Hinc sequitur, quòd Deus odit in infinitum omne vitium superbiæ, luxuriæ, omnem dolum, fraudem, simulationem. Econtrà, quia summmè bonus est, ideò homo æstimat, Deum in immensum diligere omnem virtutem, charitatem, munditiam, humilitatem, timorem, obedientiam, verecundiam. Verùm tu, quæso, ultrà progredere. RÆM. Homo prætereà potest cogitare in Deo esse infinitam productionem, nec debere esse sterilem eum, qui tantam rebus creatis attulit fœcunditatem. Habet ergò Deus filium, quem naturaliter producit per intellectum, habet & Spiritum sanctum, quem liberè à se procedere facit per arbitrium. Certè nunc vidisti, quàm sublimia, & summè dignissima de suo factore humana cogitario concludere potest, & sibi in veritate tribuere. Quod nisi fecerit, perversus est homo, impius, superbus, & sui conditoris acerrimus inimicus. DOM. Verùm dicis, sed rogo te, nunquid ideò istas dignitates Deus habet, quia humana cogitatio eas æstimat Deum habere? Nunquid mea cogitatio divitem Deum facit, ut inops atque egenus sit, cùm eas illi nolim tribuere? RÆM. Impium

pium est ita credere. Deus enim, qui ab æterno omnium bonorum pulchrorúmque ditissimus possessor fuit, nihil à sua potest recipere creatura. Sed nos, qui cæci, & ignorantes sumus, non possumus prima fronte mentis obtutum in Dei lumen infigere; sed à nostro, quòd in nobis est, lumine illud nitimur æstimare. Nam quia homo, cùm sit imago Dei, potest in infinitum ascendere cogitando, optando, volendo; ideò omnino dignissimum arbitramur ut hominis Creator unum gradum suprà hominem ascendat, habeátque veraciter existendo, quidquid illi homo tribuit cogitando, ne sit Deus humana cogitatione aut minor, aut deterior. DOM. Fecisti satis quæstiunculæ meæ.

Homo per secundam intellectûs operationem omnia vel affirmat, vel negat, quæ illi, inquantùm homo est, sunt necessaria.

CAPUT XI.

RÆMUNDUS.

DIximus suprà, tres esse operationes intellectûs. Prima est, intelligere verba, sensúmque verborum, per hanc homo multùm differt à brutis, ut jam patuit. Secunda operatio est, discutere quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum, per hanc multò ampliùs à bestiis distat. Tertia operatio est, quod bonum est, prudenter eligere, & aspernari acriter quod malum est, & per hanc à brutis homo longissimè separatur, ut in subditis patebit. Per secundam ergò operationem intellectûs discer-


discernit homo inter verùm falsum, & per tertiam operationem eligit ex his, quod sibi utile judicat, honestum, & necessarium. Ad hoc enim contulit homini intellectnm Deus optimus, ut illô utatur in bonum suum, & applicet ad suam utilitatem, & salutarem necessitatem. DOM. Equidem assentior ego. Debet enim homo imitari cæteras se inferiores creaturas, quæ sui Conditoris munera sibi ipsis applicant in sui conversationem, & in suam necessitatem. Res enim primi gradûs ad hoc laborant, ut id permaneant, quod sunt, res secundi & tertii gradûs, ut semper vivant,& sentiant, etsi non in individuo, saltem in specie. Debet ergò etiam homo suum sic dirigere intellectum, & voluntatem, ut indè commodum, bonum, gaudium, spem in consolationem, & pacem consequatur. Hæc dico, nondum tamen intelliges, quorsùm me pertracturus sis. RÆM. Ad stupendum prorsùs, & suavissimum lumen, quod omnes animi tui medullas vehementer afficiat. Cùm enim homo (ut asseris) tenetur de jure naturæ affirmare, & credere, & pro se eam partem recipere, quæ illum inducat ad majorem perfectionem, dignitatem, & necessariam salutem, & nisi id fecerit, abutitur suo intellectu in suam perniciem, in damnum & omnimodam desperationem suam. Cùm igitur tu homo sis, & habeas intellectum, quem jam edoctus es, in tuam perfectionem dirigere, quære nunc abs te aliquos veræ lucis articulos, tu quæso cautè prospexeris, quomodò mihi verè respondeas. Quid dicis?

dicis? credísne Deum esse? DOM. Credo utique: tu enim docuisti me id credere debere, quod homini maximè commodum, & salutiferum est. Dùm ergò credo Deum esse, qui est infinitum bonum, maximum mihi gaudium pario, spem, consolationem, fiduciam. Nam inde intellectus meus nobilitatur, dignificatur, agmentatur, & particeps efficitur ejus, in quem credit excellentiæ & gloriæ. RÆM. Optimè respondisti. Credísne Deum unum esse, an plures Deos? DOM. Ut mihi bonum velint, tantùm est unus Deus. Si enim plures essent Dii, essent plures voluntates, & sic quilibet vellet hominem in suam redigere servitutem, quod esset homini perniciosum, molestissimum, afflictissimum. Unus est ergo Deus. RÆM. Potésne credere, Deum habere filium? DOM. Utique possum. Inde arguo Deum secundum, communicatuum, beneficum, & id est homini maximè jucundum, & fructiferum, quòd habeat Deum communicabilem, liberalem. RAEM. Credis Deum summè potentem, summè sapientem, summè benignum? DOM. Certè summè necessarium est homini, talem habere Deum, cujus potentiâ procreetur, cujus sapientiâ gubernetur, cujus bonitate promoveatur. Libenter igitur talem intelligo esse Deum. RAEM. In bonum tuum tuo uteris intellectu. Credis etiam Deum cœlum, terram, maria, & cuncta, quæ in eis sunt; de nihilo formâsse? DOM. Imò & hominem ipsum libentiùs credo ex nihilo, quàm ex aliquo creatum. Hinc mi-

hi oritur confidentia & securitas major, certus enim sum, ut qui me potuit ex nihilo creare, poterit etiam post mortem resuscitare, & in majorem gloriam attollere. RAEM. Credis Deum pro homine hominem factum? DOM. Innumerabiles olim fuerint, & adhuc sunt, qui hoc non credunt, ego autem libenter id credo, quo humanæ naturæ maxima est dignitas attributa. Ex quo enim humanitas est Deitati unita, summa perfectio, summa dignitas, summa exaltatio est indè homini collata. Idcircò hostes sunt humanæ naturæ, qui Deum nolunt credere incarnatum. Credo etiam Deum, hominem de Spiritu sancto conceptum, & de integerrima & optima virgine natum. Hoc modo enim humana natura multò ampliùs nobilitatur, & attollitur. RÆM. Magnificè. Quid dicis de mortuorum resurrectiòne? DOM. Credo mortuos suscitandos: Hòc enim pacto homo redditur immortalis, incorruptibilis, & constituit eum dum hîc vivit in maximo gaudio in amplissima consolatione & spe dum videt, quòd non unus est interitus hominum & jumentorum. RÆM. Credis ergò animam hominis immortalem? DOM. Credo utique, hinc enim nascitur ingens exultatio, & spei magnitudo. Qui autem, dicunt, animam esse mortalem, bestiæ sunt, & rationis lumine privati, quia putant hominem nihil habere jumento ampliùs. RÆM. Est nè futurum universale judicium? DOM. Credo futurum, in quo omnes homines recipiant operum suorum æternam mercedem, ut

qui

qui bona fecerunt, vadant in vitam æternam; hinc animantur justi. Qui verò mala egerunt, mergantur in ignem æternum, hinc terrentur reprobi. Qui ponit scelerum impunitatem, qui tollit ultorem operum malorum, hominem præcipitem reddit in omnem nequitiam, & brutis animantibus pejorem constituit, dum non nisi carnalia & lubrica sine fræno timoris consectatur. RÆM. Hînc jam clarissimè comprehendis, fidem Christianam, in qua hi omnes articuli, quos nunc tetigimus continentur, in bonum hominis constitutum esse, & præsens illi gaudium cumulare, & futurum. Nam hæc fides humanam naturam complet, exaltat, dignificat. Igitur qui hanc fidem affirmat, nullo modo argui debet aut objurgari, neque à Deo, neque ab homine, neque ab angelo, quia id credit, quod est Deo optimo consentaneum, & humanæ naturæ salutiferum complementum. Qui verò non credit, erraticus incedit, & devius, cæcus, miser, impius, scelestus, & æternæ morti jam proximus. DOM. Non me capio præ gaudio, dum animadverto, me ex tua directione atque industria in mirabilem scientiam promoveri. Obsecro te igitnr, ut ad reliqua, quæ dicturus es, me ociùs intromittas.



Hominis ad res inferiores comparatio penès liberum arbitrium, per quod illi de seipso, operibúsque suis, ac de Deo, vera oritur cognitio.

CAPUT XII.

RÆMUNDUS.

FAciam quod precaris, quæso te, intentus respice, nam stupenda videbis. Tertia operatio intellectûs (si meministi) est, quod verum & bonum est eligere, atque sectari, aspernari autem & fugere quod malum est. Hoc pertinet ad liberum arbitrium hominis, per quod summoperè distat à bestiis. Bestiæ enim, & quæ infrà hominem sunt, omnia operantur opera sua ex necessitate naturæ, ex impetu, nec intelligunt se agere, nec domini sunt operationum suarum. Homo autem propter libertatem arbitrii spontè & liberè agit, & est operum suorum dominus, quia cùm vult, & quæ vult agit, cùm non vult, dimittit. Hinc sequitur, quòd operatio hominis de sua natura in genua & nobilis est valdè, & admodùm dignissima. Hominis enim opera sua sunt, & illi veraciter imputantur, & indè accipit laudem, honorem, meritum & præmium, si bona sunt, benè fiant, vel vituperium, ignominiam, demeritum & tormentum, si mala sunt, & malè fiant. Ad omne opus hominis sequitur vel meritum, vel demeritum, eò quòd opus ejus est vel bonum, vel malum. Si bonum, habet meritum, vel si malum habet demeritum. Sed post

post meritum sequitur præmium, post demeritum sequitur tormentum. Ex quo enim homo operatur cum libertate, cum ratione, cùm voluntate, quod res se inferiores non faciunt, ideò opera sua illum honorant, ornant, nobilitant, vel infamant, maculant, degenerem faciunt. Videmus quippe ad oculum, quòd omnes res trium primorum graduum operantur opera sua ad honorem sui Conditoris, & ad utilitatem hominis, in summa quæ prævalent bonitate & perfectione. At quoniam homo est pars Universi dignissima, ideò summopèrè tenetur benè & laudabiliter operari, alioquin solus ipse destruit ordinem creaturarum, & lædit ac destruit semetipsum, dulcem perturbat harmoniam, & consonantiam, Universi. DOM. Vera sunt omnia quæ tu loquêris, sed expecto, quorsùm hæc properent. RÆMUND. Nunc animadvertes. Quia igitur ad opera hominis sequitur meritum, vel demeritum, eò quod sunt bona vel mala, ideò post meritum debetur homini summa gloria, post demeritum amarissima pœna. Verùm quia homo non potest munerare semetipsum, vel punire, ideò necessariò sequitur, quòd sit aliquis supra hominem, qui possit illum punire & affligere, si deliquerit, vel si rectè egerit, coronare. Alioquin opera hominis, propter quem omnia aliæ operantur. frustrà essent & inania, essétque homo ipse extrà ordinem Universi, quod absurdissimum est dicere. DOM. Planè absurdissimum. Nam videmus, quod rebus visi-

bilibus respondet oculus, rebus audibilibus auris, tangibilibus tactus, intelligibilibus intellectus. Multò magis igitur rebus præmiabilibus (ut sunt humana opera) respondet præmiator aliquis, & æquissimus Judex, qui possit punire nequitiam, & justitiam præmiare. RÆM. Ecce, jam tu ipse intelligis, quòd ex libero arbitrio hominis necesse sit esse aliquem suprà hominem, qui possit ipsi juxta quod meruit restituere. Deus igitur est supra hominem, hominis Præmiator. Prætereà, qui malè agit, habet culpam, sed ubi est culpa, illic alicui committitur injuria. Qui ergo ligatus est in culpa, est etiam obligatus propter offensam in pœna, & tot fiunt obligationes, quot homo multiplicat offensiones. Relinquitur ergò, quòd est aliquis supra hominem, cui propter culpam homo manet astrictus. Prætereà cùm offensa, seu culpa non possit remitti, nisi per veniam aut pœnarum solutionem, & quia homo non potest sibi ipsi dare veniam, nec sibi ipsi solvere, quod commeruit, clarissimè liquet, Deum suprà hominem esse, qui possit roganti culpam donare, vel obstinato pœnam infligere. DOM. Satis jam doceor, ex libero arbitrio hominis oportere concludere, Deum esse. Ideò optimum est argumentum: homo potest peccare, ergo Deus est punitor, homo potest quæ justa sunt operari: ergo Deus præmiator est.

Deus

Deus præmiator, aut punitor est infinitæ, sapientiæ, potentiæ, justitiæ, & misericordiæ unúsque tantùm est præmiator, ac ultor Deus.

CAPUT XIII.


RÆMUNDUS.

AGnovisti igitur ex libero arbitrio hominis, Deum esse, agnosce nunc hunc ipsum Deum ex eodem arbitrio esse infinitæ sapientiæ, potentiæ, justitiæ. DOM. Quomodò est infinitæ sapientiæ? RÆM. Deus cùm sit, aut severus ultor, aut æquus munerator humanorum operum, ideò necesse est, quod omnium actiones mortalium ab ipso examinentur, discutiantur, & staterâ justissimâ appendantur. Verùm, quia opera hominum secundum majus & minus merentur aut præmium, aut tormentum, ideò egent majori vel minori discussione, & cognitione. Ideò necessè est, quòd judex iste videat, cognoscat, & ad unguem discernat omnium opera hominum, & justissimâ æquitatis librâ ea ponderet, & judicet. Habeat ergò, necessè est, plenissimam cognitionem, non solùm operum hominum, sed & cogitationum, desideriorum, & intentionum, & nihil illum lateat, quid dicto, quid signo, quid cachinno, quid oculo, quid nutu, quid plausu, quid denique minutissimo cogitatu commissum sit, nisi enim profundissimo intuitu Deus omnia scrutaretur, non posset veram in judicio proferre sententiam. Nihil ergò debet negligere, nihil

par-

parvifacere, nihil dissimulare, nihil in oblivionem mittere. Sed cogita nunc, rogo, quantùm esset cognoscere & meminisse omnes voluntates, affectiones, intentiones, sermones, & actiones unius tantùm hominis à die suæ discretionis, usque in diem mortis suæ; si unius, multò, ampliùs duorum, trium, quatuor, centum, & mille millium, imò penè hominum infinitorum. Quis quæso non stupeat nunc ad immensam Dei sapientiam, quæ tot hominum & qui fuerunt, & qui sunt, & qui post futuri sunt, desideria, verba atque opera uno circumspectionis oculo cognoscit, memoratur, decernit. DOM. O terribilem majestatis oculum! multò lucidiorem super solem circumspicientem omnes vias hominum. Nunc ex libero hominis arbitrio clarè arguitur: Deus Judex sapientissimus, prudentissimus, infallibilis, profundissimæ circumspectionis & agnitionis. At nunc ostende, obsecro, quomodo liberum arbitrium hominis arguit Deum infinitæ Potentiæ. RÆM. Frustrà esset, Deum omnia hominum opera cognoscere, nisi etiam ea posset & præmiare, & debitè punire. At quoniam is, qui vel honoratur, vel contemnitur ab homine operante, & infinitæ majestatis, ideò ipsa opera quæ etiam sunt penè infinita, requirunt vel infinitam coronam, vel immensam miseriam. Sed nullus potest in immensum affligere, vel præmiare, nisi qui fuerit infinitus, & quia id Deus efficaciter potest, ideò solus, sicut novit hominum facta discutere, ita novit & mune-

nerare. DOM. Intelligo ſummam Potentiam. RÆM. Intellige etiam ex libero arbitrio ſummam Dei Juſtitiam. Nihil prodeſſet, Deum opera hominum & cognoſçere, & præmiare poſſe, niſi etiam habeat & velle. Habeat igitur neceſsè eſt optimam voluntatem, & rectiſſimam juſtitiam tribuere unicuique ſecundum opera ſua. Non erit ergò acceptor perſonarum, ſed parvum æquè judicabit, & magnum, nec contemnet perſonam pauperis, nec honorabit, vultum potentis. Eſt enim juſtitia Dei inflexibilis, invariabilis, inconvertibilis, immutabilis, alioquin ordo pulcherrimus univerſi deperiret, quod nullatenùs fieri poteſt. Hinc etiam ſatìs animadvertis, Deum quóque eſſe benigniſſimum, qui innumeris hominum ſceleribus quotidiè offenſùs non ſe ulciſcitur, non indignatur, ſed pœnitentiam præſtolans, judicium ſuſpendit, minas remittit. Intelligis quoque non niſi unum oportere eſſe præmiatorem aut vindicem. Nam cùm liberum arbitrium eſt in omnibus hominibus unius naturæ, quod eſt radix & origo retributionis aut meriti, aut demeriti; ideò unum tantùm judicem requirit, qui illud poſſit & diſcutere, & prout meruit munerare. DOM. Non mediocriter ex hominis arbitrio illuminatus in Dei cognitionem apprimè profeci.



Si-

Sicut ex natura liberi arbitrii cognoſcitur, quid de Deo ſentiendum ſit: ita & per liberum arbitrium cognoſci poſſunt, quæ hominis ſunt.

RÆMUNDUS.

SIcut agnoviſti agnoviſti ex natura liberi arbitrii quid de Deo ſentire debeas, ita nunc quid de his quæ circa hominem geruntur debes agnoſcere. Quinque enim per ordinem breviter ponemus, quæ ex natura liberi arbitrii hominem ſcire oporteat. Primum, quòd remuneratio quæ ſit homini à ſummo judice propter opera liberi arbitrii eſt ſpiritualis, & æterna, non corporalis aut temporalis. Nam liberum arbitrium, propter quod homo dicitur homo, eſt ſpirituale, inviſibile, & intellectuale, & quia in libero arbitrio ſubjectatur omnis culpa hominis, vel meritum, ideò principalis remuneratio hominis eſt inviſibilis, & ſpiritualis, ut remuneratio radici reſpondeat, & origini. DOM. Satis aſſentior, nam corporalia, quantùmlibet ſint præſtantia, non ſunt tamen digna liberi abitrii opera munerare. Plùs dico: tota corporalis machina Mundi non poteſt ex æquo præmiare minimum opus voluntatis humanæ. Adeò enim nobilis res eſt, liberum arbitrium, ut ſolo æterno præmio compenſetur. RÆM. Hinc optimè intelligis, quòd præcipuum hominis bonum, vel malum eſt remuneratio voluntatis, & intellectûs. Omnes igitur theſauri, & divitiæ hominis, in quantùm homo

mo est, sunt invisibiles, & spirituales, & regnum ejus, quod præstolatur, est intellectuale, æternum, insolubile. Nam quoniam liberum arbitrium non est vel locale, vel temporale, ideò bonum hominis nec loco clauditur, nec tempore mensuratur. Non ergò bonum hominis est commune cum bestiis, quod Epicurus (qui summum bonum in voluptate posuit) videtur astruere. Secundum, quòd natura liberi arbitrii elucescit est, quam legem homo approbare debet atque sectari, & quam aspernari atque contemnere. Ex quo enim remuneratio liberi arbitrii non est corporalis, sed spiritualis, ut jam patuit, hinc sequitur, quòd leges & sectæ quæ finalem hominis beatitudinem in rebus corporeis, & sensibilibus constituunt, falsæ sint, & deceptoriæ, caducæ, futiles, miserabiles. DOM. Hinc verissimè liquet, impostor nequissimus, Mahumetus quam vanissimam suo populo legem condiderit, cujus promissa corporalia sunt, & visibilia bona. Promittit enim paradisum terrestrem, epulas pingues, vina falerna, sericas vestes, fœminas molles. RÆM. Meritò hic hominum deceptor in Apocalypsi bestia nuncupatur, qui & bestialiter vixit, & sua promissa communia cum pecudibus instituit. Porro Lex CHRISTI JESU quæ Dei visionem in præmio promittit, hæc sanctissima est, verissima, & saluberrima, cujus institutor verus fuisse dignoscitur sanctus, perfectus, veram hominis beatitudinem, & intelligens, & requirens. Tertium, quod ex na-

natura liberi arbitrii cognoſci poteſt, & mora pœnarum, aut præmiorum. Nam quià totum bonum, aut malum hominis eſt habere vel culpam, vel meritum, unde pœna ſequitur aut corona: ideò quanto plura merita habuerit homo, tanto majora habebit & præmia. Non debet igitur ſtatim, dum bonum aliquod opus fecerit finali retributione munerari, quia tunc amplius mereri non poſſet. Sed debet expectari, donec merita omnia conſummentur, & unum pro omnibus recipere præmium. Rurſum, dum homo commiſit mortalem culpam, non debet repente finali animadverſione puniri; alias eſſet totaliter condemnatus, & perditus, nec poſſet amplius ad gratiam reparari. Verùm, quia homo propter liberum arbritrium eſt convertibilis de malo in bonum, & poteſt culpam humiliter recognoſcere, & per pœnitudinem revocare, Ideò expectandus eſt, an velit ab errore ad juſtitiam reverti. DOM. Hanc expectationem (ut arbitror) requirit natura liberi arbitrii, non quidem ex ſuo merito, cùm vindictam meruerit, ſed ſicut dixiſti, quia convertibilis eſt, & in melius permutari poteſt, & ideò judex humanorum operum clemens debet eſſe, & longanimus, & non ſtatim proſilire in vindictam, quia melius eſt hominem ſalvare, quàm perdere. RÆM. Quartò, agnoſce, ex libero arbitrio, duas eſſe civitates longiſſimè inter ſe diſtantes. Licet enim arbitrium ſit in cunctis mortalibus ejuſdem naturæ, tamen quia tendit per duas vias ſibi mutuò valde contrarias, una eſt

est via culpæ & demeriti, alia via virtutis & meriti. Et quia istæ viæ ducunt ambulantes in eis ad contrarias mansiones, idcircò duas necesse est ponere civitates, in quibus contrarii inter se populi longissimè ab invicem perpetuò separentur. ut sicut inter se voluntate & merito maximè discordant, & tali discordia, quâ nulla potest esse major, ita etiam remotissimè ab invicem seperentur seperatione, quâ nulla potest esse longinquior. Ideò Deus, qui munerator est actuum humanorum, hos duos populos ita discernit, ut unum elevet suprà omnes cœlos, alterum deprimat in abyssos. Et quia centrum terræ, quæ civitas futura est reproporum, & circumferentia ultimi cœli, quæ civitas est hominum justorum, extremâ inter se distantiâ seperantur, congruè juxta naturam utriusque populi hæc habitacula dispensantur. Sunt igitur hæ duæ civitates perpetuæ, insolubiles, invariabiles, inexpugnabiles. Quarum una est opulentissima, quietissima, jucundissima, lucidissima, pulcherrima, verum, & totum hominis bonum in se retinens, atque complectens, in qua requiescunt innumerabiles justi, & sedent in pulchritudine pacis, & in requie opulenta. Altera verò civitas, quæ malorum gentem retinet, densissimis tenebris horret, inopiæ, ignominiæ, calamitatis, & extremæ miseriæ plena, omne malum hominis cumulatissima fertilitate complectens. DOM. Diversitas voluntatum & operum, quam in hominibus experimur, has contrarias civitates manifestè constituit. Sed væ illis! & septies væ, quibus

propter impiam nequitiæ culpam sinistra hæc, & tenebrosa civitas forte obvenerit. RÆM. Hinc jam quintum quod dicere decrevi facilè intelliges, quòd videlicet liberum arbitrium est immortale. Ex quo in libero arbitrio subjectatur vel virtus, vel vitium, & omne liberum arbitrium est vel virtuosum, vel vitiosum? sed virtus non expellitur, nisi per suum contrarium, quod est vitium, nec vitium ejici potest, nisi succedente virtute. At quoniam post mortem vitium, quod hîç non expellitur, perpetuò manet, non enim pœna vitium destruit, sed consumat, & perficit, ideò manente vitio, manet & liberum arbitrium, in quo est vitium. Sed culpa, & etiam culpæ pœna est perennis post mortem: ergo, & liberum arbitrium est perenne, atque insolubile. DOM. Et anima quoque, in qua ipsum continetur arbitrium, perennis permanet, & insolubilis. Satis jam per liberum arbitrium tuâ industriâ illuminatus sum; nunc ad reliqua, quæ insinuanda sunt ocyùs accede.

Homo differt à rebus se inferioribus penès cognoscere se habere.

CAPUT XV.

RÆMUNDUS.

Diximus suprà, quomodô homo differt à rebus trium graduum in generali: nunc specialibus differentiam hominis à cæteris assignemus. Differt quidem homo ab aliis rebus, quia aliquid habet; quod non habent cæteræ; sed maximè

ximè differt, quia & habet, & se habere cognoscit. Hoc postremum nullis rebus inferioribus est commune. Habent enim res trium graduum & miram pulchritudinem, virtutem, utilitatem, varietatem, sed hæc cùm habeant, non se cognoscunt habere. Solus autem homo id, quod habet intelligit, & à quo habet. Intelligit etiam quid cæteræ res habent,& à quo receperunt quod habent. Tu quæso diligenter adverte, & ex hac differentia stupenda cognosces. DOM. Si centum mihi aures adessent, omnes tuis sermonibus admoverem: Non solùm enim mihi ingenium illuminas, sed & affectum acriter inflammas, RÆM. Istud meliùs postremô fateberis. Nunc verô pro hac differentia quatuor gradus considera. Primus: Homo cognoscit se habere,quod habet, & etiam quod cæteræ res habent. Secundus: Homo cognoscit non à se ipso habere, quod habet, & cæteras res scit non ab ipso, nec à seipsis accepisse;quod habent, sed ab alio superiore. Tertius: Homo potest quærere, invenire, & cognoscere illum à quo & ipse, & cæteræ res acceperunt, quod habent. Quartus: Homo potest illum tenere, complecti, regratiari, & perpetuò inhærere illi, & commorari cum eo inseparabili dilectione. Ecce! his quatuor privilegiis differt homo à cæteris se inferioribus creaturis. DOM. Modô videbis. Cùm enim solus homo cognoscit se habere quod habet, & à quo habet, & quid cæteræ res habent, & propter quid habent, hinc jam suam cognoscit dignitatem, intelligit, quanti eum suus

Conditor æstimârit, qui eum præ cæteris nobilem, & capacem rationis condidit, cæterísque omnibus quasi principem antetulit, & cuncta suis pedibus substravit. Hæc homo cognoscens, si gratus est, gaudet, tripudiat, gloriatur, & factorem suum diligit, veneratur, honorat pro his, quæ accepit, & quæ res cæteræ pro ipso acceperunt. DOM. Quantùm intelligo, tu cupis ostendere, hominem obligari DEO, & pro his, quæ accepit in semetipso, & pro rerum commodo creatarum. RÆM. Planè id cupio. Non enim debet homo nec stolidus, nec ingratus esse omnium Conditori, sed immensas agere gratias pro innumeris beneficiis, quæ in se, & in subjecta sibi creatura suscepit. Nam ex quo DEUS soli dedit homini cognoscere, quid in se, quid in aliis accepit, inde obligat eum gratum debere esse, & pro suis bonis, & pro alienis. Præsertim cùm ea bona, quæ in cætera creatura sunt, magis homini necessaria, aut commoda sunt, quàm sibi. Nam si voles diligenter inspicere, Deus omnes res inferiores non propter seipsas, sed propter hominem instituit. Condita enim sunt omnia, vel propter hominis necessitatem, vel utilitatem, vel solatium, vel doctrinam, vel gaudium. At nunc, quia sunt omnia propter hominem, ideò omnia solus accepit homo, & cuncta faciunt unum corpus cum homine, & unum regnum, cujus & ipse caput, & Rex est. Hinc tenetur solus suo largitori gratias agere, obsequi, inhærere, diligere, collaudare. DOM. Nunc ipsam obligationem hominis ma-

ni-

nifestè concipio. Nam ex quo creaturæ nihil pro se, sed pro solo homine acceperunt, ideò solus homo quicquid usquàm in universo est noscitur accepisse. Omnia ergo in tribus concludi possunt, scilicet in largitore, in munere, & in accipiente. Sed ubi est munus dantis, ibi est & beneficium accipientis, atque inde necessariò ad accipientem naturalis oritur obligatio ad suum largitorem, præsertim si ipse largitor munera sua liberè, voluntariè, & nulla neccessitate distribuit, & si is qui accipit ipsis muneribus carere non possit. RÆM. Rectè tu quidem. Sed nunc intuere, an homo DEI muneribus carere possit? Ut paululùm de ipsis donis, quæ in seipso homo accepit taceamus, exteriora creaturarum munera cogitemus. Nam quia homo animam habet, & corpus, & ideò omnis creatura est ad bonum animæ hominis, vel ad bonum corporis ejus. Et primò animadverte, quomodò omnia serviunt corpori vel ad necessitatem, vel oblectationem, vel ad commodum, vel adjutorium. Nonnè homo indiget necessariò quatuor Clementis, ex quibus & constituitur, nutritur, conservatur? Nonne homo indiget sole, luna, sideribus, plantis, frugibus, arboribus, piscium, & animalium carnibus? Cogitè horum omnium absentiam, & vide si sine his homo posset in vita durare. DOM. Agnosco beneficium. RÆM. Si beneficium agnoscis, agnosce & beneficii largitorem. Nam omnis creatura tibi clamitat: Accipe, & redde: Accipe beneficium, redde debitum. Cœlum dicit:

Miniſtro tibi lumina, & virtutes ſyderum, & planetarum, temporum vices, & varietates, hinc tollo faſtidium, ingero delectamentum. Aër dicit: Communico tibi flatum vitalem, & omne genus volucrum tibi in cibum, & ſolacium mitto. Aqua dicit: Ego te poto, ſordes diluo, terras, tuas plantas, atque arbores irrigo, & fructiferas reddo, & varios piſces tuis faucibus adminiſtro. Terra dicit: Ego te porto, te nutrio, pane, vino, oleo, frugibus, pomis, & animantibus menſas tuas repleo. Mundus totus magnis tibi vocibus clamat: Vide, quomodò te meus Conditor amavit, qui propter te me tibi ſervire compellit, quia factus ſum propter te, ut tu ſervias illi, qui tenet me propter te, & te propter ſe. Si ſentis beneficium, redde debitum. DOM. Satis nunc oſtendiſti, quomodò creaturæ ſerviunt humanis corporibus, at nunc oſtende, quomodò ſerviunt, & animabus.

Animæ humanæ omnia ſervinnt,

CAPUT XVI.

RÆMUNDUS.

EX magnitudine, ex pulchritudine, ex dulcedine & bonitate creaturarum facilè mens humana cognoſcit, quàm magnus, quàm pulcher, quàm dulcis, quàm bonus harum Creator exiſtat. Inviſibilis enim Deus per ea, quæ facta ſunt, intellectu conſpicitur, ſempiterna quoque virtus ejus, ſerenitas, & majeſtas. Præterea dum homo conſiderat, quòd, quicquid in creatu-

turis aut pulchrum, aut serenum, aut virtuosum est, non id ipsis propter se, sed propter hominem esse collatum, ingenti gaudio cor ejus perfunditur, & in laudem resolvitur optimi Conditoris. Præterea dum videt homo omnes alias creaturas in suum obsequium deputari, suam recogitat dignitatem, nobilitatem stupet, miratur excellentiam. Hinc intelligit, se diligi à suo Conditore, & magni pendi, qui se talem fecit, & longissimè omnibus antetulit. Hoc gaudio, hoc fructu homo privaretur, si solus sine cæteris conditus esset creaturis. Præterea dum se homo comparat ad alia animantia, quibus & Vivere, & Sentire collatum est, tunc suam facilè cognoscit ingenuam excellentiam, quod sensum à cœlesti demissum traxerit arce, cujus egent prona, & terram spectantia. Mundi principio indulsit communis Conditor illis tantùm animas, nobis animum quoque & nunc rationis capacem, imortalem, invisibilem. Præterea res inferiores sunt humanæ menti ad maximam doctrinam. Docent enim te bruta animalia, quòd finale & verum bonum tuum non sit in rebus visibilibus, & corporeis oblectamentis, non in cibis, & potibus, & actibus venereis, quia hæc bona communia sunt & bestiis. Alia erga bona præstolaris spiritualia, immortalia, sempiterna. Certè nunc vidisti, quantùm res creatæ etiam conferant humanæ menti. DOM. Vidi fateor, & obligationis magnitudinem non satis sufficio cogitare. RÆM. Ampliùs expavesces, dum tibi hanc obligationem luce clariorem monstravero.

vero. Radix obligationis oritur ex parte muneris accepti. Et quia ipsa munera multa, & magna, & nobilia sunt, ideò & obligatio magna fit, & copiosa nimis. Verùm, ut meliùs agnoscas, quanta fiat obligatio pro qualibet creaturâ, tripliciter quamlibet per se creaturam considera: videlicet, quantùm valeat in seipsa; & quantùm una plus valeat alterâ; & quantùm ipsa homini præstet, & accommodet. Et quia omnis creatura quicquid habet muneris, pro homine accepit, ideò non ipsa, sed homo pro ea Creatori astringitur. Et quantò ipsa creatura est nobilior, etiam etsi minùs sit homini necessaria, tantò pro eo magis ipse obligatur. Multùm debes DEO tuo pro terra, quæ te sustinet, non solùm, quia est, sed quia etiam tibi necessaria est. Ampliùs tamen debes pro aqua, quantò ipsa est terrâ nobilior, & clarior. Multò amplius pro aëre, pro igne, pro sole, pro sideribus, pro plantis, pro animantibus, pro his omnibus maximas & multiplices debes agere gratias. Primò, pro omnibus perfectionibus, quas à suo opifice receperunt. Secundò, pro utilitate, & necessitate quam tibi impartiunt. Tertiò, pro dignitate & gloria, quâ cunctis præemines creaturis, quæ quamvis magnam ingenuitatem habeant, multò tamen te inferiores sunt. Et quia non cognoscunt se habere quod habent, ideò nesciunt quid suo opifici debeant. Verùm quia homo id solus agnoscit, & quotidiè perfruitur earum beneficio, idcircò homo tenetur agere gratias Creatori, & eam illi benevolentiam rependere, quam sin-

ſingulæ pro ſe creaturæ tenentur, quia ipſe ſolus id novit, & poteſt. Ut autem melius me capias, hoc recipe exemplum. Si tu eſſes ſolus ſapiens in civitate tua, & cæteri omnes aut fatui eſſent, aut pueri, & Rex Hiſpaniarum conferret toti civitati magnum aliquod beneficium. quod in ſingulis diſtribui neceſſe ſit: nonnè tu, qui ſolus præ cæteris es ſapiens, teneris agere gratias regi largitori, ne ingratitudine populi provocatus, minas inferat civitati? Quod ſi non feceris, & teipſum, qui dignus es, & reliquos omnes miſerabiliter perdis. At nunc cognoſce in ſumma magnitudinem obligationis tuæ, conſidera diligenter multitudinem, diverſitatem, utilitatem, neceſſitatem, nobilitatem, & bonitatem omnium rerum trium graduum. Vide, quàm innumerabiles, quàm nobiles ſint res primi gradûs. Vide nobiliorem gloriam rerum ſecundi gradûs: Vide quoq; ingentem pulchritudinem, & multitudinem rerum tertii gradûs: Vide prætereà omnium ſimul numerum ſine numero, menſuram ſine menſura. & ex infinita multitudine, & perfectione earum, infinitam intellige hominis obligationem. Quid nunc animi habes? DOM. Video heu! miſerum hominem his beneficiis non tam levari, quàm opprimi. RÆM. Opprimitur planè, ſi gratus non fuerit, & benevolus. DOM. Et quomodò poterit gratias agere tantas, tam immenſas?

Homo obligatus est Deo pro his etiam, quæ accepit in seipso.

CAPUT XVII.

RÆMUNDUS.

AUdies hæc posteà. Interim quæso diligenter adverte, quantùm astringeris DEO pro his, quæ accepisti in te ipso naturalibus bonis, quæ sine comparatione sunt cæteris omnibus præstantiora. Accepisti enim esse, & vivere, sentire, & intelligere, & corpus & animam. Si debitor es pro mundo, multò ampliùs pro te ipso, & tanto amplius, quantò tu mundo es melior, nobilior, præstantior. Mundus enim totus propter hominem factus est, cujus & commodis servit, & necessitatibus. DOM. Hinc facilè intelligo, hominem secundum animam immortalem esse, atque perpetuum: cùm video tam nobiles, tam pretiosas, & etiam immortales aliquas creaturas in obsequium hominis incurvari. Et quia is, qui servit, semper est suo domino minor, ideò, si creaturæ nobiles atque immortales serviunt homini, necesse est, quod sit homo multò nobilior, multò immortalior. Verùm tu quod cœpisti prosequere. RÆM. Obligatur itaque homo pro illo esse, quod accepit, quòd quidem esse immensum plus valet, quàm esse omnium creaturarum. Non autem tantùm accepit esse, sed etiam formosum, & pulchrum, & artificiosum, cujus pulchritudinem Sol, & sydera obstupescunt; obligatur

ſecundò pro ſua vita, quæ eſt multò præſtantior, quàm omnium aliarum vita, omnia enim propter hominem vivunt, ipſe autem non econverſo, obligatur præterea pro eo quòd habet & ſenſum, & intellectum, & liberum arbitrium, rem utique grandiſſimam, digniſſimam, ſingulariſſimam. Plus enim ponderat liberum arbitrium quàm eſſe, vivere, & ſentire omnium rerum, nam propter hoc omnia ſunt cóndita, omnia inſtituta. Habes ecce principem, & imperatorem totius creatæ naturæ, & vides decentiſſimam omnium rerum ſervitutem. Nam eſſe, vivere, & ſentire, quæ ſunt in creaturis, ſunt propter eſſe, vivere, & ſentire hominis. Hominis verò eſſe, vivere & ſentire ſuo ſervit libero arbitrio. Omnia ergò, quæ ſunt in homine continuè laborant, ut ſedeat rex liberum arbitrium, quod immortale eſt, atque divinum. Unde ſicut omnia creata trium graduum habent nobilius eſſe, vivere, & ſentire in ipſo homine, quàm in ſeipſis; habent enim eſſe humanum in homine, & per hominem junguntur libero arbitrio, ideò omnia creata reſpiciunt ad illud eſſe nobile, quod habent in homine, quod & appetunt perpetuò conſervare. Omnia ergò ordinantur ad hominem gradatim aſcendendo, homo verò ſine medio propter ipſum ordinatur Arbitrium. Super omnia itaque ſedet, imperat, & dominatur liberum arbitrium, nec habet aliquod creatum ſupra ſe, ſed ſolus Creator Deus illi præſidet, illud moderatur, & continet. Eſt ergo liberum arbitrium nobiliſſi-

ma

tibi oculum redderet excussum, aut dentem, aut aurem, semper illum maximo favore diligeres. Hinc pensa, quantùm abs te diligi debet factor tuus, qui non unum tantùm, sed universa tibi membra compegit, distribuit, ordinavit. DOM. Satìs intelligo plus me debere optimo Creatori pro meo corpore, quàm pro omnibus, quæ extra me sunt innumeris beneficiis. RÆM. Si tantùm debes pro corpore, quod caducum est, atque mortale, quantùm putas pro nobilissima, & semper victura anima te quóque debere? Infudit enim pulchro corpori tuo animam pulcherrimam, & nobilissimam Deus, quæ possit ipsum & sua organa complere, vivificare, movere, dirigere, moderari. Sicuti enim corpus habet multa membra, & organa admodùm distincta, ita & anima ornata est & dotata variis virtutibus, potestatibus, & officiis naturalibus, quibus corporis organa moveantur, & in suas actiones destinentur. Videmus, quòd in uno quoque regno sunt inferiora officia, ut officia Agricolarum, Mercatorum, Opificum: Sunt, & media officia, & multo his digniora, ut Militum, Judicum, Comitum, & Baronum, sunt quoque, & dignissima officia, ut Consulum, & Senatorum, qui regi consulunt, & assistunt. Pari modo in regno animæ humanæ sunt infinitæ virtutes, ut est nutritio, augmentatio, generatio, quæ se habent instar colonorum, mercatorum, & opificum, qui sustinent, & laborant pro toto regno. Istæ res virtutes continentur sub una potestate generali, quæ

virtus

virtus Vegetativa nuncupatur. Et habent secum aliàs adhuc quatuor virtutes, scilicet virtus Appetitiva, cujus officium est cibum desideranter attrahere, virtus Retentiva, cujus est cibum retinere, virtus Digestiva, cujus est cibum coquêre, & virtus Expulsiva, cujus est superflua rejicere, & bonum chylum in omnia membra transmittere. Sunt secundò altiores hic virtutes & potestates in anima, ut est potentia, quâ videmus, audimus, olfacimus, tangimus, gustamus. Visus apprehendit omnes colores, figuras, lucis & radiorum pulchritudines: Auditus omnes sonos, & voces, & harmonias, sanorúmque & vocum differentes consonantias. Olfactus omnes odores, quorum non est numerus. Similiter de tactu gustúque dicendum est. Inter has tamen sensitivas potentias est quædam dignitas. Nam visus melior est auditu, quia remotius solemus videre, quàm audire, & audire quàm odorare, gustus autem, & tactus sunt cæteris segniores, eò quod objectum volunt habere conjunctum. Sunt quoque tertiò præter has occultiores, & nobiliores virtutes, quæ habent organa interiora in cerebro, ut sunt sensus communis. Imaginativa, Fantastica, Æstimativa, Memorativa. Quartò post istas est in anima virtus Motiva de loco ad locum, quam à capite Physici dicunt procedere. Per hanc anima dilatat, extendit, constringit, erigit, attrahit sua membra. Quantò post istum statum virtutum & officiorum, quæ habent cum organis corporeis con-

conjunctionem, & cum carne operantur, sequitur in regno animæ alius quidem status virtutum & potestatum omnium nobilissimus, quibus competit omne moderamen virtutum præcedentium. Sunt enim in anima duæ altissimæ potestates, quæ habent distinctas inter se operationes, ab organo corporeo penitùs separatas, quæ sunt intellectus, & voluntas. Intellectus consulit, judicat, discernit: voluntas tanquàm imperialis majestas præcipit, imperat, & ad executionem consulta demandat. Præter has virtutes naturales, quibus anima decorata est, potest insuper de novo ornari & vestiri moralibus & gratuitis bonis, & per gratiam sui creatoris, & industriam propriæ sollicitudinis. DOM. Animadverti acri ingenio cuncta, quæ de animæ officiis ostendisti, & video hominem multò amplius, quàm priùs suo opifici debitorem fieri. Munera enim istâ, quæ in anima homo suscepit, inæstimabilem illi conferunt dignitatem.

De magnitudine obligationis, ex parte dantis, & recipientis.

CAPUT XVIII.

RÆMUNDUS.

SAtìs nunc audisti, ni fallor, quantùm Deo astringeris ex parte innumerabilis muneris, audi etiam, quid debeas ex parte largientis Dei, & ex parte hominis recipientis. DOM. Undique me niteris complicitum retinere, ut nus-

nusquàm mihi diffugium pateat. RÆM. Utinam tanta tibi beneficiorum vincula possim injicere, ut in reliquum non possis à tuo muneratore divelli. Verùm nunc respice diligenter voluntatem, affectum, & liberalem munificentiam Domini Dei tui, & copiosissimum te intelliges debitorem. Duo in genere sunt munera Creatoris, unum visibile & manifestum, aliud invisibile & occultum. Donum manifestum est Mundus, & quicquid in se retinet minor mundus, scilicet homo. Donum occultum est amor dantis, qui est invisibilis. Primum tamen donum, quod homini contulit Deus, est suus amor, qui radix est, & fundamentum omnium donorum. Nam hæc extrema dona multa & magna signa sunt maximi & ardentissimi, ad nos amoris Dei. Cogita nunc, quæso, ex magnitudine omnium donorum infinitam amoris magnitudinem, & quia Deus totum Mundum condidit propter hominem, ideò primò dilexit hominem, & omnia alia in aliis creaturis non dilexit, nisi hominem, quem super omnes exaltavit, ornavit, nobilitavit. Verùm quia amor Dei excedit in infinitum omnia dona creata, ideò Deus cùm dedit homini suum amorem, dedit ei munus infinitum, inapretiabile, inæstimabile. Certè vidisti obligationem omnium maximam. Quia igitur amor Dei ad hominem est purissimus, ardentissimus, summè liberalis, & merè gratuitus ideò sine ulla comparatione plus est obligatus homo pro amore Dei quàm

quàm pro universis extra susceptis. Hæc enim omnia etsi multa sint, tamen finita sunt. At amor Dei & funditùs infinitus. DOM. Libens suscipio hominem sic amari, sed obligationis magnitudinem expavesco, RÆM. Diximus obligationem ex parte largientis, nunc etiam intellige ex parte recipientis. Largitor omnium bonorum Deus munera sua homini contulit ex libera & gratuita bonitate, sed homo ea recipit ex mera necessitate. Velit enim aut nolit, necesse habet sibi assumere dona Dei, sine quibus nec monumentum poterit permanere. Nunquid ea tu poteris refutare? nunquid potes dicere Deo, non opus habeo sole tuo, non opus aëre, aquâ, terrâ, munera tua alteri largire, ego ampliùs non recipio? si vides ergo inevitabilem hominis necessitatem, agnosco & obligationem, Agnosce, quantùm debeas amico optimo & fidelissimo, qui te continuò in esse conservat, qui tuis necessitatibus & commodis sua dona ministrat. DOM. Agnosco obligationem infallibilem, indelebilem, perpetuam, immortalem, & chartam insolubilem digito Dei in qualibet creatura conscriptam, quam dum lego, non possum maximum me debitorem non agnoscere. Sed quoúsque animam meam defatigas, & non dicis mihi, quid pro tantis beneficiis refundere debeam Creatori? Erubesco ingratus inveniri, sed quomodò satis gratus efficiar, nondum intelligo.

Homo quid tribuere teneatur pro acceptis Beneficiis.

CAPUT XIX.

RÆMUNDUS.

ECcè jam incipiam ſatisfacere votis tuis. Sed dicito mihi, credis etiam hominem habere aliquid tale, quod poſſit Deo retribuere in recompenſam condignam tantorum bonorum? DOM. Credo equidem, nunquàm enim æquiſſimus Deus (qui hominem perdere non vult) tantis eum beneficiis cumulâſſet, niſi noſſet penes homines reſidere aliquid, quo ſuam poſſit ſolvere obligationem. Alioquin in ſuam ultimam ruinam hæc illi eſſent munera collata, quod de optimo Largitore nefas eſt credere. RÆM. Ita quæſo ſic ſenti de Domino in bonitate. Habet ergò aliquid homo, quod reddere poſſit & debeat, ne ſuſpicetur ingratus. Non hoc erit Mundus iſte, quia non eſt proprium hominis bonum, non ipſum hominis corpus, quia per violentiam ab eo auferri poteſt, omnia enim quæ extra animam hominis ſunt, ſua non ſunt, quia caduca & mortalia ſunt. Verùm quia recompenſatio debet correſpondere amori largientis, amor autem largientis eſt immortalis, ſpiritualis, inviſibilis, ita quod homo retribuit ſuo datori, debet eſſe immortale, ſpirituale, inviſibile, ſyncerum, purum, & in ſua poteſtate integrè conſtitutum. Hoc autem eſt liberum arbitrium, non autem intellectus liberi arbitrii, ſed voluntas, quæ ſola eſt libera, &

& spontanea; & sui ipsius imperiosa domina, quæ sicut à nullo cogi, aut impediri poteſt, ita nec ullatenùs auferri. Hæc autem voluntas donum in se poſſidet merè liberum & spontaneum, scilicet amorem, qui à voluntate procedit ortu spontaneo. Hunc amorem voluntas liberali munere Deo dare poteſt pro beneficiis acceptis, nec quicquam ampliùs ab homine Deus ipse reposcit. Nihil aliud habet homo in se verè proprium, quàm amorem, qui eſt totus thesaurus hominis, honorabilis, pretiosus, liberalis, perpetuus, & clariſſimus Creatori. Invenimus igitur rem, quam maximè quærebamus. Qualis tibi quæso videtur? DOM. Res optima, præſtantiſſima, & quod primum eſt, homini facillima. Nunc bono animo efficiar, habeo enim, unde retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi, diligam, amabo, amplexabor, RÆM. Omninò æquiſſimum rependere, & liberaliſſimo, sinceriſſimóque amatori Deo liberale, syncerúmque reddere amoris obsequium. Amor enim per se placet & propter se, & præ cæteris acceptus eſt Deo, jucundus, dulcis, amabilis. Licet enim Deus ſit omnium verorum & pulchrorum bonorum ditiſſimus poſſeſſor, nec ulla re egeat, vult tamen ab homine munera amoris accipere, quæ semper exposcit, quæ & ambit & diligit. Amor quippe solus eſt, per quem poteſt homo correspondere suo amatori. Si Deus te arguit, aut irascitur, aut minatur, tu illi juſtè nec irasci, nec minari potes. Sed ſi te amaverit, tu juſtè illum

redamare potes, non tamen ex æquo, cùm amor Dei ſit infinitus, tuus verò parvus eſt, & menſuram habet. Debet tamen eſſe mundiſſimus, integerrimus, ſyncериſſimus, pleniſſimus, ſanctiſſimus. Abominatur enim Deus caducum, permixtum, corruptúmque amorem, qui ſuo puriſſimo amori reſpondere non poteſt. Nihil iſtâc tuâ veritate veriùs. RÆM. Cognoſcis nunc, quia amorem tuum abs te exigit Amator Deus, audi conſequenter formam, quomodò amare te oporteat; hanc amoris formam & à Creatore & à creaturis potes addiſcere. Creator tuus præ cæteris creaturis magis te diligit, ita & tu præ cæteris tuum dilige Creatorem. Item Creator tuus omnia alia propter te diligit, & tu omnia dilige propter Creatorem. Item Creator omnes ſuas Creaturas in tuum tranſmittit obſequium, tu verò quicquid habes optimum, in illius famulatum expende. Item Creator tuus te diligit infinito & perpetuo amore, ita & tu illum ſemper dilige ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & tota mente tua. Habes formam amoris de Creatore, nunc eandem formam recipe à creaturis. Creaturæ impendunt tibi ſuum beneficium & obſequium de optimo, quod habent, & totum quod poſſident, ita & tu quod in te optimum habes, ſcilicet amorem, tuo tribue Creatori. Creaturæ totis viribus tibi deſerviunt, tu quoque quicquid virium habes in amore tuo tribue Creatori. Creaturæ continuè, & ſine intermiſſione, die ac nocte, ſereno vel turbulento tempore tibi obſequun-

quuntur, ita & tu omni tempore, in prosperis & in adversis, tuum dilige Creatorem. Creaturæ soli tibi serviunt, & nulli alteri, ita & tu solum tuum dilige Creatorem, & neminem dilige, nisi propter ipsum. Creaturæ tibi serviunt secundum propriam naturam, & modum suum, ita & tu debes obsequi Deo tuo secundum modum naturæ tuæ, & libertate, & bonâ, spontaneáque voluntate. Creaturæ dant tibi sua munera in summa, qua prævalenr perfectione. Arbores enim & vites exhibent tibi suos fructus maturos, bonos, dulces, oblectabiles, non enim acciperes ab eis fructus amaros, virides, acerbos, corruptos, ita & tu quoque da operam, ut Deo tribuas amorem maturum, dulcem, amabilem, bonum, integrum, perfectum. Postremò, creaturæ non tibi serviunt cum dolo, cum fraude, cum pigritia, ignavia, socordia, sed simplici, & prompta intentione, ita pariformiter servi Deo tuo, ut non ambules in vanitate, & festinet in dolo pes tuus. DOM: Acriter me incendit institutio tua, & amoris formam nunc abs te digestam studebo pro viribus æmulari; nam ut video, nulla relinquitur homini excusatio, quin suum debeat amare factorem. Amor enim cùm filius sit liberæ voluntatis, à nullo impediri potest, quin omni momento suum possit opus implere. In amando quoque nullus labor, nullus dolor, nec tristitia, nec tædium, nec fastidium, amor enim omnes labores reddit suaves, amabiles, voluptuosos. Hinc jam manifestè lucet summa erga hominem

 dul-

dulcedo & benignitas Conditoris, qui datis tantis beneficiis hominem non obligavit ad rem pœnosam, & laboriosam, & fatigabilem, sed ad id quod maximè est appetibile, & delectabile.

Debitum amoris, quod homo reddit Creatori, ad hominis meritum & commodum revertitur.

CAPUT XX.

RÆMUNDUS.

SIcut lucet benignitas magna Creatoris, eò quòd obligaverit sibi hominem ad amorem, rem maximè delectabilem, ita omnem excedit benignitatis mensuram, quod ipsam amoris obligationem ad solam convertit utilitatem. Licet enim Deus nostrum ambiat amorem, & vehementer exposcat, hoc tamen facit, ut inde homo ditetur, proficiat, nobilitetur. Videmus enim, quòd obsequium creaturarum in magnam vertitur hominis utilitatem, ita & obsequium amoris, quod homo exhibet Deo, cùm Deo prodesse non possit, (ipse enim bonorum nostrorum non eget) ut homini prosit necesse est. DOM. Non debet igitur homo ociosus esse, sed sicut creaturarum recipit utilitatem, ita & ipse opificem diligendo suis etiam debet commodis indulgere. RÆM. Debet utique, duplex enim necessitas homini incumbit, indiget enim esse, & ut perseveret in esse. Secundò indiget, ut habeat fructuosum atque optimum esse. A servitio

vitio creaturarum, quæ naturaliter, & ex necessitate serviunt homini, homo recipit esse, & durat in esse, sed à servitio amoris, quod homo exhibet Deo, (qui liberè ac voluntariè agit, atque ideò meritoriè) homo recipit fructuosum atque optimum esse. Creaturæ serviunt tibi, ut esse habeas, tu verò Deo obsequeris, ut optimè habeas. Sed quia præstantius est optimè esse, quàm esse solùm, ideò obsequium hominis est sibi multò melius, quàm quod accipit à creaturis. Verùm, quemadmodùm creaturarum servitus est homini continuò necessaria, ita & necessarium est homini servire Deo, si velit utiliter permanere. DOM. Vehementer assentior. Nam sicut necesse est homini corporaliter mori, si suum illi creaturæ obsequium denegarînt, ita & spiritualiter eum mori necesse est, si Deo suo servire contempserit. Qui ergo non servit Deo, verè mortuus est, nec quicquam proficit homini obsequium creaturæ, nisi ipse serviat Creatori. Hoc enim secundo obsequio cessante, primum frustra impenditur. Perdunt enim suam utilitatem creaturæ, quæ propter hominem institutæ sunt, si homo suo factori obsequi contempserit, & talis homo, quantùm in se est, cassat, & frustat totum Universum. RÆM. Hinc manifestè intelligis, oportere hominem per amorem domino deservire, ut dum ipse diligenti obsequio Deo colligatur, aliæ etiam creaturæ omnes homini serviendo, homini copulantur, & per hominem Deo. Obligatio itaque amoris omnia complet, omnia consum-

 mat

mat, & totum Deo alligat Universum. Vide nunc mirabilem dulcémque circuitum. Ab amore Creatoris omnia processerunt, & per hominis amorem ad Deum omnia consummantur. Et sic apparet palam, quòd homo Deum diligens est Mediator quidam inter Creatorem, & ipsas res conditas, quia per ipsum cum Deo redeunt, & ad Deum. Quòd si homo Deo per amorem non adhæserit, sicut ipse inordinatus est, & dissolutus, ita ipse in pœnam suam omnia disjungit, dissolvit, diffibulat, nec Creatori utilis, nec dignus creaturâ. DOM. In mirabilem me lucem Ræmunde extulisti, & in ardentissimam flammam, unde tibi maximas habeo gratias. Arbitror enim jam tandem te de amore ultimam sententiam posuisse. RÆM. Reverà non posui, multa enim & magna de amore adhuc locuturus sum, & quæ stupere te faciant vehementer. DOM. Oro te, obsecrans O dilectissime! comple desiderium meum, & quod reliquum est ociùs ediscito.

Homo obligatur amare etiam omnem creaturam, & præcipuè Dei imaginem.

CAPUT XXI.


RÆMUNDUS.


UNum adhuc nunc dicam, cætera alteri Dialogo conservabo. Sicut homo obligatur primò suum diligere Creatorem, ita post ipsum omnes debet diligere creaturas, non inquantum

tum ſibi utiles, aut neceſſariæ ſunt, ſed quia Dei amatoris ſui creaturæ ſunt, & quia non omnes creaturæ ſunt æquales, ſed una eſt altera præſtantior, & illa omnium præſtantiſſima & digniſſima, quæ Dei in ſe imaginem, & ſimilitudinem repræſentat, ideò præ cæteris homo debet ſui Creatoris imaginem, id eſt, hominem amare, colere, venerari. Cùm enim quilibet homo ita contineat in ſe ſui Creatoris imaginem, ſicut cera formam ſignaculi, cui imprimitur, ideò obligatur quiſque diligere alterum ſicut ſeipſum, ſive amicus ſit ille, ſive inimicus, ſive profuerit, ſive etiam obfuerit. Semper enim homo imago Dei eſt, ſemper maximi Conditoris nobiliſſimum plaſma eſt. DOM. Hinc ego palàm excipio, oportere unumquemque hominem diligere alterum ſicut ſuam ipſius imaginem, ſicut ſuam ipſius naturam, & ideò quilibet teneatur æſtimare, & appretiate alterum ſicut ſemetipſum. Tenetur quoque omne bonum, quod ſibi quiſque cupit, inquantum Dei imago eſt, hoc etiam alteri cupere, alteri imprecari, alteri, ſi poteſt, etiam conferre. Debet igitur eſſe inter omnes homines una æterni fœderis compaginatio, una pax, una concordia, unum velle, unum nolle. RÆM. Juſtiſſimum eſt, quod tu loqueris, ex quo enim hæc obligatio, quâ homo tenetur amare hominem, originem ducit ex obligatione, quâ homo aſtringitur diligere Creatorem, ideò ſicut iſta eſt rectiſſima, & in Jure naturæ fundata, & eſt prima juſtitia, ita & altera eſt ſecunda juſtitia, recta,

ſancta, & in Jure naturæ radicata. Accipe nunc formam hujus obligationis à Creatore, & à creaturis. Primùm Creator omnibus hominibus indifferenter ſuam partitus eſt imaginem, & ſuam ſimilitudinem, tu quoque omnibus communicabilem te præbe, & liberalem. Creator ſine acceptione perſonarnm omnes homines inquantum ſunt ſuæ imagines, communi diligit amore, ita & tu quoque omnem hominem dilige. Creator æquali pietate omni homini ſua beneficia indulget, & ſolem ſuum oriri jubet ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & reprobos, & tu quoque omni petenti te tribue, & quicquid habes libenter impertiti ſtude. Secundò accipe hanc formam & à creaturis. Creaturæ, quæ homini juſſu Creatoris inſerviunt, non magis uni obſequuntur homini, quàm alteri, non plus pro uno laborant, quàm pro altero, neque amplius majorem reſpiciunt, quàm minorem, nec nobilem, quàm ruralem: Elementa, plantæ, arbores, animalia non plus ſerviunt Regi, quàm militi, nec plus ſervo, quam Domino. Sicut ergò creaturæ homini obſequuntur, inquantum Dei imago eſt, & æquales inter ſe reputant omnes homines, ita & tu quoque æqualiter Dei imaginem in quolibet homine venerare, nec æſtimes naturali conditione alterum alteri præferendum. DOM. Non ſolùm ex his, quæ dicis, colligo formam amoris, verùm etiam quantæ ſit majeſtatis, dignitatis, gloriæ, & excellentiæ imago Dei, luce clariùs intueor, cui ſuus Creator tantam impendit
ſol-

ſollicitudinem, quàm honorat, diligit, veneratur, cui etiam creaturæ multæ nobiles & ſublimes invigilant, ſervinnt, obſequuntur. Satis hinc patet, quantùm debet honorare homo hominem, quando illum & Deus maximus, & universus orbis veneratur. RÆM. Nolo etiam te lateat, quòd hæc obligatio amoris redundat & revertitur in ſolam hominis utilitatem, in ſuum commodum & meritum. Licet enim amor tuus, quo proximum diligis, plerúmque illi aut utilis eſt, aut jucundus, tibi tamen ſemper eſt meritorius. Dum enim homo primò Deum diligit, ac tum proximum, imaginem Dei, inde ſibi colligit omne bonum ſuum, omne meritum, omne gaudium, laudem, ſalutem, & gloriam, & quandò adjecerit plures propter Deum homines diligere, tantò diteſcit ampliùs, tantò fit & nobilior, & ſeipſo quotidie major. Multa adhuc de natura amoris, de ejus viribus, & proprietatibut diſſerenda ſunt, ſed vides, quia jam Sol heſperias ſe mergit in undas, nox quoque ſuas umbras jam minitans, & cibum nos & ſomnum capere adhortatur; in craſtinuw igitur, quæ de amore ſuperſunt reſervemus. DOM. Licet à tuo ſermone invitiſſimus ipſe divellar, pareo tamen votis tuis, ut paululùm viribus recollectis, novus in craſtinum diſputator advenias.





TERTIUS DIALOGUS.

De Amore, & viribus ejus, conditionibus, & fructibus.

Amoris conditiones, ac proprietates.

CAPUT XXII.

DOMINCUS.

TOtam penè noctem insomnem habui, ita eram tua sponsione sollicitus. Optabam crebrò diem fieri, & mollem, desidémque Auroram arguebam, quòd Titani mariti croceum nollet cubile deserere. Ocurro autem nunc tibi festinus, & alacer audire quæ pollicitus es. Scio enim stupenda te, atque admodum utilia de Amore dicturum. RÆM. Amo mi Dominice, ardens desiderium tuum, quod & me quoque acriorem reddit, & magis spontaneum. Meministíne suprà me dixisse, nihil nos habere in nostra potestate, & quod verè sit nostrum, præter solum Amorem? DOM. Memini equidem. Nam amor noster (ut ipse dixisti) est totum bonum nostrum, unicus & pretiosissimus noster thesaurus, & cunctæ divitiæ nostræ. Cætera quippe omnia & fortunæ, & corporis bona.

bona, nec vera, nec nostra sunt. RÆM. Si ergò Amor est illud unicum, quod habemus, hinc sequitur, quòd Amor bonus est totum bonum nostrum, Amor malus atque perversus est omne malum nostrum. Nam si nihil est verè nostrum nisi Amor, si Amor malus fuerit, quicquid habemus malum est, si bonus, bonum est. Sequitur quoque si Amor noster bonus fuerit, nos etiam boni simus, si malus, mali. Solus igitur Amor hominis, hominem facit vel bonum, vel malum. Præterea cùm nihil possideamus vere nisi Amorem, ideò quando dedimus alicui nostrum Amorem, totum, quod habebamus dedimus, nec quicquam reliquum habemus, quod tribuamus. Hinc etiam sequitur, quòd si perdiderimus Amorem nostrum, omnes nostras divitias perdidimus, tunc autem perdidimus, si illi nostrum Amorem contulerimus, cui omninò dare non debuimus. Præterea, si bonum omne nostrum est Amor bonus, & malus Amor nostrum malum, sequitur pulchrè, quòd virtus nihil sit aliud, quàm Amor bonus, & vitium Amor malus. Cujus ergò Amor bonus est, hic vir bonus est, cujus verò Amor reprobus fuerit, hic Vitiosus, & reprobus censendus est. DOM. Præsentio dulcem fragrantiam sermonis tui, & in mirabilem me cogitationem cupis erigere, ut dum cognovero omne bonum nostrum in Amore constitutum, habueróque de Amore veram scientiam, habeam etiam & de toto hominis bono maloque scientiam. Quam qui ignorat, cæcus est, & manu tentans, & se & omnia nescit.

RÆM.

RÆM. Hinc jam Amoris proprietates attingemus. Quarum prima eſt, quòd Amor virtutem habet uniendi, convertendi, transformandi. Hæc eſt Amoris inſeparabilis conditio, ideò Amor unit amantem cum re amata, & in ſe transformat. Secunda conditio eſt, quia Amor de ſua natuar eſt donum liberale, ſponte enim alteri ſe tribuit, cogi enim non poteſt, nec dari, nec aufferri ſe invitô. Hinc ſequitur, quòd Amor eſt verè illius, cui datur, & tranſit in veram poſſeſſionem rei amatæ, & ideò res amata in ſuo retinet dominio Amorem, qui ſibi ultrò donatus eſt. Tertia conditio, quòd Amor quocunque vadit, ſemper ſecum pertrahit voluntatem, quæ habet plenum in homine imperium, & ideo etiam ſecum portat totum hominem, & ideò, quando Amor alteri ſe tribuit, totam tribuit voluntatem, & totum hominem, qui etiam convertuntur in rem amatam. Quarta conditio, quod iſta converſio amantis in rem amatam non eſt violenta, non coacta, non laborioſa, ſed ſpontanea, liberalis, dulcis, delectabilis, & ideò voluntas, quæ jungitur rei amatæ non poteſt ab ea ſeparari per aliquam violentiam, ſed ſpontè, merè, & liberè. Quincta conditio, quòd Amor licet mutet voluntatem in rem amatam, tamen Amor ſemper permanet liberalis Amor, & ſuam retinet naturam. Voluntas quoque licet permutetur in rem amatam, cujus & naturam induit, & formam, tamen ſemper permanet voluntas, nec ideò deſtruitur, quia mutatur. Sexta conditio, quod

Amor

Amor talis efficitur, qualis eſt res, quæ amatur, & talis fit ipſa voluntas, qualis & Amor. Res enim primò principaliter amata nomen, naturam, & formam Amori tribuit, & voluntati. Hinc ſequitur, quòd ſi voluntas terram amet, terrea luteaque ſit, & Amor dicitur terrenus, ſi amat res mortuas, caducas, ſuperfluas, ſvoluntas nuncupatur mortua, ſuperflua, caduca, ſi amat homines, humana dicitur, ſi Deum, divina, Ex iſto liquet, quod homo poteſt per Amorem, quem gerit ſponte mutari in rem multò ſe meliorem, vel multò ſe viliorem. Septima, quod Amor ex ſua natura ſemper ſe erigit au amandum id, quod eſt ſe præſtantius, nobilius, & dignius. Hoc patet in naturis aliarum rerum, quæ ſemper ſe ad meliora & perfectiora ſuſtollunt, nam elementa mutantur in plantas, plantæ nutriunt animalia, quorum caro comeſta in carnem formatur humanam. Ita ergo & voluntas noſtra, & amor noſter, ut non degeneret à rebus ſub ſe creatis, debet ſemper id amare, quod eſt ſuprà ſe, & amando in id converti, quod eſt multò ſe nobilius, præclarius, excellentius. Verùm quia nihil eſt ſuprâ voluntatem noſtram, quod ſit ipsâ melius, & perfectius, quàm ipſe ſummus & æternus Deus, ideò voluntas meritò tribuere debet Amorem ſuum maximo Deo, & in illum, ut præſtantiſſimum converti & conformari. DOM. Meritò id quidem. Nam cùm turpiſſimum ſit voluntatem (quæ regina eſt in regno animæ) ſe inflectere ſubter ſe ad lutea, caduca, vilia, ſpurca,

ca, & contemptibilia, idcircò debet se sursùm erigere, Deum intueri, Deum amare, Deum complecti, & in ipsum transformari, qui est summum, æternum, nobilissimum, & optimum Bonum. RÆM. Gaudeo, te sapere quæ dico, sed nunc consequenter ausculta. Octava conditio est, quòd Amor, ex quo est res nobilissima, dignissima, & liberalissima, quæ mutat ipsam voluntatem in rem amatam, & ponit eam sub imperio rei amatæ, ideò valdè injustum & incongruum est, quòd res inferior, vilior ipsa voluntate, dominium arripiat super eam, eamque possideat. Præterea cùm Amor sit spiritualis, & intellectualis naturæ, & ideò etiam omni re corporali multò præstantior, idcircò nulla res corporalis est nostro Amore aliquatenùs digna. Non debemus ergò amare nec mancipia, nec animalia, nec sydera, nec elementa, nec aurum, nec argentum, nec quicquam quod potest aliquo sensu apprehendi. Præterea cùm indignum, atque injustum sit, quod res æqualis dominetur æquali, & quia omnis voluntas creata, inquantum creata est, alteri æqualis, ideò nulla creata voluntas est digna nostro Amore, nec debet nostræ dominari voluntati. Solus igitur Deus dignus est, qui à nobis ametur, qui nos possideat, qui nos in se convertat. Nona conditio, quòd Amor hoc habet à natura, quòd semper capit & requirit Amorem, ideò nulla res debet amari, nisi quæ possit Amorem refundere, & uberiùs, quàm acceperit. Nulla igitur res, quæ est nostra volun-

luntate inferior, debet principaliter amari, non elementa, non animantia, non aliqua corporalia, quia Amorem reddere non possunt. DOM. Nihil verius, nam Amor, qui rebus inferioribus, & ratione carentibus attribuitur, maxima damna consequitur. Fit enim degener, fragilis, corporalis. At si versatur circa res humanas, fit humanus, nec fit se melior, nec perfectior. Deus igitur, qui Amorem refundere potest, & multò quàm noster præstantiorem, primò à nobis amari debet, cujus est Amor infinitus, increatus, æternus.

Amor tantùm se dilatat vel amplificat, quantùm se amplificat res primò amata.

CAPUT XXIII.

RÆMUNDUS.

DIxi suprà, quòd Amor mutat voluntatem in rem principaliter, & primò amatam, transit enim totaliter in ejus dominium, & cum ea unitur & complicatur, & idcircò non potest ascendere suprà eam; sed ad quæcunque se extendit res primò amata, ad hæc omnia se Amor extendit. Hinc sequitur, quod res primò amata quantum fuerit communis, & universalis, tantùm & ipse Amor universalis fiet, atque communis. Si res amata fuerit aut particularis, aut privata, Amor erit & particularis, & singularis. Sequitur quoque res primò amata sicut est una, ita generatur & unus Amor in voluntate,

qui est ejusdem cum ipsa naturæ. Et sicut non possunt esse plures res primò amatæ, ita non potest nisi unus esse Amor in voluntate. DOM. Hinc ego colligo, quòd res quæ primò diligitur, fundat, ædificat, & confirmat primum Amorem in voluntate, qui caput sit, & origo omnium aliarum affectionum, quæ pullulant à voluntate. RÆM. Prudenter ergò intelligis, quòd à re primò dilecta generantur in voluntate unus primus Amor, à quo tanquam à radice surgit quædam arbor in anima, quæ per tot ramos se multiplicat, quot sunt res, quæ colligantur cum re, quæ primò diligitur. Verbi gratiâ, ab uno seminis grano surgit arbor cum innumeris ramis, frondibus, floribus, ac fructibus. Quale semen, talis & arbor, & omnia quæ ab arbore procedunt; qualis fons, tales sunt fontis rivuli. Hinc intellige, si Amor tuus fuerit bonus, justus, ordinatus, omnes alii Amores, qui inde procedunt, boni erunt, justi, ordinati. Si malus fuerit & corruptus, reliqui mali sunt, & corrupti. Ex isto consequenter animadvertis, quod necessariò omne illud amatur, quod conjunctum est cum re primò amata, & necessariò odio habetur, quicquid adversetur rei primò amatæ, Idcircò primus Amor, quia solidissimè jungitur cum re amatâ, nulla ratione avelli, aut destrui potest, nisi venerit alia res primò amata, quæ sit ipsâ fortior, validiórque. Quando igitur res primò amata est ipse Deus, qui est summus, virtus, summa fortitudo, summa nobilitas, vera æternitas,

&

& æterna veritas, fit Amor noster fortissimus, nobilissimus, verus, æternus. Et ab hoc Amore pullulant infiniti Amores, eò quod est communissimus, & universalissimus & per cuncta protensus: qui ergò principaliter Deum amat, amat cum Deo, & propter Deum, omnes creaturas, & fit Amor ejus amplissimus, & vehementer expansus. Si pateris, dicam tibi duo exempla, unde breviter, & eleganter ista cognosces. DOM. Libenter te audio, prosequere. RÆM. In Matrimonio vir principatur, mulier subjicitur. Item mulier non potest habere nisi unum maritum, nec potest à marito, quamdiu vivit, separari. Pari modo voluntas subjicitur rei amatæ, nec potest habere, nisi unam rem principaliter amatam, nec ab ea potest quamdiu ipsa duraverit separari. Aliud exemplum, quô meliùs cuncta cognoscas. Demus aliquem hominem pauperem, & genere obscurum, qui habeat sex filias penitùs æquales naturâ, industriâ, ignobalitate, vilitate, quarum una nubat rustico, altera civi, tertia militi, quarta duci, quinta Regi, sexta orbis Imperatori. Licet enim omnes hæ sex filiæ ejusdem sint & generis, & paupertatis, propter viros tamen, quibus nupserunt, una fit alterâ præstantior, nobilior, sublimior. Pari modo intellige de voluntate, quæ vel ascendit, vel descendit juxrei amatæ vel dignitatem, vel ignominiam. Item sicut videmus, quòd sponsa sponso suo copulata, novum qnendam concipit Amorem, qui est primus Amor, virtute cujus amat omnes, qui ha-

bent cum ſponſo ſocietatem, vel amicitiam, vel parentelam. Hos enim omnes antè non amabat, ſed propter Amorem viri nunc ſingulos amat. Quòd ſi vir moriatur, & mulier accipiat alium virum, tunc Amor primus, & omnes alii qui inde originem traxerunt, deſtruitur, & generatur in voluntate mulieris novus Amor, qui etiam radix efficitur aliorum Amorum. Præterea quando mulier virum accipit bonum, divitem, fortem, nobilem, prudentem, tunc ipſa permanet in pace, in requie, in exultatione, in ſecuritate, in affluentia, in omnium rerum copia, quòd ſi nupſerit viro pauperi, caduco, miſero, ignobili, ſordido, contemptibili, ipſa efficietur inops, fragilis, ignobilis, ſordida, contemptibilis, plena cladibus, anguſtiis, & miſeriis. Hæc cuncta, quæ de Matrimonio diximus, applica ad voluntatem, & ad rem primò dilectam, & utrobique optimam invenies conſonantiam. DOM. Capio egregiam ſimilitudinem, ſatis enim ex his, quæ nunc dixiſti, apparet, quòd dum voluntas noſtra principaliter Deum amat, tunc fit ſublimis, nobilis, ſecura, pacifica, quieta, robuſta, plena gaudiis atque divitiis, talis eſt enim ille, quem diligit, quòd ſi amaverit creaturam, cum omnis creatura ſit fragilis, mobilir, fluens, indigens, inſufficiens, tunc ipſa præ inopia tribulatur, contriſtatur, nunquàm ſecura, nunquam pacifica, nunquam firma. Sed quæſo te, ex quo de re primò amata jam ſæpe numero

ro loquuti sumus, quot sunt, aut esse possunt res principaliter amatæ?

Duas tantùm esse res principaliter amatas, & de inimicitia earum adinvicem.

CAPUT XXIV.

RÆMUNDUS.

DUæ tantùm sunt res principaliter à voluntate dilectæ, nec possunt esse plures, sicut nec duo Rectores vel Pontifices unius Ecclesiæ. Hæ duæ sunt vel Deus Creator, vel creatura. Porrô inter creaturas omnes illa res erit primô dilecta ab ipsa voluntate, quæ illi est magis amica, atque propinqua. Verùm quia ipsa voluntas potest reflectere suum amorem ad semetipsam, ideo inter creaturas maximè amabit seipsam, ut amicam sibi, & ut propinquam. Quando igitur Amor Dei in voluntate non est primus, tunc ipsius voluntatis Amor primus efficitur. Et sic homo quando Deum non amat, amat seipsum, & suam voluntatem. & ipsa voluntas se amando in semetipsam convertitur, & facit seipsam suum proprium fundamentum extra Deum. Et quia principaliter solam se amat, ideò cætera, quæ secundariò amat, omnia propter se amat, & in omnibus non nisi se amat, & quicquid vult, propria vult voluntate, quia nullam aliam sequitur voluutatem. Hæc autem talis scelestissima impiissimáque voluntas se solam diligens, se complectens, rapit violenta manu Deo Conditori suum honorem, suam, co-

men, prima rectitudo, prima justitia, prima amicitia, prima fortitudo, prima quies, prima tranquillitas, prima consolatio, prima lætitia, prima virtus, prima veritas, prima vita, & omnium bonorum operum, & cogitationum principium, ita Amor sui ipsius est primum malum, à quo oritur in homine omne malum, prima cæcitas, primæ tenebræ, prima obliquitas, prima injustitia, prima discordia, prima imbecillitas, prima turbatio, prima desolatio, prima tristitia, prima rixa, prima nequitia, prima falsitas. prima mortalitas & omnium malorum operum & affectionum infaustum principium. Amor Dei facit voluntatem hominis justam, sanctam, humilem, benignam, sed Amor sui facit eam injustam, irreligiosam, superbam, turgidam, protervam. Amor Dei facit voluntatem quietam, dulcem, amicabilem, sed Amor sui reddit eam turbidam, amaram, litigiosam, odibilem. Amor Dei facit voluntatem largissimam, amplissimam, capacissimam, sed Amor sui facit eam angustam, coarctatam, constrictam. Amor Dei reddit voluntatem summè liberam, nulli creaturæ subjectam, sed Amor sui subjicit voluntatem omni creaturæ, & famulam constituit, servam, atque captivam. Amor Dei facit eam immobilem, firmam, & perpetua virtute vigentem, sed Amor sui, cùm circa creaturam versetur, quæ vana est, fluida, mobilis, & caduca, reddit voluntatem instabilem, fluctuantem, & omni vanitati subjectam. Amor Dei facit voluntatem unitissi-

mam, atque ideò fortissimam, sed Amor sui facit eam divisibilem, fragilem. Amor Dei facit voluntatem divitem, opulentam, optimis refertam dapibus, sed Amor sui eam vacuam dimittit, esurientem, inanem, & omnibus egentem bonis. Amor Dei facit voluntatem habitare in sua Patria, in suo regno, in sua Domo; sed Amor sui facit eam exulem, advenam, peregrinam, & profugam super terram. Amor Dei facit voluntatem pulcherrimam, & miro decore formosam, Amor sui facit eam horridam, tetram, squallidam, & turpissima contagione fœdatam; postremò, Amor Dei clarissimo lumine irradiat voluntatem, & hominis intellectum, ut noverit homo seipsum, & Deum, & omnia bona, sed Amor sui, qui tenebrosus est, densissima caligine cor hominis ob nubilat, ut nec Deum, nec se, nec omnia sciat. DOM. Reverà præstantissimus sermo tuus, & imis præcordiis reponendus. Utinam mortalis homo hæc animadverteret, desineretque in injuriam summi Dei se tam nequiter adamare. RÆM. Unum adhuc restat, quo Dei Amor maximè commendatur, & Amor sui meritò condemnatur. Amor enim Dei cùm sit universalis, potest esse unus, atque consimilis in multis, imò in infinitis hominibus, quod dum fuerit, tunc necessario pax magna, & vera perpetuáque concordia illo Amore durante inter homines perseverat, sunt enim inter se uniti, quieti, pacifici, læti, jucundi, & de alternis bonis invicem gratulabundi. Sed quando

quis-

quisque primò diligit ſeipſum Amore privato, tunc proprium quærit honorem, ſuum commodum, ſuam voluptatem, ſuam dignitatem, atque impugnat honorem alium, ut defendat ſuum, & odit, atque execratur, & perſequitur omne bonum vel corporis, vel animæ, quod videt in alio, dummodò illud repugnet bono ſuo. Ex iſto privato Amore emergit omne malum, quod contra ſe homines crudeliter admittunt. Inde bella, ſeditiones, ſectæ, inimicitiæ, invidiæ, æmulationes, contentiones, animoſitates, iræ, rixæ, contumeliæ, rapinæ, ſtupra, adulteria, incendia, & mille malorum genera. DOM. Terribile auditu eſt, quod loqueris. RÆM. Atque multò terribilius perpetratu, nam ſi voles cordis oculis intueri, videbis, quòd ab Amore proprio, tanquàm à vipera quadam virulenta, ſeptem mortalia peccata naſcantur, ſub quibus omne vitiorum germen continetur. Homo enim, qui ſeipſum nequiter diligit, diligit corpus ſuum, odit animam ſuam, & ideò propriam excellentiam, quæ eſt animæ, & propriam delectationem, quæ eſt carnis. Et propter iſta duo aut conſervanda, aut augenda, maximam contrahit amicitiam cum rebus externis, cum divitiis, & pecuniis. Pecuniæ enim hominis honorem augent, & voluptatem. Quærit etiam ſcientias, officia, dignitates, quæ ſuum promoveant honorem. Naſcuntur igitur repentè ex Amore privato quatuor corruptiſſima mala, ſcilicet, Superbia, Avaritia, Gula, Luxuria.

Deinde, cui ineſt Amor honoris & voluptatis, neceſſe eſt, ut odio habeat, & perſequatur omne id, quod poteſt ſuum, vel honorem, vel voluptatem deſtruere, ideò concipit gravem iram, quæ eſt Amor vindictæ, & invidiam, quâ dolet de alieno bono, inquantum eſt ſuò contrarium, vel gaudet de alieno malo, prout inde recipit adjumentum. Et quia voluptas corporis torpore, atque otio paſcitur, & labores fugitat, & exercitia, inde Accidia emergit, & negligentia portus omnium vitiorum. DOM. Adeò acerbo animo in privatum Amorem hactenus invexiſti, ut adjutore Deo illum à me velim penitùs abigere, & in ſolo Conditoris Amore vires, animúmque locare.

Fructus, qui ex his duobus Amoribus naſcitur, & de proprietatibus Gaudii.

CAPUT XXV.

RÆMUNDUS.

UT libentiùs faciliúſque poſſis efficere, quæ nunc ſpondes, neceſsè eſt tibi diligenter advertere, qui ſint fructus, qui naſcuntur ex Amore divino, & Amore proprio. Certiſſimum enim eſt, quòd ſicut de plantis atque arboribus expectatur fructus, ita de qualibet alia re inquirimus quem faciat fructum, quam afferat utilitatem? Quia igitur iu noſtra voluntate tanquàm in agro quodam poſſunt plantari duo principales Amores, ſcilicet Amor Dei, & Amor

Amor ſui, ideò ſummoperè conſiderandum eſt, quem fructum afferat Amor Dei, & quem Amor ſui. Et ſicut non poſſunt eſſe niſi duo Amores primi, ita non ſunt etiam niſi duo fructus ultimi, qui inter ſe ſunt omninò contrarii, ſicut & Amores primi. Verùm quia ex omni opere, quod agit homo, non permanet ſecum finaliter niſi Gaudium vel Triſtitia, hoc enim eſt totum lucrum quod defert de laboribus ſuis, ideò Gaudium vel Triſtitia finales ſunt fructus omnium operum humanorum. Nam quicquid homo molitur, quicquid operatur, ad hoc reſpicit, ut gaudeat, jucundetur, exultet. Cùm autem gaudium adeptus fuerit, nihil aliud quærit, nihil aliud concupiſcit, quia nulla poteſt re alia ſatiari. Et quia Triſtitia Gaudio contraria eſt, ideò omnis homo fugit, Triſtitiam, & Gaudtum amplexatur. Veruntamen quia verum gaudium eſt verus fructus hominis bónus, & vera triſtitia fructus verè malus, ideò neceſsè eſt, quòd à diverſis, & contrariis ſeminibus oriantur. Verùm igitur gaudium oritur ab Amore Dei, & vera mœſtitudo ab Amore naſcitur ſui. Et quia Deus eſt immortalis, immenſus, ſummè pulcher, ſummæ potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ, ita Gaudium de Amore Dei & immortale, immenſum, pulcherrimum, potentiſſimum, fructuoſiſſimum, & optimum. DOM. Si Gaudium hominis eſt immortale, ergò eſt voluntas hominis, & per conſequens anima hominis eſt immortalis, quod Epicureorum grex maximè diffitetur. Sed nunc ut

ut cœpisti prosequere. RÆM. Audisti itaque, quia Gaudium est verus fructus Amoris Dei, nunc proprietates hujus Gaudii desideranter adverte. Prima Gaudii proprietas est, quod est ejusdem naturæ ac conditionis, qualis est res primò dilecta, & qualis est primus Amor. Hinc sequitur, quod sicut Amor Dei est semen justum, purum, sanctum, syncerum, immaculatum, atque optimum, ita & Gaudium, quod est ejus fructus, sanctissimus est, & verus, rectus, ordinatus, immaculatus, pulcher, divinus. Hoc autem tale Gaudium includit veram lætitiam, jucunditatem, oblectationem, hilaritatem, tranquillitatem, delicias, jubilationes, suavitates, satietates, & mille bona. Secunda conditio, quòd sicut fructus arborum & plantarum vivificat, nutrit, & sustentat, ita &. Gaudium dat vitam homini atque inde nutritur, & sustentatur cor ejus. Nam sicut Tristitia mors hominis est, ita Gaudium cor hominis confirmat, vivificat, & oblectat. Tertia conditio, quod Gaudium affert homini totum complementum finalis boni sui, nam plenum hominis Gaudium est hominis ultima perfectio, ultima beatitudo, quam cùm habuerit, nihil valet ultra appetere, nihil amplius concupiscere, sicut infra statim patebit. Quarta conditio, quòd sicut Amor Dei est intra nos, ita & Gaudium intra nos est, nec est necesse in rebus externis, in auro scilicet, vel argento, non in gemmis, aut margaritis, non in officiis, aut præfecturis gaudium quærere. Sicuti enim

enim Amor portatur in sola hominis voluntate, ita & gaudium, atque idcircò totum hominis bonum in sola est hominis volnntate. DOM. Errant igitur, qui externa, & caduca fortunæ bona, hominis bona arbitrantur, quíque & ea quotidie quærunt, diligunt, amplexantur. RÆM. Quantùm hi errent, sicut ex præcedentibus, ita & sequentibus luculenter intelliges. Prius tamen quod cœpimus explicemus. Quinta conditio, quòd quantum Amor dilatatur, & crescit; ita & crescit, & multiplicatur Gaudium. Ideò sicut Amor Dei se extendit ad omnes creaturas, inquantùm Dei sunt, & præcipuè ad hominem, qui est viva imago, & similitudo Dei; sic & Gaudium se dilatat ad omnes creaturas, & principaliter ad Imaginem Creatoris, qui est homo. Hinc sequitur, quòd unusquisque homo Deum amans, præter Gaudium, quod concipit deDeo, habet adhuc infinita gaudia de creaturis, & maximè de quolibet homine, qui est proxima imago maximi Creatoris. DOM. Palàm nunc video, quòd de Amore Dei etiam in hac vita homo colligit inæstimabilem fructum. Nam ex quo semper est in amore recto, bono, & suavi, ita est in Gaudio recto, dulci, & optimo secum in corde suam habens vitam, suas divitias, suas voluptates. Nihil itaque extra quærit, nihil concupiscit, nulli invidet, nulli irascitur, nulli contrariatur, sed est plenus suo bono, suo scilicet Gaudio, quod est optima vita cordis. Hoc autem Gaudium potest con-

continuè augeri, & multiplicari, quando Dei imago per homines multiplicatur, ut quot sunt homines, tot Gaudia, & quia numerus hominum potest crescere in infinitum, ita & cumulus Gaudiorum. Beati ergo, qui Deum diligunt, quoniam ftuctum lætitiæ copiosissimum consequentur.

De ultimo Gaudio, quod post mortem erit: de Amore Dei, & salute proximi.

CAPUT XXVI.

RÆMUNDUS.

DIximus paulò ante de Gaudio, quod nascitur de Amore Dei in hac vita, nunc dicemus de Gaudio, quod erit Deo, & proximo, post hanc vitam. Cùm enim Gaudium sit fructus Amoris, necesse est, quòd veniat in tanta plenitudine, ut ultra crescere non possit. Dignum profectô est, ut sicut voluntas hîc inhæsit Deo per Amorem, ita illic inhæreat per Amoris fruitionem. Verùm cùm ex clara Dei visione fit Amor ferventior, nam ex quo Deus est summè pulcher, summè dulcis, summè benignus, bonus, nobilis, & omnium Gaudiorum divitiarúmque plenissimus, ideò quantò perfectius videbitur, tantò ardentius amabitur, & tantò copiosius in ipso anima jucundabitur. Videbimus enim Deum maximum, & optimum facie ad faciem, clara, certa, & perfectissima visione, & tunc mirabitur, & dilatabitur, & jucundabitur cor nostrum. DOM. Sed quæso

ſo te, quomodò audebimus tantam à Deo ſperare gloriam? RÆM. Solo Amore. Niſi enim Deus, quem hìc in fide anima dilexit, oſtendat ſeipſum manifeſta viſione, non compleret nec meritum, nec Jus Amoris. Amor enim verus omnia aperit, omnia ſecreta revelat, hoc Amoris natura requirit. Amor ergò noſter nobis Deum oſtendit, Deum facit videre, amplecti, venerari, & ipſi inhærere, & jugiter delectari. Veruntamen quòniam Deus eſt infiniti decoris, ſuavitatis, manſuetudinis, humiliratis, ſapientiæ, Majeſtatis, & perfectionis, ideò anima illic Deum non amabit propter dòna, quæ contulit, hic enim Amor mercenarius, & impurus eſt, ſed ideò, quia Deus verè ex ſeipſo, & ex ſua immenſa bonitate pleniſſimè amabilis, & amplexibilis eſt. Et ex tali Amore naſcitur perfectiſſimum Gaudium, atque puriſſimum. Hoc autem Gaudium, quia nemo poterit auferre, ideò erit certiſſimum, firmiſſimum & ſummè ſecurum. Et hoc quidem erit Gaudium de Deo. Nunc ſupereſt, ut aliquid de Gaudio, quod ex proximorum felicitate capiemus, breviter, diſſeramus. In illo regno unusquisque tantùm amat alterum, quantùm ſeipſum, & ideò tantùm gaudet de bono alterius, quantùm gaudet de ſuo. Et quoniam illic erunt innumerabiles, quos omnes ut nosipſos diligemus, hinc ſequitur, quòd æqualiter de illorum felicitate, ut de noſtra gaudebimus. Non modò ergò Gaudium noſtrum duplicabitur, aut triplicabitur, ſed in mille

mille jubilos, imò infinitos excreſcet ſupra menſuram Gaudiorum, quæ de propria beatitudine ſinguli obtinebimus. Cùm igitur nemo illic ſit, qui ſuæ felicitatis Gaudium ad liquidum concipere poſſit, vide nunc, quomodo capiat in aliis tantorum gloriam Gaudiorum. Præterea cùm illic quilibet plus immenſum Deum amet, quàm ſeipſum, & omnes alios ſecum, inde ſequitur, quòd ſine comparatione plus gaudebit de felicitate Dei, quàm de ſua, & omnium aliorum ſecum. Certè nunc vidiſti magnitudinem, & multitudinem Gaudiorum poſt hanc vitam. Quid nunc animi habes? DOM. Optimi nunc certè animi ſum. Sed de corporibus noſtris quid obſecro futurum reris? RÆM. Noli hinc aliquatenus trepidare. Ipſa enim anima, quæ in cœlis Deum amat, amat & corpus ſuum, vult ergo, ut reparetur, & ſibi reſtituatur, ut totus homo in integrum vivat, & feliciter vivat. Quia ergò anima vult, ut corpus reparetur, ineò & reparabitur, quia voluntatem ſe amantium Deus faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Ut igitur animæ Gaudium compleatur, recipiet ſuum corpus, non quale nunc eſt grave, paſſibile, mortale, ſed pulchrum, decorum, formoſum, inſtar ſolis lucidum, immortale, impaſſibile, agile, ſubtile, ſpirituale, & animæ operationibus maximè conforme. Præterea, cùm anima amet omnes creaturas, inquantùm Dei ſunt, ut de ſuo Amore amplius gaudeat, ideò totus Mundus debet in melius renovari, & veſtem induere jucunditatis, & perpetuæ

tuæ pulchritudinis. Nam ſicut totus homo in anima, & corpore ad ſublimiorem, & nobiliorem ſtatum reformatur, ita & totus mundus, qui propter hominem factus eſt, quaſi de regis ſui, hoc eſt hominis felicitate congratulans, novis incorruptionis veſtibus inducetur. DOM. Meritò id quidem: Sicut enim omnia profluunt ex Amore, Amor autem generat de ſe Gaudium, qui eſt fructus ejus, ita ex conſequenti ſunt in gaudio omnia, ſicque diſponuntur, ut ex ipſis ſequatur Gaudium maximum, quod eſt fructus omnium. Sed quid tibi nunc ſubito contigit, rogo, quòd facies tua triſtibus rugis obfuſcatur? Acerbum neſcio, quid nunc loquuturus es.

Fructus, qui naſcitur ex Amore ſui & proprietates ejus.

CAPUT XXVII.

RÆMUNDUS.

VErum, dicis: Nam de fructu amariſſimo, qni de amore ſui naſcitur, dicturus, acerbitatem ejus ſolo odoratu præſentiens, olfactus mihi omnis & guſtus amaricatus eſt, credo & te quoq; eadem paſſurum. Amor ſui etiam de ſe Gaudium generat, qui enim id fuerit adeptus, quod amabat, aut certiſſimè ſe adepturum ſperat, neceſſe eſt ut gaudeat. Cùm enim quis amat ſuam excellentiam, ſuam laudem, ſuam corporis voluptatem, amat quoq;, omnia externa

bona. quæ vota sua promovent, & perficiunt. Et quia hæc omnia adipisci possunt, ideò potest in hac vita homo gaudere, gestire, tripudiare. Verùm, quia hæc omnia amitti possunt, destrui derelinqui, & homo id odit, quod potest hæc sua bona destruere, ideò ex tali Gaudio nascitur amara tristitia, anxietas, invidentia, sollicitudo supervacua. DOM. Hinc intelligo, tale Gaudium miserum esse, superfluum, caducum, falsum, sophisticum, quod intùs abscondit inexpiabilem calamitatem, & cladem. RÆM. Melius istud intelliges, dum hujus Gaudii proprietates clarius intraspexeris. Prima hujus Gaudii conditio est, quod sicut Amor proprius est inordinatus, injustus, falsus, tortuosus, corruptus, & immundus, ita est & Gaudium, quod ex ipso generatur. Item sicut Amor sui est omnium pessimus, nequissimus, malignissimus, prima mors, prima cæcitas, prima calamitas, & omnium malorum, mendaciorúmque fontalis origo, ita est & Gaudium, quod emergit ab ipso. Præterea sicut amor sui est edirectò contra Deum, & in Deum acriter rebellis, aufferens, quantùm, in se est, Deo suam coronam, & gloriam, ita & istud Gaudium inimicatur Deo, sitq; homo multò amplius contrarius Deo, turpiter contra eum gestiendo, quàm nequitur amando. Hoc enim Gaudium contemptum gignit, injuriam omnium maximam. Nihil tam improbum, tam pervisum, quam lætari hominem cùm malè fecerit, & exultare in rebus pessimis. Grande enim malum, amare aliquid contra Deum:

Deum, ſed longè graviſſimum, lætari, exultare, geſtire, complacere. Hoc enim venenum mortiferum eſt, & inſanabile, & æternæ damnationi proximum. DOM. Fœtorem, acerbitatémque hujus peſſimi fructus etiam nunc ipſe percipio, unde & nares, atq; ora ocyùs obfirmo. RÆM. Expecta quæſo parúmper, & multò amariora cognoſces. Sed ut perfectius id fiat, duo hæc Gaudia, ſcilicet quod eſt de Amore Dei, & quod naſcitur de amore ſui, contra ſe colliocemus, ut magis cognita eluceſcant. Primum Gaudium oritur de juſtitia, de veritate, & bonitate, de æternitate, de pulchrorum omnium radice; ſed ſecundum Gaudium naſcitur de injuſtitia, de falſitate, de vanitate, & de malorum omnium ſcaturigine. Primum Gaudium oritur ex Deo, & eſt ſecundum Deum, alterum oritur ex diabolo, & eſt contra Deum. Primum conſolidat, reficit, ſatiat, unit hominem cum Deo, augétque & multiplicat amicitiam Dei, ſecundum dividit, elongat à Deo & hominem Dei inimicum conſtituit. Primum eſt ſecundum hominis naturam, & ſecundum ordinem univerſi, ſed alterum eſt contra hominis naturam, & contra ordinem univerſi. Primum poteſt haberi de amore Dei gratìs, ſine labore, ſine expenſis, ſine aliorum adminiculis, ſed ſecundum non habetur, niſi cum labore, cum anxietate, cum mœrore, cum odio, cum aliorum damno & multis rerum temporalium expenſis. Primum facit hominem benignum, manſuetum modeſtum, ſuavem, mitem, & humilem, ſe-

cundum verò immisericordem, immitem, crudelem, turgidum, inflatum, superbum. Primum gaudium auget, conservat, multiplicat unitatem, pacem, concordiam, amicitiam inter homines, secundum multiplicat offensiones, inimicitias, sectas, discordias, rixas inter homines & omne malum. Primum gaudium est vitale, salutiferum, desiderabile, gloriosum, honestum, secundum mortiferum est, ignominiosum, aspernabile, inglorium, inhonestum. Et breviter, ut omnia in summa referam, primum Gaudium auget amorem omnis boni, & illuminat, lætificátque intellectum. Secundum sentina est omnium malorum, & omnium vitiorum nequissimum desiderium, animum hominis tenebrosa caligine vehementer obscurans. DOM. Utinam totus terrarum orbis exaudiret has voces tuas! Credo desineret nequiter se amare, se vanis speciebus & gaudiis attollere, solum Creatorem in reliquum amantes, in ipso solo sperantes, gaudentes, exultantes.

Quisnam fructus post hanc vitam ex Amore sui nascatur.

CAPUT XXVIII.

RÆMUNDUS.

OPeræ pretium erit, nunc advertere quem fructum pariat amor sui post hanc vitam. Sicut suprà patuit, Amor Dei gignit post hanc vitam æternum & infinitum gaudium, ita Amor sui, qui Dei amori contrarius est, gignit post mor-

mortem, æternam infinitámque trîstitiam. Carentia enim immensi gaudii immensam mœstitudinem coarguit, & omnis mali præsentiam. Duobus enim modis contingit aliquem vehementer tristari. Primò, quando ea re carere compelitur, quâ maximè delectatur, & quæ sibi est plurimum necessaria. Secundò, quando id semper cogitur possidere, quod summè odit & aspernatur, & quod suæ naturæ vehementissimè contrariatur. Et tunc excedit omnem mensuram miseriæ, quando hoc malum, quod homo cogitur retinere, suæ est insitum voluntati. Nunc pauca de primo. Post hanc vitam anima nihil habebit eorum, quæ hîc vitiosè dilexit, non laudem, non gloriam, non voluptatem, non aurum, non argentum, non famam, non scientiam &c. Et quia anima erit exuta carne tenebrosa, ideò clarissimè seipsam cogitabit, se cognoscet, & intelliget, ad quid creata fuerat, & quantum erat bonum habitura, quod & perdidit & quare perdidit, cognoscétque, quòd ipsa suo vitio infinitum bonum perdidit, quod in æternum recuperare non poterit. Et licet immenso desiderii æstu hoc bonum appetat, cùm illo carere nequeat, intelliget tamen, se id nunquam accipere posse, & ideò suprà quàm credi potest, dolebit, anxiabitur, contristabitur.

DOM. Revera, incomparabilis miseria, & tristitia inæstimabilis, summo bono vehementer egere, illud votis omnibus exposcere, desiderare, nec tamen aliquando acquirere posse.

RÆM. Secunda tristitia est, quando anima id semper

cogitur retinere, quod omnium maximè odit, atque aspernatur. Post hanc vitam (ut dixi) anima plenissimè se cognoscet, & ideò videbit se, suámque voluntatem Deo inimicam, tortuosam, sibi ipsi contrariam, inordinatissimam, turpissimam, perversissimam. Hæc itaque in se considerans, se vehementer odio habebit, aspernabitur, & execrabitur. Hunc enim malorum suorum fœtorem turpissimum, continuum geret in naribus suis, nec à se poterit expellere in æternùm. In tantùm enim seipsam, & suam deformitatem odio habebit, ut cupiat penitùs non esse, non natam fuisse, Deum vindicem funditùs interire, Angelos omnes & Beatos secum in tartara demergi, & omnem creaturam in nihilum redigi &c. Verùm, quia hæc fieri non poterunt, ideò intolerabili mœrore perfusa, amarissima confusione tabescet, frendens, indignans, & blasphemans. DOM. Meritò hæc illi miseræ contingunt, ut quia priùs amavit seipsam, & omnia alia propter se; ita posteà incipiat primum odisse seipsam ut deinceps omnia alia odio habeat propter se. Ut sicut prius non gaudebat nisi de se, & propter se, ita postmodum non tristetur, nisi de se, & propter se. Et sicut priùs omnia sibi propter se placuerunt, ita omnia postmodum sibi propter se displiceant. Et quæ antea se fecerat ut DEUM, se primùm amando, sibi & honorem & gloriam tribuendo, ita tandem fit sub se vilissimè dejecta, contemptibilis, ignominiosa, ingloria. Sed ne te impediam, quod cœpisti, prosequere. RÆM. Ani-

nc transſiens ad infernum, ſecum defert ſi-
udines, & imagines operum ſuorum, quæ
fuerunt contra DEUM, contra juſtitiam,
ra veritatem, atque ideò erant deformia,
ida, falſa, abominata. Cùm igitur hæc
ra ſua continuò ante oculos ſuos habeat, &
petuò habeat, ideò erit in continua perpe-
que mœſtitia, & omnis ejus recordatio,
nis viſio, omne ſuum nolle & ſuum velle, &
icquid in ipſa eſt, erit illi ſummè acerbum,
nmè amarum, infinitæ cauſa mœſtitiæ & an-
ſtiæ. DOM. Hinc manifeſtè colligimus,
iòd anima humana hìc vivens contra DEUM
malè operans, theſaurizat ſibi iram in die iræ,
aggregat ſibi æternam miſeriam, anguſtiam,
iſtitiam, & condit, conſtituítque ſibi ipſi ſuam
œnam, ſuam gehennam, ſuam flammam.
ÆM. Optimè colligis: verùm ut hujus mœ-
oris ac mœſtitudinis poſſis efficacius magnitu-
dinem agnoſcere, duo tibi exempla ſubjiciam,
Primum eſt, Omnis homo, quantúmlibet malus,
abhorret omnem turpitudinem in rebus ſuis, &
quantò res illa ſibi fuerit propinquior, tantò
magis odit illic ineſſe turpitudinem. Odit
enim turpitudinem ſuæ domûs, ſuæ conjugis,
ſuæ ſobolis, maximè autem ſui corporis. Ita
& anima poſt hanc vitam ſuam turpitudinem
aſpiciens, vehementer aſpernabitur, nec ùlla
ratione poterit ſuſtinere. Videbit enim tan-
quàm in libro omnia ſua mala conſcripta, quæ
contra juſtitiam geſſit & pietatem, & ei ſine ter-
mino diſplicebunt. Non tamen ideò, quia

 Deum

DEUM offenderit, ſed quia de ſua natura deformia ſunt, & omni odio digniſſima. Secundum exemplum: Anima ſentit corporis dolores, paſſiones, infirmitates, & de his plurimùm contriſtatur: ergò multò amplius in inferno ſuam ipſius ſentiet infirmitatem, ſuam fœditatem, corruptionem, perverſitatem, malignitatem, & impietatem: & immenſo mærrore atque perturbatione percuſſa caſſos erumpet in gemitus, & ſuas clades querulabitur. DOM. O! omnium infeliciſſimam animam, quæ propter momentaneum, neſcio quid gaudii in tam immenſas mœſtitudines eligit deſtinari.

DEUS Creator, & omnes creaturæ, opus quoque ipſum, animam miſeram perſequentur.

CAPUT XXIX.

RÆMUNDUS.

NOn ſolùm quidem animam condemnatam ſuæ nequitiæ perſequentur, ſed etiam à Creatore, & à creaturis, & ab ipſis ſui corporis membris dolores maximos ſuſtinebit. Primò à Creatore: Nam, ex quo ipſa ſuperba DEUM deſpexit, & ſeipſam ut DEUM amavit, coluit, & exaltavit, ſeque pro Deo ab aliis amari, & honorari voluit. Deinde, quia ſe inimicam Dei capitalem ſuam illi gloriam aufferendo conſtituit. Tertiò, quia in ſuo honote, & voluptate maximè gaviſa ſit. Quartò, quia innumeris Dei beneficiis ingrata extitit, & ipſis tamen

uſa beneficiis, authorem tantorum munc-
contempſit. Quintò, quia Deum omnium
gniſſimum, dulçiſſimum, optimum, à
mente nequiter excludens, & ipſum deor-
deprimens ſe ſuper illum erexit. Sextò,
›d ſuam voluntatem ſtatuens, Dei Creato-
voluntatem rejecit. Septimò, quòd Creato-
ſui imaginem nobiliſſimam, & pulcherri-
m tam fœdis, & nequiſſimis maculis deni-
ıvit. Octavò, quòd infinitam offenſam, &
gratitudinem infinitè contempto Deo incur-
re non pertimuit. Quia igitur contra Deum
nta mala commiſit, idcircò infinita tormen-
ı promeruit, & toties hæc ipſa tormenta cu-
ıulavit, & auxit, quoties auxit offenſam,
tque injuriam. Si enim, qui criminis læſæ Ma-
eſtatis reus eſt, capite truncatur, quæ ſupplicia,
quæ tormenta animæ debentur, quæ ſummam
Majeſtatem, & immenſam Dei potentiam con-
tempſit, & repulit? Meruit igitur iram Dei,
vindictámque perpetuam. Deus igitur cùm
ſit omnipotens, poterit, & cùm ſapiens, ſciet,
& cùm ſit juſtus, volet animæ contemptri-
ci & inimicæ ſuæ pœnam pro reatu infligere
ſempiternam. DOM. Hinc clarè patet,
quòd præter triſtitiam perpetuam, quam ſibi
fecit, ſuam amando voluntatem, habet etiam
aliam triſtitiæ miſeriam, per juſtitiam Dei ſibi
inflictam, quàm promeruit Deum contemnen-
do, & rebellando. Sed dic mihi obſecro,
qualem pro contemptu ſuo Deus pœnam animæ
peccatrici irrogabit? RÆM. Pœnam infer-
 ni,

ni, pœnam ignis perpetui. Quia enim omnium rerum Creatorem contempsit, ideò sub omni creatura projicietur in locum infimum, & à cœlo remotissimum, in medio terræ, in loco tenebroso, horrido, profundo, infernali, & acerbissimo. Illuc in suum contemptum omnium rerum corporalium fæces descendent, in quibus ipsa immergetur, & ab ipsis vilissimis fæcibus pascetur. Et quia justum est, quòd omnis delectatio per tristitam contrariam puniatur, & quia inter omnes creaturas ignis est maximè afflictivus, ideò ipsa maligna delectatio corporalibus flammis, quæ semper ardeant, & in æternum non possint nec extingui, nec minui, semper torquebitur. Huic igni ardentissimo anima inseparabili unione colligabitur, qui eam semper adurat, nec consummat aliquando. DOM. Quomodò potest anima, cùm sit spiritualis naturæ, ab igne corporeo tormentari? quomodò potest agere id, quod corporeum est in animam spiritualem? RÆM. Non nè aquæ baptismatis operantur in anima, agente invisibili verbo, dum corpus tingunt, & cor abluunt? Quòd si alium liquorem, puta vinum, aut oleum adhibueris, nihil tale continget. Sicut igitur aqua mediante verbo animam purificat, ita operante Deo ignis gehennæ animam cruciat, & contristat. Et meritò id quidem, nam sicut ipsa cùm spiritualis naturæ, potuit, & voluit in rebus corporalibus delectari, ita etiam poterit, licet nolit, ab ipsis per justitiam puniri, atque affligi. DOM. Capio quod

d tu dicis. RÆM. Habet ergò quomodò
nam impium Deus Creator persequitur.
di nunc secundò, quomodò eam persequun-
& creaturæ. Quia enim amando suam vo-
ıtatem, & suam laudem Deum opi-
em nequiter contempsit, ideò etiam contemp-
omnes creaturas, & se illis inimicam consti-
it, & maximam illis injuriam intulit, quòd
ıs suprà Creatorem amaverit, & ipsis in de-
ectum Dei turpiter abusa sit, idcircò armabi-
ır omnis creatura ad ulciscendum, & pugna-
it pro Deo orbis terrarum contra animam
nsensatam. A nulla ergo creatura aliquid reci-
piet aut solatii, aut auxilii, sed sicut antè in
omnibus est delectata, ita in omnibus sit affli-
cta, imò etiam maximè à semetipsa. Erit enim
sibi armata, molesta, odiosa, quæ priùs tan-
tùm se amaverat, tantùm extulerat. DOM.
O omnium miserrimam! cui & Creator, & crea-
tura omnis, & ipsa sibi ipsi molestiam inferent
mœstitudinem, & angorem. Sed nunquid &
suum corpus ipsa recipiet ad tormentum?
RÆM. Imò verò recipiet, & ad maximum tor-
mentum, & hoc est tertium, quod animam perse-
quetur. Nollet enim corpus, in quo se semper
novit arsuram, recipere, sed quia hîc egit con-
tra voluntatem sui Conditoris, ideò illic & Con-
ditor aget penitus contra voluntatem suæ con-
temptricis, & restituet ei suum corpus, in quo,
& cum quo DEUM despexit, & sibiipsi com-
placuit. Sed, quale putas corpus recipiet? Certè
omnino tale, quale ipsa maximè nolit. Accipiet
cr-

ergò corpus caducum, fragile, paſſibile, ſed ut contriſtetur magis, ideò erit immortale. Erit quoque obſcurum, obſcœnum, tenebroſum, tardum, grave, ſpiſſum, horridum, deformiſſimum. Si ſummam eorum, quæ in hac diſputatione diſſerui meminiſſe volueris, facile ex iſtis duobus Amoribus duas invenies eſſe civitates, quæ utrique Amori reſpondeant, & utrique conveniant Amatori. DOM. Has quidem civitates licet aliquantulùm viderim, cupio tamen eas mihi apertiùs oſtendi. RÆM. Duo primi Amores, Amor ſcilicet Dei, & Amor ſui, cùm ſint inter ſe plurimùm contrarii, duas inter ſe contrarias gentes inſtituunt, quæ quia capitales ad invicem ſunt inimici, ideò neceſſe eſt, duas eſſe contrarias civitates longiſſimè à ſe diſtantes, quæ in æternum has gentes abinvicem ſeparent, & ſecludant. Omnes enim homines, qui ſeipſos amant (quia unius naturæ ſunt) in unam harum claudentur civitatum, qui verò Deum amant, levabuntur in alteram: Amantes ſeipſos tanquam Dei hoſtes remotiſſimè à Deo projicientur: Amatores autem Dei cum ipſo propinquiſſimè locabuntur. Illi in infimo præcipitati in inferno jacebunt: iſti ſuprà omnes cœlos ſublati in altiſſimis conregnabunt. Illi ſubter omnem creaturam projecti deliteſcent, iſti ſuprà omnem creaturam erecti alacres ſubſilient. Illi ſicut habuerunt amorem ſtrictiſſimum, ita & arctiſſimum habebunt locum, iſti quia habuerunt ampliſſimum Amorem, ita & latiſſima cœlorum regna poſſidebunt. Illi quia ha-

runt Amorem terrestrem, & gravem (ni-
im est amore proprio ponderosiùs (ideô
ı naturæ descendent; isti quia habuerunt
em Dei, qui levis est, & facilis, ideò ad
na loca conscendent, ut sint levia sur-
& ponderosa deorsum. DOM. Facilè
has duas civitates intueor, quarum una
ıdii, altera mœroris, una dilectionis, al-
dii, & rancoris. Una vitæ perpetuæ,
mortis sempiternæ. Una, in qua recipian-
ıici, altera, in qua præcipitentur inimici.
bonorum omnium, altera malorum.
palatium regnantium, altera carcer præ-
ıtorum. Una, in qua superfluit bonum
, altera, in qua redundat omne malum.

homo obligatur ad Amorem, ita
etiam ad Odium: & de Odii pro-
prietatibus.

CAPUT XXX.

RÆMUNDUS.

set, quidem nunc meritò hujus Dialogi finis,
nisi congruum foret, ut sicut de Amore, ita
: Odio etiam pauca dicamus. Uno enim
o, alterum clariùs elucescet. Nam sicut
ntas humana Amorem habet, ita habet &
um. Amor tamen primum obtinet locum,
um verò secundum. Quòd si volueris hu-
Odii virtutes, & proprietates agnoscere,
moris proprietatibus eas facilè deprehen-
des.

des. Quarum prima est. Sicut homo obligatur ad amandum Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute, studiosè, fortiter, indesinenter, ita homo obligatur de jure naturæ ad odiendum, quicquid est contra divinum honorem, ex toto corde, mente, & virtute. Secunda conditio, sicut homo tenetur amare omnem creaturam, inquantùm Dei factura est, ita nullam potest odisse, sed sicut primò amat omnium rerum Factorem, ita secundò omnes debet amare Facturas. Tertia proprietas. Sicut homo tenetur primò amare Deum, ita debet primò odisse quicquid est contra Deum, debet ergò odisse principaliter propriam voluntatem, proprium amorem, honorem, gloriam, laudem, & voluptatem. Quarta conditio, sicut homo tenetur primò amare Deum, & omnia quæ Dei sunt; ita tenetur abominari propriam voluntatem, & omnia, quæ eam propinguiùs comitantur, avaritiam, invidiam, iram, invidiam, luxuriam &c. ex quibus omne malorum germen emergit. Nam, sicut ex uno Amore multi Amores, ita ex uno Odio multa Odia generantur. Quinta. Sicut ex propria voluntate nascitur Dei contemptus, Dei offensa, Dei gravis injuria, ideò tenetur odisse tota virtute Dei offensam, & Dei injuriam. Sexta. Sicut homo obligatur immediatè post Deum amare suam imaginem vivam, ita & debet odisse omne id, quod potest hanc imaginem deformare, denigrare, destruere, qualia sunt vitia, peccata, delicta. Ex isto sequitur, quòd sicut homo te-

tenetur diligere omnem alium hominem sicut seipsum, ita omne malum alterius & incommodum debet execrari sicut suum. Septima est, quòd sicut Amor unit amantem cum amato, ita Odium dividit odientem à re, quam habet odio. Et sicut omnis unitio, vel conjunctio fit per Amorem, ita per Odium fit omnis separatio, atque divisio. Octava. Sicut Amor induit amantem re amata, & in se transformat, ita Odium expoliat voluntatem à forma rei exosæ, & longiùs à se projectat. Nona. Sicut Amor non potest cogi, nec violentari, nec restringi, sed pergit liberè, quocunqne pergit, ita & Odium cogi non potest, nec coarctari. Decima. Sicut tantùm se extendit Amor, quantùm & res primò amata, ita etiam tantùm se Odium extendit, quantùm se extendit res principaliter exosa. DOM. Notatu dignissimæ hæ sunt Odii proprietates, & intimis visceribus collocandæ.

Duo esse prima Odia, sicut duo primi Amores, & de Odiorum fructibus.

CAPUT XXXI.


RÆMUNDUS.


NUnc de duobus Odiis & Odiorum fructibus pauca dicamus. Sicut sunt duo primi Amores, Amor scilicèt Dei, & Amor sui, duo sunt Odia prima, Odium Dei, & Odium Et sicut duo isti Amores sunt inter se con-

tra-

trarii, & capitales inimici, ita hæc duo Odia maximè contrariantur. Sed Amor Dei, & Odium sui optimè conveniunt, & fiunt homini in salutem, ita & Amor sui, & Odium Dei invicem copulantur, & fiunt homini in perditionem. Et ideò, qui recedit ab Amore sui, necessè est, ut pergat in Amorem Dei, & qui recedit ab Amore Dei, pergit periturus in Amorem sui. Similiter, qui recedit ab Odio sui, vadit miser in Odium Dei, & qui recedit ab Odio Dei, pergit feliciter ad Odium sui. Sed in isto progressu hanc intellige differentiam, quam etiam in aqua reperies. Aqua per se currit ad frigiditatem, sed violenter inducitur ad calorem. Ita voluntas humana per se vadit ad Amorem sui, & illic sine adminiculo commoratur, sed ad Amorem Dei currere non potest, nec illic persistere, nisi ejus adjutorio pertrahatur. DOM. Hoc postremum humilitatem redolet, & instruit ad timorem. Qui enim Dei adjutorio destituitur in sui ipsius Amorem relapsus, ad Dei gratiam nec venire poterit, nec etiam si venerit, permanere. Sed nunc de Odiorum fructibus, quod pollicitus es, exequere. RÆM. Odiorum fructus ex amorum fructibus, quos suprà longo sermone disserui, poteris intueri. Nam sicut Amor Dei est optimus, ordinatus, justus, sanctus, & sic de cæteris, ita Odium Dei è diverso est pessimum, inordinatum, injustum, impium, & sic de aliis conditionibus appositis, & sicut Odium propriæ voluntatis est bonum, sânctum, meritorium, ita

nor sui malus est, sacrilegus, & perditis-
Quia igitur ex bono Amore oritur O-
bonum; & ex malo malum, ideò con-
er dicimus, illos fructus nasci ex bono
, qui nascuntur ex Amore bono, & illos
lo Odio generari, qui generantur ex
e perverso. Certè nunc audisti, quæ te
nore, deque Odio scire oporteat: puto non
am me tibi hodie disputationem texuisse.
1. Imò verò gratissimam, nec potest quic-
sanctius, salubriúsve dici, quàm quod
die dixisse gratulor. RÆM. Non minus
er auditurus es, nec minus utiliter, quæ
meridiem sumpto prandio loquuturus sum.
m quia ad cibum nos nunc & fames ipsa,
qus invitat, paululùm ab studio animum
temus. DOM. Licet optimo me nunc
qui mentem nutrit, saginaveris, nec
gnoperè carnalis me mensa delectet,
libens tamen tecum ad prandium
comitabor.





QUARTUS DIALOGUS.

Quomodo debeamus Deum timere, adorare, laudare, honorare.

Alia quædam debita, ultrà Amorem, quæ homo tenetur reddere Creatori ſuo.

CAPUT XXXII.

RÆMUNDUS.

RESumptis jam à menſa paululùm viribus, digniſſimum duxi tibi nunc demonſtrare alia quædam debita, præter debitum amoris, quæ meritò obligatur homo ſuo reddere Creatori. Tu quæſo diligenter auſculta. DOM. Non neceſſe habes addere calcar equo ſponte currenti: Tu tantùm ne fatigêris rogo. RÆM. Cùm igitur homo ſit digniſſimum opus maximi Creatoris ſui, ideò quidquid ab illo in ſe accepit, quidquid etiam poteſt, totum obligatur reſtituere, & refundere in obſequium artificis ſui. Opus enim ſeu factura intellectualis, qualis eſt homo ex parte animæ, tenetur non ſolùm Amare factorem ſuum, ſed etiam Timere, laudare, honorare, glorificare, adorare, ſupplicare,

re, orare, deprecari, credere, confidere, magnificare, benedicere, & pro acceptis beneficiis gratias agere, gaudere, & exultare. Quid enim debet creatura aliud Amare, quàm dominum Creatorem suum? Quem alium debet ipsa factura vel timere, vel laudare, vel magnificare, vel supplicare, vel adorare, vel deprecari, quàm ipsum optimum, & unicum factorem suum, à quo accepit imaginem Dei vivam, intelligentem, amantem, memorantem? à quo est homo supra cæteras res nobilius conditus, ferventius amatus, omnibus præpositus, ad suam amicitiam vocitatus, & cum illo in æternum regnaturus. DOM. Revera is tantus opifex, tam munificus, tam summè benignus. meritò est ab homine diligendus, metuendus, honorandus, & pro immensis acceptis beneficiis jugiter collaudandus. RÆM. Hinc jam pulchrè ex his proprietatibus, quas in se homo accepit, potest agnoscere, quas suus Conditor in se habeat proprietates, & quid illi jugiter teneatur offerre. Nihil medium inter DEUM & hominem, ideò inter eos est proportionalis, correspondentia, & idcircò ex conditionibus quas in se habet homo, in quantum homo, potest arguere conditiones, quas in se retinet Deus. Sequitur ergò, quòd sicut homo potest amare, cognoscere, timere, deprecari; ita Deus est amandus, cognoscendus, timendus, deprecandus. Homo potest laudare, benedicere, admirari, & gratias pro beneficiis agere: ergò Deus est laudandus, benedicendus, admirandus, & regratiandus,

Homo poteſt credere, ſperare, confidere: ergo Deo eſt credendum, in ipſo ſperandum, & confidendum. Homo ſemper quærit veritatem, diligit bonitatem, amplectitur fidelitatem: ergò Deus eſt verax, & bonus. & fidelis. Homo poteſt in immenſum concupiſcere: ideo Deus poteſt in infinitum concupita tribuere. Homo poteſt benefacere, & beneficia multa mereri: ergo Deus poteſt ipſum remunerare, & beneficia copioſa largiri. Homo poteſt peccare, poteſt cadere, poteſt reus exiſtere: ergó Deus poteſt peccantem punire, lapſum erigere, reum juſtè torquere. Homo poteſt poſt reatum veniam petere, ideò Deus poteſt ut miſericors veniam donare. DOM. Verba tua lucent & ardent. Lucent, ut Deum videam, ardent, ut Deum diligant. Atque ex hoc tuo principio magna conjicio te dicturum.

Unumquodque debitum habet per ſe propriam rationem ſpecialem, quare debeat DEO dari,

CAPUT XXXIII.

RÆMUNDUS.

LIcet ratione obligationis Amoris homo teneatur etiam Deum timere, honorare, laudare, &c. tamen unumquódque iſtorum debetur Deo propria & ſpeciali ratione: Alia eſt enim ratio, quare debet Amari, alia quare Timeri, & alia, quare Honorari. Ideò enim Deus debet principaliter Amari, quia ipſe eſt ſummè

&

ʒulariter bonus, dulcis, ſuavis, munificus, is, pius, atque præſtabilis. Debet etiam nitum Amari, quia in infinitum bonus eſt, s, & ſemper bonus. Secundò. Deus demeri, quia Deus eſt dominus omnipotens, us, fortis, terribilis, qui poteſtatem habet is & animam perdere in gehennam ignis. a ipſe eſt infinitus, & primus, & ſolus, & dominus, ideò eſt in infinitum, & princir, & ſolus, & veraciter metuendus. Ter- Deus eſt Honorandus, eò quòd eſt ſum- omnium rerum principium. Et quia eſt primum, & immenſum, & ſolum, & ve- rincipium, ideò eſt primò, & ſolus, & vero honorandus. Quartò Deus eſt Laudan- & Glorificandus, quia eſt omnium rerum ditor admirabilis. Et quia ipſe ſummus eſt, timus, & ſapientiſſimus, & primus, & ſolus x, ideo ſummè, & ſapienter, & ſingulari- udandus eſt, & glorificandus, & admiran- Quintò, Deus etiam Credendus eſt, verax eſt. Et quia ipſe eſt ſumma, & infini- prima veritas, ideò ſumma, & maxima ei t credulitas adhiberi. Sextò, in Deo quo- Sperandum eſt, quia poteſt, & novit, & cu- ıvare, liberare, redimere, conſolari, ſal- . Et quia ſolus, & ſummè, & ſemper omnia ſt, ideò ſummè, & ſingulariter, & ſemper ſo ſperandum eſt, & confidendum. Poſ- per ſingula diſcurere, ſed puto competenter pauca ſufficere. DOM. Saluberrima t verba, quæ loqueris, & quæ maximè conde-

cet hominem, qui ſummi Conditoris plaſma nobiliſſimum eſt, agnoſcere. Huic enim ſoli competit dominum Deum ſuum amare, timere, honorare, revereri, à quo & ipſe prius amatus, ſublimatus, ditatus, & mille beneficiis nobilitatus eſt.

De duplici Timore, & eorum conditionibus & fructibus.

CAPUT XXXIV.

RÆMUNDUS.

NUnc ſupereſt, ut in ſpeciali de Timore, déq; Honore aliqua diſſeramus. Et primò de Timore. Cum enim Amor ſit principale debitum, ad quod obligatur homo, ideò ad ipſum ſequuntur omnia alia debita, nec quicquam poteſt donum vel debitum apellari, niſi ratione Amoris. Et ideò, ſi non amaveris Deum, dignè timere, nec honorare poteris. Nam ſine Amore Timor acerbus eſt, & pœnam habet, & honor adulationem redolet, non venerationem. Nota ergo differentiam Amoris & Timoris. Amor enim donum liberale eſt, & cum ſumma exultatione Deo tribuitur, ſed Timor, ſi ſolus fuerit, cum fatigatione Deo donatur, & ſine fructu. Si verò jungatur Amori, tunc ſpontaneus fit, & à ſervitute manumiſſus, & omnem mœrorem convertit in Gaudium. Alia diſſerentia Timoris & Amoris eſt. Nam Amor Dei multiplicatur in infinitum, ſed Timor Dei non ſe extendit, niſi ad

ım ſolum. Qui enim unum Deum Crea- diligit, multa per illum & propter illum , ſed qui Deum ſolum metuit, nihil præ- m vel cum illo metuit. Et ſiç Amor ſe ex- ad omnia, ad quæ res amata, ſed Timor a. Optima tamen eſt miſtura Amoris Timore, quia Timor unit & complicat ·em fortius cum amantiſſimo Conditore. ue Timor & Amor ſunt quaſi duæ catenæ, colligant ipſam hominis voluntatem cum & ſeſe mutuò fortificant. DOM. Intùs ,quod dicis. Ex quo enim creatura ratio- ſacta eſt de nihilo, & Deus Conditor infini- majeſtatis, ideò debet creatura cum timo- igere, & amando timere, ut fiat ſermo, qui us eſt: Exultate Domino cum tremore. A. Optimè ſapis, at nunc Timorem ipſum amus. Sicut eſt Amor Dei & Amor ſui, t & Timor, qui naſcitur de amore ſui. Ho- Timorum iſta eſt differentia. Nam pri- Timor ſanctus eſt, juſtus, bonus, & ſecun- naturam ordinatus, habetque omnes litiones amoris Dei. Sed Timor ſecundus ıs eſt, impius, injuſtus, inordinatus, qualis ıus amor, de quo naſcitur. Secunda diffe- ia eſt, quia Timor Dei non multiplicatur, ſemper unus & ſolus eſt. Qui enim Deum t, nihil aliud timet, ſed Timor ſui multipli- ır in infinitum, & multò amplius, quàm ſuus or, quia ex uno amore malo, naſcuntur infi- timores. At quoniam Timor pœnam ha- , ideò quilibet horum pœnam confert, tri-

ſtitiam, & miſeriam. DOM. Hinc planè intelligo, quanta ſit amoris proprii virulenta nequitia, quantúmque noceat ſe habentem, qui tot timores peſſimos de ſe producit. RÆM. Rectè tu intelligis. Nam qui primò amat ſeipſum, timet, ſe perdere, timet deſtrui & corrumpi, ideò omnia illa timet, quæ ſe perdere poſſunt, & corrumpere. Ideóque timet mortem, peſtem, ægrotationem. Timet terram, aquam, aërem, ignem. Timet famem, ſitim, & cuncta, quæ illi poſſunt præripere vitam. Præterea,quia, amat ſuum honorem, ſuam laudem, ſuam voluptatem, ideò timet perdere famam, gloriam, excellentiam. Timet ignominiam, diffamiam, probra, vituperia. Timet quoque tormenta, frigora, calores, paupertates, penurias, anguſtias. Et quia omnia diligit propter ſe, ideò timet perdere amicos, filios, uxorem, domos, agros, pecunias, mancipia, animalia. DOM. Nunquàm tanta timeret, niſi unum aliquid nimis nequiter amaret, quod caducum eſt, & fragile, & miſerum, quòdque labi poteſt, deſtrui, auferri. RÆM. Hinc igitur tertiam nunc conſidera horum Timorum differentiam. Nam Timor de amore Dei ſolidus eſt, vegetus, robuſtus, quia ſuus Amor hoc diligit, quod minui non poteſt, neque corrumpi, ſed timor de amore ſui fragilis eſt, caducus, & inſtabilis, quia res omnes, quas ſuus amor amplectitur, concidere poſſunt, atque perire. Quarta differentia: quia Timor Dei fecit eum, qui ſe poſſidet (quia ſolùm Deum metuit) & ſui ipſius, & omnium
ſub

rerum dominum, & omnia illum timent;
ecta sunt pedibus ejus, cœlum, terra, ma-
: quæ in eis sunt omnia. Sed Timor de
e sui reddit eum, qui se possidet omnium
servum, miserabilem, trepidum, flucti-
n, mutabundum. Hinc sequitur quinta
entia, quòd Timor bonus est secundum
ım hominis, inquantum homo est, & se-
ım Deum, & secundum ordinem Univer-
ed Timor malus est contra Deum, & con-
ıturam hominis, qui est à Deo omnium
ı Dominus constitutus, & contra naturam
ersi, quod debet servire homini, non Do-
:i. DOM. Cuncta quæ dicis verissima
& vehementer hominem permovent fuge-
ıorem hunc pessimum, & solum Deum ti-
lo diligere, & diligendo timere. RÆM.
s differentiis utriusque timoris satis am-
n proprietates possunt intelligi, nec opus
ertius explicare. Porrò si volueris horum
:um fructus agnoscere, vide suprà, qui sunt
us Amoris Dei, & qui fructus Amoris pro-
sicut illic agnoveris, ita & istos agnosce.
etiam scito, quòd, sicut hic duobus Amo-
duo opponuntur Odia, sicut antè dixi-
ita istis duobus Timoribus, duo objciun-
ontemptus, & quicquid illic de Odiis
nus, hoc & de contemptibus debere
intellige. Ad alia festinans superfluis in-
:re non debeo. DOM. Te supporto
ıter, nam satis recenter memini, quid de
bus Odiis suprà disserueris. Perge conti-
s,

De honore, & quòd omnia Deus fecit propter ſuum honorem, & hominis utilitatem,

CAPUT XXXV.

RÆMUNDUS.

SIcut homo debet Domino Deo Timorem, ita & honorem. Sed antequàm de obligatione Honoris aliquid loquamur, primò de ipſo Dei Honore pauca dicenda ſunt, ut dum cognoveris Honoris, & reverentiæ proprietates, agnoſcas & Honoris obligationes. Hujus igitur narrationis hoc ſit initium. Omne quod Dominus Deus operatus eſt in rerum creatione, totum propter ſuum Honorem id operatus eſt, vel propter hominis Utilitatem. Deus enim cùm ſit omnium bonorum, & pulchrorum ditiſſimus Poſſeſſor, & copioſiſſimè plenus ſeipſo, ideò intra ſe creſcere non poteſt. Non ergo accipit à rebus aliquam Utilitatem, ſed ſolum intrinſecum Honorem. Homo verò cum ſit creatura de nihilo facta, ſemper indigens, & de ſe ad nihilum vergens, idcircò creſcere poteſt interius in bonitate, in veritate, in omni perfectione, & ideò ei debetur Utilitas ſeu commodum, ſed honor nequaquàm. Deus igitur, qui omnia operatur principaliter propter ſeipſum, & quia intus creſcere non poteſt, ideò omnia operatur extra ſe propter ſuum honorem. Et cùm ſit ſummè bonus, ideò omnia operatur propter creaturarum Utilitatem. Verùm

ıia inter creaturas quatuor graduum ho-
nagis ab illo dilectus, & nobilitatus, est-
imagine & similitudine longè propin-
idcircò omnia, operatur Deus ad suum
ecus Honorem, & hominis intrinsecus
ıtem. Hoc scire te convenit, quòd quan-
ıs est in infinitum omni creatura sublimior,
nfinitum distant Honor Dei, & Utilitas
ræ. DOM. Hinc palàm intelligo, quòd
omnia operetur propter suum Honorem,
ıturæ commoditatem, multò tamen prin-
ıs suum intendit Honorèm, quàm Utili-
creaturæ. Verùm, quia Utilitas semper
ata est cum Honore, ideò quantò amplius
respicit Honorem, tantò & amplius
ıræ considerat Utilitatem. Et sicut
potest facere DEUS contra suum Ho-
n, ita nec contra creaturæ commodi-
ı. Hinc autem commoditatem ma-
participat homo, propter quem omnes
urarum Utilitates à bono Deo conditæ
& institutæ. RÆM. Sanè intelligis.
unc ego non indignum judico, ponere
ıas considerationes, quæ oriuntur ex hoc,
l Deus omnia operatur ad suum honorem.
considerationes pulchræ sunt, & notatu di-
ſimæ. Prima est, nam quoniam Deus om-
ıd suum operatur honorem, & cùm ipse sit
ma potestas, sapientia, bonitas, hinc se-
ur, quòd omnia operatnr secundum Ho-
em suæ summæ potentiæ bonitatis, & sa-
ıtiæ. Quicunque igitur non aspicit ex re-
rum

rum creatione Dei Honorem, & gloriam, vero lumine cæcatus eſt, nec poteſt quicquam de Dei operibus intelligere. Secunda conſideratio oritur ex prima, nam, ex quo Deus omnia operatur ad Honorem ſuæ bonitatis, ideò ſemper utilitas includitur in Honore, & per conſequens omnia operatur ad hominis Utilitatem. Tertia conſideratio, nam quoniam Deus omnia operatur ad Honorem ſuæ poteſtatis, ideò opera ſua in ſumma virtute, & ſumma potentia operatus eſt. Et quia omnia operatur ad Honorem ſuæ ſapientiæ, ideò opera ſua ſummè ſapienter, ordinatiſſimè, proportionabiliſſimè, & congruentiſſimè operatus eſt. Quia verò ad Honorem ſuæ bonitatis operatur, ideò omnia optimè, liberaliſſimè, benevolentiſſimè, & utiliſſimè operatus eſt. DOM. Hinc ſequitur, quòd in divinis operibus nihil poteſt eſſe improportionatum, incongruum, inutile, infirmum, ſuperfluum, diminutum, ordinatum. RÆM. Rectè tu quidem. Quarta conſideratio eſt, quòd quia Dominus Deus operatur omnia ad ſuum Honorem & gloriam, hinc ſequitur, quòd quantò Honor major, & glorioſior fuerit, tantò magis Deo competit, & quantò opera ejus ſunt magis ardua, ſublimia, mirabilia, ſubtilia, difficilia, tantò magis pertinent ad Honorem ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & providentiæ, & quantò fuerint magis utilia, communia, ſuavia, dulcia, jucunda, doctrinalia, tantò pertinent magis ad Dei dulciſſimam bonitatem. Idcircò competit Deo, ut ſuus

lonor ſervetur, tam potenter operari om-
ıt non poſſit potentius cogitari, tam ſa-
r, tamque utiliter, ut non poſſit æſtima-
entius quicquàm, vel utilius. DOM.
› liquidè patet, quòd omnia Dei Creatoris
ſunt tam alta, nobilia, incomprehenſi-
ſubtilia, & perfecta, ut nequeant æſti-
neliora. Et licet unum opus ſit altero per-
s, unumquodque tamen eſt in ſuo genere
tiſſimum, ſummè ſublime, & impenetra-
Sed ſequere, quò cœpiſti. RÆM.
:a conſideratio eſt. Ex quo enim Deus
ı ad ſuum maximum operatur Honorem,
equitur, quod quicquid magis pertinet ad
lonorem, illud ſine periculo homo aſſere-
:eſt, & confiteri. Et ideò magis oportet
:e mundum à Deo productum eſſe de ni-
quàm ex nihilo, quàm ex aliquo, & de
inchoaſſe, quam ab æterno fuiſſe. Hæc
nagis redolent Dei poteſtatem, & bonita-
Sexta, quòd ex quo Deus omnia creat
ıuı Honorem, ita etiam omnia complet,
ſummat, & ideò omnia Dei opera finien-
x terminabantur in ſummo Honore ſuæ
tatis, & Bonitatis. Verum quia non eſſe
ıs Honor ejus, niſi etiam duraret in æter-
& ideò ut honor ejus perpetuò perſeve-
ıeceſſe eſt, ut ejus opera permaneant in
um. Septima conſideratio, nam ex quo
onor eſt perpetuus, ideò requirit perpe-
honorantem. Et quia ſola creatura ra-
is novit, & poteſt Deum honorare, &
lau-

laudare, ideò oportet eam perpetuo permanere, ut Deum in æternum glorificet, honoret. DOM. Præclara sunt omnia, & exulatione plena, quæ de Dei Honore persequeris. Verum hoc postremum est exultantius audiendum, ubi se homo ad hoc conditum, & mansurum agnosct, ut suum maximum, & optimum Creatoremmagnificet, laudet, honoret in æternum, RÆM. Octava conditio, quòd quia Deus omnia creavit ad suum Honorem & hominis Utilitatem, ideò Deus vult crescere extetius, & vult ut homo crescat interius. Tunc enim Deus extra se crescit, quando sua notitia, sua gloria, sua fama in homine crescit. Et quantò illa notitia per plures homines multiplicatur, tantò magis Deus multiplicatur. Et quasi totiens Deus de novo nascitur, quotiens sua notitia in homine generatur. At quando Deus exterius crescit in notitia hominum, tunc certè homines interius de Deo crescunt, éstque unum idémque incrementum, quo Deus crescit exterius, & homines interius. Hoc autem notitiæ incrementum nascitur in homine per cognitionem creaturarum, quam qui ignoraverit, necesse est ut nec Deus in illo, nec ipse crescat in Deo. DOM. Sed quæso te, per quem modum Deus crescit in homine, & homo in Deo? RÆM. Rationalis homo intellectum habet, & voluntatem, & ideò potest Deus creseere in hominis intellectu, & in hominis voluntate. Tunc Deus crescit in hominis intellectu, quando ejus notitia, & sapientia, & prudentia,
&

uſtria in homine creſcit. Tunc vero
:reſcit in voluntate, quando ejus Amor,
, ſpes, confidentia, laus, & gloria in
ıe creſcit. Et quando ſic Deus creſcit
mine, tunc etiam homo creſcit in Deo,
ɔt modis Deus creſcit exterius in homine,
ɔdis homo interius creſcit in Deo.DOM.
à magna unitas, magna propinquitas,ma-
ter Deum, & hominem colligatio, ma-
ihilominus Dei ad hominem pia dignatio,
ɔ velit exterius creſcere in homine, & ve-
homine amari, laudari, honorari, ut
nore, laude, atque honore homo inte-
:eſceret, & ſeſe perficeret. RÆM. No-
x ultima conſideratio eſt, quòd ex quo
vult per ſua opera honorari, ideò omnia
, quæ ipſe facit, vel omnia bona opera,
ıunt ad omni creatura, debent referri ad
ɪrem Dei. Si ergo Deus per ſe operetur,
er creaturam ſoli Deo Honor, & Glo-
DOM. Juſtè id quidem. Verùm quia
hominis bona, quæ ex bona voluntate
dunt, cùm ſint meritoria, nunquid præ-
arebunt? nonnè ipſis etiam laus debetur,
ɪr, & Gloria? RÆM. Prœmio qui-
ıon carebunt, ſed ut dixi, ſoli Deo Ho-
x Gloria. Nam Honor & Gloria, quia
ıſeca ſunt, illi tribuuntur, & quia Deus
ſe omnium bonorum pleniſſimus poſſeſ-
t, ideò ſibi ſoli extrinſecus Honor aſcri-
ıs eſt. Sed quia homo ut creatura cre-
habet, & perfici interius, ideò interna
illi

illi utilitas tribuenda eſt pro bonis ſuis operibus, non gloria, aut magnificentia, Quando igitur Deus per ſe immediatè operatur ſine creatura, tunc talis operatio ſolam extrinſecam laudem meretur. Sed quando Deus operatur per creaturam rationalem, tunc debentur duo præmia, unum exterius, Deo ſcilicet Honor, & unum interius, homini ſcilicet Utilitas.
DOM. Fx iſto manifeſtè colligitur, quòd homo, qui contempto Deo propriam quærit gloriam, laudem, duo maxima mala committit. Facit enim Deo ſummam injuriam, & ſibi ipſi peſſimum detrimentum. Primò facit Deo injuriam, quia Honor, qui Deo debetur, eſt præſtantior, dignior, & melior, quam totum univerſum, ideò, qui furatur Deo ſuum Donorem, plus eripit, quàm ſi raperet totum mundum. Et iſta gravis injuria non poteſt per omnes creaturas reparari. Secundò facit ſibi ipſi maximum detrimentum, quia homo, cùm ſit creatura fragilis, egena, & vacua, egeátque intrinſecus bonitate, & perfectione compleri, igitur ſi quærat Honorem, & gloriam exterius, tunc intra ſe vanitate repletur, & penitus vacua derelinquitur omni bonitate & veritate. Et ita in tali inaniſſimo homine nulla eſt ſoliditas, nulla firmitas, nulla bonitas, nulla demum perfectio. Nihil igitur ſibi profuit, dum forinſecus crevit, imò obfuit vehementer, quia quantò magis exteriori gloria eſt dilatatus, tantò eſt interiori paupertate compreſſus. Verùm tu ulteriùs proficiſcere.

Deus

ſicut propter ſuum Honorem, ita &
opter ſuum Nomen omnia operatur.

CAPUT XXXVI.

RÆMUNDUS.

Jàm ſit imperium, & perverſum, homi-
nem ambire ſuam gloriam, & famam,
iam, ſtatim dicemus in ſubditis. Nunc
pauca de Dei Nomine, ſicut antè de Ho-
diſſeramus. Qurcquid poteſt de novo
ri, vel eſt Res, vel Nomen rei. Sed quia
eſt maximus, cùm ens ſit infinitum, non
ſibi novam rem acquirere, quia plenus eſt
bono, ergo quicquid de novo recipit, ſo-
na, & ſolum nomen eſt. Tunc igitur
extra ſe de novo creſcit, & major quo-
iodò efficitur, quando ſua Fama, & ſuum
en per corda hominum dilatatur Nomen
ı Deus acquirit ex operibus, quæ forinſecus
tur. Quæ quidem opera, quia potenter,
ienter, & dulciter facta ſunt, ideò à co-
entibus ea Deus acquirit nomen, quod
potens, & ſapiens, & clemens appellatur.
irendo igitur novum Nomen, acquirit
novam Famam, novum honorem, novam
ım. Et ſic Deus qui in ſua eſſentia creſcere
poteſt, creſcit in Nomine, in laude, in
re, & hoc in hominum cordibus, qui Dei
ı comprehendunt. Ex quibus clariſſimè
, quòd Deus ſolus Nomen habere mere-
loriosum, honorificum, famoſum, for-

midatum, magnificum, & per omnia ſæcula benedictum. DOM. Hinc veraciter datur intelligi, Deum omnia operari propter ſuum Nomen, ut illud videlicet impleatur omni vero Honore, vera laude, fama, gloria, & magnificentia. Quando igitur omnia Deus operatur propter ſuum Nomen, omnia etiam operatur propter ſuum Honorem. RÆM. Meritò id ſequitur, quia unum, & idem eſt, operari propter ſuum Nomen, & propter ſuum Honorem. Nolo tamen te ignorare, quod ſicut operatur omnia propter ſuum Nomen Deus, ita etiam operatur omnia propter hominis Utilitatem. Et quantò Nomen Dei nobilius eſt, & præſtantius, quàm omnes creaturæ, tantò Nomen Dei plus valet homini, & eſt illi fructuoſius, quàm omnes creaturæ. Ideò enim creaturæ inſtitutæ ſunt, ut Dei Nomen homini innoteſcat, quod dum fuerit in corde hominis receptum, generat in eo omnem Utilitatem. Quæ Utilitas tunc maximè perficitur, cùm homo cœperit amare, timere, honorare, revereri, & magnificare Deum ſuum. Ut igitur Nomen Dei veram operetur hominis Utilitatem, neceſſe eſt, ut Deus operetur opera amoris, opera timoris, opera fidelitatis, confidentiæ, honoris, laudis, & gloriæ. Operatur igitur Deus opera omnipotentiæ, & vocitatur omnipotens. Operatur opera magni timoris, & reverentiæ, ab omnibus pertimeſcitur. Operatur opera Majeſtatis, & gloriæ, & Dominus appellatur. opera ſummæ juſtitiæ, & ut juſtus Judex formidatus

ıabetur. Operatur opera ſummæ dulce-
& bonitatis, & ut dulciſſimus, & opti-
amatur. Operatur opera maximæ ſa-
e, & ut ſic ſapientiſſimus nuncupatur. Et
matim omnia concludam, idcircò omnia
)eus operatur ad hunc finem referuntur,
nineturomnipotens, ſapiens, juſtus, be-
;, bonus, fidelis, pius, ſanctus, ami-
ıdjutor, ſalvator, protector, ut hoc
generetur in hominibus vera notitia, &
)ei, & per conſequens vera utilitas, vera
tio, & perfecta omnium bonorum con-
ıtio. DOM. Ex hoc ipſo quod loque-
ıultum nos imbuis in cognitionem Nomi-
ıod ex multis, operibus recollectum unum
ximum efficitur, glorioſum, laudabile,
ficum, & per omnium corda magnifican-
Licet enim ab æterno Deus ſit omnipo-
ſapiens, juſtus, & bonus, non tamen
ſet manifeſtum nobis, niſi eas res fuiſſet
:us exterius, quibus tale Nomen, & ta-
mam in noſtris cordibus condidiſſet. Ha-
ılum igitur nominis Dei corda ſunt homi-
Et quantò Dei notitia ex operibus per
hominum multiplicantur, tantò, & mul-
ıtur Nomen Dei. RÆM. Benè, atque
ıè Dei Nomen intelligis. Unum tamen
:e convenit, quòd diverſimodè, & per
ıs gradus Dei Nomen in homine generatur,
. enim Dei quadruplici gradu diſtinguun-
ut ſuprà patuit in ſcala quadruplicis creatu-
Cognoſcit enim homo Nomen Dei per

 opera

quæ habent esse tantùm, sed magis per ea, quæ habent esse, & vivere, multo tamen amplius per ea, quæ habent esse, vivere, & sentire, & intelligere. Nomen ergo Dei maximè innotescit homini per ipsummet hominem. Et hæc est ultima, maxima, firmissima, & certissima Dei Nominis cognitio. Nullum enim est opus Dei magis propinquum hominis, quàm ipse sibi. Igitur, dum homo cognoscit seipsum, inquantùm Dei opus est, tunc vehementer Dei Nomen agnoscit, & extollit, magnificat, & honorat. Verùm quia diversimodè Deus circa hominem operatur, ideò ab homine multipliciter nuncupatur. Aliquando homo Deum Pium vocitat, & Misericordem, aliquando Justum, & Veracem, aliquando Fidum, Propitium, Protectorem, juxta id, quò sentit circa se Deum operari. DOM. Multis igitur modis potest Dei Nomen homo magnificare, extollere, honorare, & ex consequenti ipsum Deum, qui tam magnifica in omni creatura, & præcipuè in homine diversimodè operatur. Nunc superesse arbitror, ut de obligatione honoris differere incipiamus.

De obligatione hominis erga Honorem, & Laudem, & Nomen Dei.

CAPUT XXXVII.

RÆMUNDUS.

SEquitur enim profectò, quòd quia Deus omnia operatur propter suum Honorem & Glo-

m, idcircò homo qui novit & poteſt
honorare, meritò præ cæteris creaturis
re tenetur. Tenetur enim & obligatur
liciter. Primò, ex quo ſolus poteſt me-
operari, ideò aſtringitur omnia ſua ope-
rari ad Honorem, & Gloriam, & nomen
Secundò obligatur, velle, & operam da-
Dei Nomen fiat, creſcat, & continuè
licetur. Tertiò obligatur, non ſolùm
, ut fiat, & per ficiatur Honor Dei, ſed
conari, ut fiat optimo, & perfectiſſimo
, quod id ipſe operari, & velle poteſt.
ò obligatur, non ſolùm ut ab ipſo, ſed
, ſed ab omnibus rebus, præcipuè ho-
ıs Honor & Gloria Dei maximè creſcat,
pleatur. DOM. Certè, niſi homo id vo-
& pro viribus effecerit, non agit ut
ra Dei, nec ut ſenſatus homo, ſed con-
linationem, & mentem Dei, tanquam
ıs, & amens, & inimicus. RÆM.
ò obligatur ponere ſeipſum, & dare vi-
orpus, & animam, & quicquid habet,
oteſt, ad laudem, & Honorem Dei.
,quia ad Honorem Dei ſequitur Utilitas
is, ideò quoties homo quærit Dei Ho-
, ſuam tunc operatur Utilitatem. Quan-
o homo pro Dei Honore ponit vitam
tunc facit ſibi ipſi commoditatem maxi-
ſummum lucrum, ſummum compendium.
l. Nihil igitur perdit, qui pro Dei Hono-
uaque tribuit, quia omnia illi in centu-
eſtituit Deus. RÆM. Ita eſt planè.

Sextò obligatur homo credere verbis Dei,& honorare quicquid loquitur, ut pollicetur, aut jubet aut vetat. aut comminatur. Septimò obligatur de Dei operibus omnibus ſemper in bonitate ſentire, & omnia in optimam partem interpretari. Octavò obligatur corde & ore bona de Deo dicere, & magnificè omnia extollere, & linguâ palam prædicare, quæ ſuum reſpiciunt Honorem, ſuum Nomen, ſuam gloriam, ſuam famam. Et quantò magis ad Dei pertinent Honorem, tantò debent amplius prædicari. DOM. Veriſſima ſunt,& ſaluberrima, & neceſſaria cuncta, quæ loqueris. Utinam hæc in cordibus hominum convaleſcant, ut Deum rerum omnium Conditorem corde, ore, & opere ſemper honorificent,& exaltent.RÆM. Unum ſemper è duobus neceſſe eſt, ut homo faciat. Aut enim ſuis operibus Deum vel honorat. vel vituperanter contemnit. Ad hoc enim Deus optimus hominem condidit, ut ſuis operibus ſe honoraret, & extolleret, quæ ſi mala, & reproba fuerint, Deum maximè inhonorant, vituperant, blaſphemant. Et quia ex amore honor, timor, laus, ſpes, confidentia, obedientia, & omne bonorum germen erumpit, ſequitur, quòd qui Deum non amat, nec etiam honorat, nec timet, nec laudat, nec illi fidit, nec obedit. Talis igitur homo corde & opere Deum deſpicit, Deum inhonorat, Deo rebellat. DOM. Ex iſto licet intueri, quòd quia honor Dei, & Dei contemptus maximè opponuntur, ideò ſicut nullam majus bonum

po-

ſt facere homo, quàm Deum veraciter ho-
re, ita nullum gravius malum, quàm
m nequiter inhonorando contemnere.
M. Verùm id quidem, nam qui Deum in-
orat, & Deo, & ſibi ipſi, & omni creatu-
naximam injuriam & contumeliam facit.
temnit revera omnes creaturas, id eſt, non
onorat, quia Dei ſunt, qui rerum deſpicit
torem. Et ſic in Dei contemptu inclu-
tur infinitæ injuriæ, infinitæ ſuperbiæ, in-
æ ſuperbiæ, infinitæ nequitiæ. Sicut igi-
x uno Honore Dei multiplicantur Hono-
n infiniti, ita ex nno contemptu Dei infiniti
temptus generantur. DOM. Væ igitur
rbiſſimo illi, qui Deum contemnens præ-
pſerit inhonorare.

ıor proprius Dei Honori contrarius eſt, & capitalis inimicus.

CAPUT XXXVIII.

RÆMUNDUS.

X his quæ nunc diximus, aliquantulùm
lucet, quàm ſit verè perverſum, Deum
onorare atque contemnere. Grave igitur
catum eſt, quando homo ſuis operibus
ım inhonorat, ſed omnium graviſſimum,
ndo per ſua opera ſe vult ab aliis honorari,
dari, & extolli, propriam quæritans famam
loriam. Nam hoc modo ſtudet, laborar &
ratur è directo contra Deum, & contra ſuam

gloriam, & honorem. Et talis operarius subdolus & perversus, eò quòd agit contra intentionem & ordinationem Dei efficitur manifestus, & capitalis inimicus illius, suum honorem. & famam, & gloriam illi violenter eripiens, & sibi ipsi fallaciter ascribens. Qui enim suam, non Dei gloriam quærit, seipsum Deum constituit, de se idolum facit, quòd vult ab aliis honorari, & prædicari, & ita per suam arrogantem impiamque superbiam bellum, rixam, & discordiam gravem in suum suscitat Creatorem. DOM. O bellum inerme, funestum, & inglorium, de quo nullam ipse victoriam reportabit, sed stragem, confusionem ignominiam. RÆM. Nihil verius. Sed ut apertius agnoscas, quàm inexpiabile malum sit, hominem suum quærere honorem, audi paucis quæ dico. DOM. Audio. RÆM. Homo certè dum omnia agit propter suam famam & gloriam, occupat cor suum principaliter circa proprium honorem, quem cogitat, quem quæritat, quem semper desiderat. Et ita seipsum in suo corde Deum statuens, sese honorat, se laudat, se diligit, se amplexatur. Qui igitur meritò deberet cor suum occupare circa Honorem Dei, & Deum, in suo corde recipere, è contrario cor suum occupat ad laudem propriam, & illic seipsum collocat, & ut Deum adorat. DOM. O injuriam maximam! RÆM. Est & alia injuria major. Non enim sufficit ei occupare cor suum circa proprium honorem, sed vult, quòd corda aliorum hominum, qui vasa sunt Honoris Dei, oc-

ventur & impleantur de ſuo honore, de ſua & gloria. Cupit enim hic talis ſuperbiſſi- ut omnes homines contempto Deo ſuum rem, ſuam æſtimationem, ſuam laudem, it, prædicent, magnificent. Vult enim er creſcere, & multiplicari, & imaginem æ, & ſapientiæ, & pulchritudinis ſuæ (li- t corruptibilis & fictilis) imprimi, & dilata- r corda hominum, ut ſemper de illo cogi- , illum ament, illum loquantur, & prædi- Vult igitur totum mundum, quantùm ad inet, circa ſuum honorem continuè occu- Itaque vult Deum expellere de regno ſuo, mo & habitaculo ſuo. Hinc meritò eſti- homo Dei hoſtis, Dei maximus inimicus.

M. Præter hæc mala, ſunt & alia non minus randa. Primùm eſt, qui quærit proprium rem, totum mundum cupit reducere ad ſe- n, & ſic pervertit ordinem univerſi, quia uras intorquet ad alium finem, quam eas naverat Deus. Vult enim ipſe, ut Deus, à uris honorem recipere, & ſe ab omnibus rari, & ſic homo hujusmodi & totus per- us in ſemetipſo, Deum omniaque contur- . Secundùm malum; quia homo, qui quæ- oprium honorem, facit ſibi ipſi maximum num, & detrimentum, & incommodum. t enim dum honoratur Deus, tunc creſcit, proficit homo, ita dum honorem ſibi attri- , in ſumma egeſtate remaneat neceſſe eſt. tium, non qui ſuum quærit honorem, de- it, quantùm in ſe eſt, Deum factorem ſuum,

& ex consequenti elongat se in infinitum à Deo, tantumque distat à Deo, quantùm distat sua intentio à Deo. Et quia totum bonum hominis Deus est, ideò quantùm magis longinquat à Deo, tantùm magis recedit à bono suo. Quartum: dum homo elongatur in infinitum à bono suo, necesse est propinquet maximo malo suo, cadátque in tam profundum malum, quantum Deus est altum bonum. Cadit ergo in immane præcipitium omnium calamitatum, & in abyssum malorum omnium. Quintum: Homo quærendo suum honorem, facit Deo infinitam injuriam & offensam, ideò promeretur pœnam perpetuam & infinitam. Sextum malum: Homo qui quærit suum honorem, excæcat semetipsum: Honor enim injustus tenebræ sunt, quæ cordis oculos adeò obnubilant, & obscurant, & ab omni vera luce alienos reddunt, ut homo nec Deum, nec semetipsum, nec totum Universum possit agnoscere. Positus enim extra Deum, extra lucem, extra veritatem, nullum bonum, nullum malum potest discernere, nec inter verum & falsum, nec inter dulce & amarum ponere rationem. Septimum: Homo qui quærit suum honorem, totum fundamentum suum collocat in mendacio, in errore, & vanitate, in deceptione, in malo, & in nihilo. Honor enim proprius mendacium, & error, & nihil est. Quærens igitur proprium honorem, servum se facit vanitatis, mendacii, & nihili, & seipsum, qui inter creaturas omnium est nobilissimus, expendit ad errorem, atque stultitiam,

&

ıentiam. Octavum malum, cùm omnis
·r sit extra eum, qui honoratur, hinc se-
r, quòd homo ad suum honorem operans,
ım multiplicare gestiens, ædificat extra se
'anissimam, quæ stare non potest, & ita
rsum vacuus remanet, & omni solido bo-
rivatus. Nonum: Homo suum ambiens ho-
m perdit tempus suum, perdit laborem,
um, & conatum suum, tendítque ad im-
bile, quia suus honor nunquàm poterit
ci, nunquàm impleri. Sed solus Dei Ho-
cui resistere nemo potest cùm sit omnipo-
) hîc perficietur, hîc consummabitur, hîc
u tenebitur in sæcula sæculorum. DOM.
postremum maximè deberet hominem aver-
ıb ambitione proprii honoris, quando nec
ı, quantùm voler poterit acquirere, nec ut-
|ue adeptum porerit retinere. RÆM. De-
ım & maximum malum est, quòd sicut ho-
verus & confusio opponuntur, ita laus &
perium, gloria & opprobrium. Et sicut
or non potest mutari nisi in confusionem,
aus & gloria non nisi in vituperium & op-
›rium. Et quia nullus honor verus est,
Honor Dei, cui etiam & laus vera est, &
ia vera, idcircò homo qui honorat, laudat,
lorificat Deum, nunquàm illum sequetur
fusio, nunquàm vituperium, nunquam op-
brium. Sed si quærat suum honorem, suam
lem, & gloriam, oportet ut perveniat ad
rnam confusionem, perpetuum vituperium,
pprobrium sempiternum, quod non dele-
bitur.

bitur. DOM. Meritò id ſequitur, nam ex quo honor proprius hominis eſt perverſus, inordinatus, falſus, tortuoſus, caducus, miſer, injuſtus, mendax, vanus, erroneus, ideò permanere non poteſt, ſed concidet, tabeſcet, deficiet, & ſequetur illum ſumma ignominia, quando revelabitur confuſio nuditatis ejus, & pudenda ejus in ſuam faciem retorquebuntur. Eant nunc proprii honoris quæſitores, & ad breve tempus in ſuis laudibus, ut perpetua confuſione contriſtentur.

Homo obligatur ex parte Honoris Dei, credere omnibus verbis ejus, & ea honorare.

CAPUT XXXIX.

RÆMUNDUS.

QUoniam quidem, ut ſuprà declaratum eſt, quòd Deo Honor attribui debet in ſummo gradu, ſi igitur homo honorat Deum, neceſsè, eſt ut & verba Dei honoret, & credat cum omni reverentia Deo loquenti. Quando enim credit homo verbis Dei, tunc reputat eum veracem, juſtum, & ſanctum, ſine fraude, ſine mendacio, ſine dolo, atque ita honorat Deum, credens ſine aliquo teſtimonio, ſine aliqua probatione ſimplici verbo Dei, ſolùm quia ipſe dicit, vel dici fecit, qui fallere & mentiri neſcit. Alioquin niſi credidero cum omni aſſenſu verbis ejus, etiamſi videantur vel obſcura, vel ex-

extranea, facio Deo maximam injuriam, vituperium, & contemptum. Debemus igitur primò credere verbis Dei propter ſuum maximum honorem, utpote quia ille loquitur, quem nephas eſt mendacem aut frivolum æſtimare. Secundò debemus credere verbis Dei ratione ſuæ excellentiſſimæ Majeſtatis, & authoritatis. Si loquenti alicui ſapienti, aut Regi, aut Principi fidem habemus, multò magis Regi Regum, domino dominorum credi debet, & aſſentiri. Tertiò: Ratione ſuæ infinitæ bonitatis, & puriſſimæ pietatis credi oportet verbis Dei. Nam quod bonus homo loquitur, facilè admittitur, multo amplius admitti debet, quod loquitur optimus, & ſapientiſſimus Deus. Quartò: Deo credi debet ratione ſuæ infallibilis veritatis. Eſt enim ipſe ſumma veritas, & ſumma ſapientia, quæ falli nequit, neque mentiri. DOM. Magnum mihi animum indidiſti, credere cum ſumma reverentia eloquiis Dei. Sed quæſo te, quem proceſſum habiturus ſum in credendis Dei ſermonibus? RÆM. Illum eundem, quem n creaturis cognoſcendis ante habuiſti. Videmus ad oculum duo eſſe, quæ ab homine extrà rocedunt, ſcilicet Opus ſuum, & ſuum Verm. Sic ſimiliter duo ſunt, quæ procedunt ris à Deo, Opera & Verba. Verùm quia ud eſt opus, & aliud Verbum, ideò alia ſcieneſt de Dei Operibus, & alia de Verbis. entia tamen creaturarum, quæ manifeſtè foecus apparent, inducunt nos in cognitio-Verborum Dei, quæ minus apparent. Ad co-

cognitionem creaturarum habuimus tres gradus. Primus, quòd cognovimus ipſas creaturas in veritate exiſtere, ſed neſciebamus cujus erant. Secundò, cognovimus, quòd Dei erant, & quòd à Deo conditæ erant. Tertiò, quòd donum Dei erant, & quòd à Deo nobis traditæ erant. Iſto modo oportet procedere conformiter circa verba Dei, ad cognoſcendum quòd Dei ſunt. Primò, oportet videre,& acutè reſpicere ipſa verba in ſe. Secundò, cujus ſint Verba, an Verba ſint Dei loquentis, vel hominis? Tertiò, quòd nobis à Deo data ſunt ad noſtrum fructum, ad noſtram neceſſitatem, & utilitatem ſicut & creaturæ. Sed quæ ſunt Dei verba, quibus nobis ad noſtram ſalutem loquitur? *RÆM.* Non alia pro certo, quàm quæ ſacro volumine (quam nos Bibliam dicimus) continentur, quæ in Vetus novúmque Teſtamentum clarè dividitur. Ibi audis Deum præcipientem, prohibentem, adhortantem, terrentem, blandientem, comminantem, pollicentem. Poſſem ego multis & fortiſſimis rationibus tibi demonſtrare, Deum Bibliæ ſermones per ſuos vates eſſe loqutum, niſi noſſem te id optimè credere, & ut Chriſtianum nullatenus diffiteri. Quòd ſi fortè eas rationes cupis agnoſcere, lege priorem librum, unde iſte tranſſumitur, & illic invenies, quomodò etiam paganiſſimo homini id facilè potuerit perſuaderi. DOM. Credo ut Chriſtianus Bibliæ verba Dei verba eſſe. Qui autem hoc non credit, pagano deterior eſt.

De

De proprietatibus Verbi Dei, & qualiter se homo gerere debet circa sanctam Bibliam.

CAPUT XL.


RÆMUNDUS.

QUia igitur credis Bibliam Dei Verba sonare, audi nunc maximo fructu proprietates, & conditiones hujus libri, & qualiter te habere debeas circa eum. Primò, ex quo per totum Vetus, novúmque Testamentum Deus loquitur per hora sanctorum, ideò oportet credere; quæ dicit, oportet implere, quæ præcipit, oportet vitare, quæ prohibet, oportet formidare quæ comminatur, oportet sperare quæ pollicetur. Qui autem ista non facit, Deum contemnit, irridet, injuriatur. DOM. Imò verò per omnia dignus, quòd à sacro Dei libro repellatur. Bestia enim se montem tetigerit, lapidetur. RÆM. Secundò, ex quo Biblia liber Dei est, ideò sequitur, quòd nihil est in eo falsum, nihil inutile, nihil superfluum, nihil diminutum, nihil iniquum, nihil frivolum, nihil contemnendum, nihil execrandum. Tertiò, ex quo Bibliæ Verba Dei sunt, ideò omnia quæ illic, aut promittit, aut comminatur Deus, omnia suo tempore complebuntur, non enim unum jota, aut unus apex cadet ab omni lege. Alioquin Deus faceret contra suum honorem, séque mendacem constitueret, quod est impossibile. Si enim

enim homo potens, & justus nititur toto corde implere Verbum suum, multò magis Deus, cui æqnè facilè est, & dicere, & implere. Quartò, ex quo Deus sua Verba in hoc libro constituit, ideò homo obligatur; Deum, & sua verba diligere, amplecti. honorare, & colere, quæ processerunt de ore Dei. DOM. Meritò id quidem, qui nihil tam propinquum Deo, quàm suum Verbum. Verbum enim Dei ipsum Deum repræsentat, nec aliquid tantùm pertinet ad Deum, quàm suus sermo, qui non solùm de ore, sed etiam de Dei corde procedit. Erumpit enim ab intimis medullis dulcissimi Conditoris. Meritò igitur amari debet, & coli, quia nihil verbo Dei majus, nihil dulcius, nihil sublimius, nihil profundius, nihil nobilius, nihil pretiosius, nihil potentius, nihil denique salubrius. RÆM. Hinc certè intelligis, mi Dominice, quòd Dei verbum longissimè excellit omnes creaturas, magisque ad illum pertinet, quàm omnes pariter creaturæ. Quia igitur homo tenetur amare Deum supra omnes creaturas, ita etiam debet amare Dei Verbum plus omnibus creaturis, illúdque contremiscere, & venerari hinc sequitur Quintum, quòd homo debet summoperè cavere, ne aliquando aut irrideat, aut abjiciat, aut vituperet, aut blasphemet Verbum Dei. DOM. Istud propriè iniquorum est, & hæreticorum, & infidelium. RÆM. Sextò, quòd homo tenetur præparare cor suum ad recipiendum Verbum Dei. Ex quo enim Verbum Dei extra Deum progreditur, nullum alium lo-

locum vult occupare, quàm pectus hominis, quod debet esse receptaculum sermonum Dei. DOM. Atque ideò, qui Tullium libentiùs meditantur, aut Horatium, aut Vergilium, quàm Dei Verbum, maximam injuriam Deo faciunt, quia de suo corde Dei Verba rejiciunt, & illic recipiunt aliena. RÆM. Rectè tu quidem: Utinam sæcularium librorum Amatores huic nostro sermoni aures commodent, puto non tam libenter vanissimis studiis inhærebunt. Septimò, ex quo Verbum Dei ipsummet Deum repræsentat, ideò, qui in suo pectore Verba Dei recipit, recipit & Deum, gestátque Deum intrà præcordia sua. Nihil ergo sanctius, nihil melius, nihil suavius quam in corde Dei Verba portare. Imò etiam & ore proferre, quod tu Dominice qnotidie facis, quia non expedit fidelem erubescere sermones Dei. Quicunque igitur in corde gestat Verbum Dei, multas inde consequitur & præcipuas utilitates. Prima est: Quòd sicut Verbum Dei est unum, & efficax, & penetrabile, & mobile, quia exit de corde Dei, ideò necesse st, quòd vivificet, & penetret, & moveat, jucundet, atque lætificet ipsum cor hominis, quod ossederit. Secunda: Sicut Verbum Dei est lidum, & succensum igne amoris Dei, ignim enim eloquium tuum vehementer, ideò cor minis calefacit, & inflammat in amorem Dei. rtia: Quia Verbum Dei est verum, certum, irmum, ideò confirmat cor hominis in veri, & solidat, corroborátque. Quarta: Quia ɔum Dei lumen est, & lucerna, ideò cor ho-

hominis illuminat, nec ſinit illud ignorantiæ, aut erroris, aut nequitiæ tenebris obduci. Quinta: Verbum Dei potentiſſimum eſt, & ſumme actívum, ideò cor hominis potenter immutat, protegit, dirigit, & defendit. Sexta: Quia Verbum Dei altiſſimum eſt, ideò rapit cor hominis à terrenis, & ad cœleſtia ſuſpendit. Septima: Verba Dei ſunt eloquia caſta, & ſepties repurgata, ſunt quoque glorioſa, immortalia, & perpetua, (verbum enim Domini manet in æternum) ideò faciunt cor hominis caſtum, purum, glorioſum, immortale, incorruptibile, & æternum. DOM. Ex his manifeſtè patet, quàm grandem injuriam facit Deo, & ſibi detrimentum, qui contemptis Dei Verbis, humana eloquia in ſuo corde receptat: Qui aſpernatur Creatoris Verbum, & Verbum amplectitur creaturæ, qui libentius audit Verbum mendacis, (omnis enim homo mendax) quàm ſummæ veritatis: Verba mortalis, infirmi, & fragilis, quam immortalis, & omnipotentis: Verba nihil firmiter promittentis, quàm vitam pollicentis æternam: Verba ſervi inutilis, quàm altiſſimi Imperatoris: Verba ejus, qui in ſe habet radicem omnium malorum, quàm ejus, qui eſt omnium bonorum fontalis origo. Verùm tu proſequere quod cœpiſti.



Com-

Comparatio verbi Dei ad Creaturas.

CAPUT XLI.

RÆMUNDUS.

DUo ſunt nobis manifeſta, quæ nobis contulit optimus Deus, & per quæ ipſe nobis plurimum innoteſcit, ſcilicet Creaturæ quas condidit, & Verba quæ dixit. Sed iſta duo non ſunt æqualia. Primò: Verbum Dei eſt ſupra hominem & ſupra omnem creaturam, omnis autem creatura ſubjicitur Verbo Dei. Secundò: omnes creaturæ ſunt de nihi.., & de ſe corruptibiles, ſed Verbum Domini exit de ore Dei, & permanet in æternum. Tertiò: Verbum Dei habet plenum dominium ſuper omnem creaturam, nec poteſt illi ulla creatura reſiſtere, ſed mutat, & transformat creaturam, ipſum autem ſemper immutabile manet, ſicut Deus, à quo procedit, DOM. Quàm crebro ſoleat duriſſima ominem corda permutare, atque emolleſcere erbum Dei, ſæpenumero id ipſe expertus ſum. ÆM. Et adhuc amplius experieris. Quartò: er Verbum Dei omnis creatura facta eſt, & de ihilo venit ad Eſſe virtute verbi divini; habet im omnem poteſtatem ejus, à quo procedit. imò enim, quod exit à Deo, eſt ſuum Verbum, per ipſum omnia alia ſubſiſtunt. DOM. nc patet, Deum multò plus fuiſſe liberalem ando nobis ſua verba, quàm ſimul cuncta ta. Et licet nos plurimùm conſoletur per turas, multò tamen amplius per ſuum Ver-

bum. RÆM. In maximo igitur habendum est pretio Verbum Dei. Quintò: Verbum Dei exit de corde Dei, & ideò quocunque venerit, secum portat cor Dei, & mentem, & voluntatem Dei, sed creaturæ, quæ exeunt de Nihilo, longissimè distant à corde Dei. DOM. Et ideò clarè lucet, qui non vult recipere Verbum Dei, non est dignus perfrui creaturis. Qui enim magna contemnit, injustè sibi usurpat minima. RÆM. Optima assertio tua. Sextò: Omnes creaturæ sua pulchritudine, bonitate, varietate hortantur hominem diligere, honorare Deum Factorem suum, sed Verbum Dei idipsum præcepto compellit. Magnum enim mandatum in lege est: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Septimò: Omnes creaturæ, quæ sunt sub homine, serviunt humano corpori, indiget enim corpus nostrum cibo, & potu, ut possit nutriri, conservari, sed Verbum Dei animam cibat, & satiat, roborat, augmentat, & in spirituali vita conservat. Vita enim animæ Amor Dei est, gaudium, spes, & consolatio secundum Deum. DOM. Meritò id quidem, cùm enim anima humana facta sit ad imaginem & similitudinem Dei, & inter Deum & animam nihil est medium, ideò nutriri debet divino cibo, & eo cibo, qui procedit de corde Dei. Qui ergo non recipiunt in cordis palato Dei Verbum, sed porcorum siliquis delectantur, vanis dico fabellis hominum, necesse est fame pereant, & morte perpetua moriantur. RÆM. Omnino ita necesse est. Verbum enim, quod de corde,

vel

ore hominis procedit, cùm sit fragile, cadu-
, incertum, & plerumque mendaciis ple-
, animam hominis non nutrit, sed inficit,
vivificat, sed occidit. Verùm ut melius
eris, quomodò Dei Verbum animam nutrit,
ta & illa duo, quæ sunt in anima, scilicet
untatem, & Intellectum: Vita enim animæ
sistit principaliter in Voluntate, quæ quan-
ivit, tunc & anima vivit. Et ideò ut Vo-
as veraciter, & salubriter vivat, necesse est,
Dei Verba eam subintrent, eam vegetent,
sustentent. Et idcirco Verba Dei nunc
cipiunt, nunc prohibent, nunc exhortan-
nunc laudant, nunc litigant, nunc depre-
ur, nunc comminantur, nunc pollicentur,
oc modo Voluntas hominis excitetur ad ti-
em, ad amorem, ad spem, ad gaudium, ad
solationem. Et quia anima humana, sem-
quærit verborum certitudinem, nec ea fa-
recipit, si videantur aut dubia, aut inania,
inutilia, ut ergo etiam Intellectus in Dei ver-
pascatur, necesse est, ut eloquia sua Deus pro-
autoritate confirmet, quæ tam magna, & so-
est quòd excedit omnes, probationes, inge-
, & argumenta quarum libet sapientum.
ando ergo Dei verba movent animam ad A-
rem, tunc pascitur ipsa Voluntas, quando
ruitur ad veritatem, tunc nutritur, & sagi-
ur Intellectus, DOM. Ex his, quæ de verbo
i luculenter disseruisti, agnosco aliam obli-
ionem maximam, quâ homo obligatur Deo
eatori suo pro suis Verbis ab eo recepis. O-

ſtendiſti enim in ſecundo Dialogo innumeras obligationes, quibus aſtringitur homo Factori Deo pro ſuſceptis creaturarum obſequiis. Verùm quia verba Dei ſunt omnibus creaturis multò nobiliora, & homini maximè utilia, imò neceſſaria; quia creaturæ corpus hominis reſpiciunt, verba autem Dei animam ipſam, ideò ſine ulla comparatione obligatur plus homo pro verbo Dei, unde anima ſua, & nutritur, & conſervatur, quàm pro creaturis, quibus ipſum corpus reficitur, & paſcitur.

De tertia natura creata, quæ ſine corpore perſiſtens tota ſpiritualis eſt.

CAPUT XLII.

RÆMUNDUS.

PUlchrè poſt ſermonem habitum de Verbo Dei, de ſubſtantiis ſpiritualibus tractare debemus, quas nos vel Spiritus vel Angelos nuncupamus. Per hos (ſicut in tota Biblia ſæpiſſimè patet) Dei verbum hominibus revelatur. Ipſi enim ſunt Angeli Dei, potentes virtute, facientes Verbum illius ad audiendam vocem ſermonum ejus. DOM. Cùm ſcalam creaturarum in principio noſtræ diſputationis erexeris, nihil illic de natura merè ſpirituali memini te dixiſſe. RÆM. Ideò illic non dixi, quia tunc non oporrebat, nunc autem iſta diſſertio hoc in loco, & pro his quæ jam diximus, & pro his quæ poſt dicturi ſumus, opportuna notabitur. In primis igitur ambigere non oportet, aliquas

eſſe

ſubſtantias incorporeas, ne maximum re-
ı omnium Conditorem impotentem, aut di-
utum fuiſſe cogitemus. Qui enim ſic cogi-
maximè vituperat atque inhonorat manum
ıipotentis Dei. Ut ergo Deum ſummis ho-
ibus proſequamur, confiteri oportet, ſub-
tias eſſe aliquas merè ſpirituales. Nam ſi
ıs creavit naturam totaliter corpoream, ut
omnia, quæ continentur in tribus inferiori-
ſcalæ gradibus, ſi etiam creavit naturam par-
corpoream, partim incorpoream, ſicut eſt
no, ſequitur etiam, quòd creaverit natu-
penitus incorpoream, qualis eſt Angelus.
M. Optima ſequela. Cùm enim Deus
ıs ſit ſpiritualis ſubſtantiæ, ideò debuit meri-
ıon ſolùm tales ſubſtantias condere, ſed
tò plures quàm corporales. Si enim natura
è corporea poteſt per ſe ſubſiſtere ſine ſpiri-
nulto magis, operante Deo, ſpiritus ſubſi-
ſine corpore: Oppoſita enim æquis rationi-
fulciuntur. Hinc patet, Deum ſpiritualem
tuales ſubſtantias, ſicut & corporeas, con-
ſſe. Non ſolùm autem, ſed & primò &
cipaliter eas condidiſſe, cùm ſint Deo ma-
ımiles & propinquæ. An verò ſint in ma-
ɔ, aut parvo numero abs te audire deſidero.
M. Omnino neceſſe eſt credere, in maximo
e incomprehenſibili eas numero conſtare.
ultitudine enim miniſtrorum dignitas regis,
paucitate plebis ignominia principis, ideò
millia millium miniſtrant ei, & decies millies
ena millia aſſiſtunt ei. Itaque ſi in natura
 cor-

porea sunt innumeræ species lapidum, herbarum, arborum, piscium, avium, quadrupedum, & innumera individua hominum, erunt etiam infinitæ species Angelorum. At ne putemus hanc multitudinem confusam esse, ideò oportet scire, quòd inter Angelos est ordo pulcherrimus, discretissimus, jucundissimus. Videmus enim, quod in rebus corporeis est ordo mirabilis, sunt enim quædam superiora, quædam inferiora, & quædam his media. Elementa & omnia inanimata sunt infima, vegetativa media, sensitiva suprema: Super hæc omnia est Homo omnium sublimissimus. Habet tamen etiam humana natura multiplicem statum secundum superius, & inferius. In hominibus enim sunt Agricolæ, Mercatores, Burgenses, Nobiles, Milites, Barones, Comites, Duces, Reges, & unus omnium Imperator. In statu Ecclesiastico sunt Rectores, Diaconi, Archi-Diaconi, Decani, Præpositi, Abbates, Episcopi, Archi-Episcopi, Patriarchæ, & super omnes Papa Apostolicus. Si igitur tam decorus est ordo in his rebus inferioribus, multò amplius in illis nobilissimis altissimísque spiritibus erit ordo mirabilis, artificiosus, jucundus. Sunt enim inter eos tres Hierarchiæ id est, tres sacri principatus, & in qualibet Hierarchia sunt infimi, sunt medii, sunt supremi, & hæc ordinatissima cujuslibet Hierarchiæ multitudo ad unum tendit omnium supremum. In Elementis, ut videmus, Ignis est dignior, in genere piscium Delphin, in avibus Aquila, in bestiis Leo, in hominibus Impe-


tator,

, omnia tendunt ad unum caput. Ita
ue in Angelis æstimandum est. Verum,
processus noster naturalis est, nec possu-
per viam naturæ tam subtiliter loqui de in-
libus, separatisque substantiis, sicut fidelis,
ualisque Theologus, ideò si volueris altio-
his, secretioráque cognoscere, doctorum
bros scrutari necesse est. DOM. Ego
etiam affirmo. Velim tamen nosse, anne
os homines, ita & ipsi quoque obligentur
Conditori suo. RÆM. Imò verò quàm
mè. Habent enim Liberum arbitrium, ha-
intellectum, habent affectum, habent quo-
innumera beneficia, pro quibus omnibus
gantur Deum diligere, revereri, honorare,
are, adorare, benedicere, qui illos de nihi-
ondidit, qui eos supra omnes creaturas sub-
vit, qui eos immortales constituit, omni sa-
tia & scientia imbuit, & sua dulcissima visio-
ı æternum felices reddidit. Verùm, ut ad
ra redeamus, multum hæ substantiæ incor-
:æ (Angelos dico) nos obligant Domino
ı nostro. DOM. Quare id obsecro?
M. Ideò scilicet, quia nobis quotidie sua
eficia præstant. Omnes enim admini-
torii sunt spiritus, missi in præsidia eorum,
hæreditatem capiunt salutis. Ne enim pec-
ıus custodiunt, peccantes arguunt, lapsos
;unt, cor compungunt, ad veniam dirigunt,
pœnitentiam cogunt. In adversis & arduis
ibus nos corroborant, nos lætificant, nos
ıservant; postremò nostram illuminant ra-

tionem, excitant voluntatem, tribuunt boni operis facultatem. DOM. Brevissimo verbo maxima in nos Angelorum beneficio demonstrâsti, pro quibus astringimur Deum, qui tales nobis promotores contulit amare, timere, glorificare, & multo amplius, quàm pro omnibus obsequiis quæ à visibili creatura suscipimus. Hæe enim corporalia sunt, & corpori solo præstantur, illa verò sublimia sunt, & spiritualia, voluntati tantummodò commoda, & rationi. RÆM. Certè nunc vidisti in hoc quoque dialogo, & in præcedenti, quomodò obligetur homo amare, timere, & honorare Deum Factorem suum. Nunc super est ostendere, an homo etiam id exolvit, id reddit, quod tenetur? Cùm multa voluptate & animi oblectatione quæ hactenus locutus sum excepisti, sed puto te in sequenti disputatione lachrymas effusurum. Verùm quia jam cernis nobis radios solis occumbere, & jam in longum noster sermo processit, dignum est ut sicut hactenus animæ, ita & asello corpori tribuamus quod suum est. DOM. Placet, sed licet (ut dicis) tristia sim auditurus, noveris tamen summo mane ad tuas me postes tediturum. Tristia enim, etsi amara sunt, tamen plerumque saluberrima sunt.



Quin-



QUINTUS
DIALOGUS.
)e miserabili humani gene-
ris lapsu, & quòd per unum hominem omnes cecidimus.

ı talis sit homo, qualis esse debet, & an faciat, quod facere tenetur?

CAPUT XLIII.
DOMINCUS.

¬Ota hac nocte concitavit me Spiritus meus ʟ præ desiderio sermonum tuorum. Sæpè ıim causabar noctis moram, at verò ubi aspe- . tenuissimum auroræ lumen, subitò è strato embra corripui, & huc hesternæ pollicitatio- i festinus occurro. RÆM. Amo, mi Domi- ice, sollicitudinem ardoris tui. Hactenus, si- ıt nosti, egimus processum nostrum per mo- um obligationis ac debiti. Ostendimus enim ominem propter multa beneficia, quæ acce- it, obligari Deo muneratori suo, hanc quo- ue obligationem esse naturalem, perpetuam, ndelebilem, incorruptibilem, scriptam stylo erreo in ungue adamantino, & exaratam in ani-

anima & corpore hominis, & in omnibus creaturis. Omnia enim creata propter hominem hujus insolubilis obligationis conferunt testimonium. Ostendimus etiam, quàm grandia bona sequantur hominem, si debitum, quo obligatur, exsolverit, & quam inexpiabile malum incurrat, si contempserit. Nunc autem adjutore Deo inquirendum est, an homo debitum obligationis, quo tenetur implicitus, etiam exsolvat, an suum opus cum suo debito concordet, an sit justum vel injustum, rectum an obliquum, secundum Deum, vel contra Deum id, quod agit? Scrutemur nunc profundè ipsum hominem, & interna viscera ejus, omnésque medullas penetremus, & inveniemus proculdubio, nihil hominem agere, aut cogitare, quod tenetur, sed omnia efficere contraria. Formemus igitur mentem ad lachrymas, & cum gemitu planctúque loquamur, videbimus enim gravissimam ruinam nobilissimæ & altissimæ creaturæ, & eam ruinam, quam nemo poterit erigere, nemo valeat expiare. DOM. Initia hæc sermonum tuorum gemitus mihi ociùs excutiunt. Tu tamen repressis parumper lachrymis, sensum tuum potenter exequere. RÆM. Faciam, quantum potero. Prima lux, quâ innitimur ad cognoscendum hominem, est agnoscere quid faciat. Agnovimus itaque ex præcedentibus libris, quid homo obligetur agere, quid cupere, quîd ore proferre, hic autem agnoscemus quid agat, quid cupiat, quid loquatur. Agnovimus (ut dixi) quod homo tenetur, primò Deum amare, ti-

re, honorare, laudare, benedicere, vene-
,& diligere proximum suum (qui Dei ima-
st) sicut semetipsum. Ecce hoc debet ho-
, vide nunc quid agat. DOM. Video pla-
nihil tale hominem agere, sed omnia con-
ia. Amat enim, heu dolor! primum, se-
ipsum, & contempto nequiter Creatore
prium quærit hominem, propriam laudem,
amam, & gloriam, & quicquid debet dari
ıcipaliter Deo factori & muneratori suo, si-
ribui, diligit, & impendit. RÆM. Ex
palàm animadvertis, hominem penitùs cor-
sse, habereque voluntatem omni justitiæ re-
lem, totique legi naturæ contrariam,
ra Deum, extra omnem pietatis regu-
am, extra semetipsam, penitùs corruptam,
aticam, impiam, perversam, alienatam, tur-
simam, superbissimam, falsissimam odibi-
n Deo, & ab ejus consortio longissimè sepa-
am, & æterna morte sepultam. Qualis au-
n voluntas hominis, talis est & totus homo,
:o contrarius, Deo rebellis, Deo capitalis ini-
cus omnium malorum radicem in se conti-
ns, perditus, corruptus, bis mortuus. Hinc
quitur, quod talis homo vadit ad æternam
stitiam, æternam pœnam, æternam miseriam,
calamitatem inexpiabilem, eò quòd perdide-
:, repuleritque perpetuum sui Conditoris
norem. DOM. Apertissimè nunc liquet,
ıæ sit hominis amara perditio, alienatio, cor-
ptio, degeneratio. Hoc omnes creaturæ
amitant, hoc prædicant, hominem esse vera-
citer

citer perditum, æterno ſupplicio dignum, & a Dei amicitia perpetuô ſeparatum. RÆM. Vidiſti nunc non ſine gemitu, quàm perditè ſe homo gerat ergo Deum, vide nunc, quomodò ſe habeat erga Dei imaginem, ſcilicet proximum, & ampliorem ejus ruinam intelliges. Homo enim obligatur amare quemlibet alium hominem ſicut ſemetipſum. Verùm nunc experimento diſcimus, quòd homo hominem lædit, affligit, confundit, deſtruit, & occidit. Nulla eſt inter homines vera unitas, vera ſocietas, vera pax, amicitia, concordia, ſed inimicitiæ, contentiones, æmulationes, diſſenſiones, iræ, rixæ, invidiæ, ſectæ, & univerſæ malitiæ. Quôd ſi forte inter aliquos reperiantur aliquæ aut concordiæ, aut amicitiæ, non illæ de amore imaginis Dei óriuntur, ſed propter temporales vel carnales rationes, quæ ſyncerum amorem nunquàm conſtituunt. DOM. Homo qui Dei inimicus eſt, Dei etiam imagini ſemper contrarius eſt, nec poteſt vero corde proximum diligere, qui Deum contemnit amare. Neque id mirum, ſi quemlibet extra ſe hominem odit, qui neque ſeipſum diligit. Qui enim diligit proprium honorem, odit profectò animam ſuam. RÆM. Cùm videam hominem ſic in abyſſum omnis malitiæ corruiſſe, non poſſum lachrymas continere, cernens eum non ſentire ſuam corruptionem, ſuam perpetuam mortem. Non dolet, non flet, non ingemiſcit; imò quotidie ridet, jocundatur, ſuperbit, & more amentis frenetici in febri carnis ſenſum

per-

lit carnis. Et instar ejus qui lethæo somno
ormiscens sua mala non sentit: Vulnera-
unt me, ait, & ego non dolui, percusse-
: me, & ego non sensi. DOM. Quia
› in semetipso sua mala non sentit, ostende
bsecro per res extra corruptas, quid de sua
:uptione sentire possit: Reduc eum per id
d extra novit, ad seipsum, quem non no-

mo potest considerare corruptionem
suam per res externas in se corruptas.

CAPUT XLIV.

RÆMUNDUS.

Acilè id fecero, utinam dignetur advertere.
Primò videat, quomodò vinum corruptum
quod est in acetum permutatum. Vinum
n & acetum habent qualitates contrarias.
m vinum est calidum, dulce, potabile, de-
abile: Acetum verò est frigidum, acerbum,
ndo nec potari potest, nec delectare. Ta-
est & homo, frigidus, amarus, & horridus.
sicut acetum nihil valet ad id, quod antè
ebat, ita & homo penitùs inutilis factus est,
Deo, & sibi, & creaturis. Et sicut acetum
ectum est à mensis, eo quòd nullam habeat
ni pristini bonitatem, ita & homo ab oculis
i projectus jacet, eo quòd nativam perdide-
dignitatem, & factus sit acetosus; ponti-
cus,

cus, crudelis, acerbus, æterna abominatione dignissimus. Secundò, quantum distat homo freneticus, amens, & fatuus ab homine sensato, sapiente, & docto, tantùm distat status hominis, in quo nunc putridus jacet, ab illo statu, in quo merito esse deberet. Tertiò: Quantùm distat mulier sordida, fornicaria, & adultera, quæ sicut stercus in via conculcatur, à muliere pudica, sobria, & honesta, tantùm distat homo nunc fornicans, & recedens à Deo suo, qui deberet illi esse fidelis, continens, & pudicus. Quartò: Sicut arbor, quæ habet in radicibus medullam amaram, crudam, & sylvestrem, poma tribuit pontica, acerba, sylvestria, quæ si quis gustaverit, obstupescent dentes ejus, ita homo cum habeat voluntatem corruptam, impiam, amaram, omnia opera ejus corrupta nascuntur, Deo & omnibus exosa creaturis, æternis ignibus deputata. DOM. Utinam in his speculis homo suam turpitudinem velit attendere, ut se deformem lugeat, & miserabilem.

Lapsus & corruptio hominis potest ostendi ex parte Juris paternitatis, & filiationis.

CAPUT XLV.

RÆMUNDUS.

ANimadverte nunc etiam hominis corruptam vitam, conferendo inter se Jus pater-

ternitatis, & filiationis. Attende diligenter, quid filius debeat ſuo patri carnali, à quo ſolum corpus accepit, & facilè cognoſces, quid homo debeat Deo Patri ſuo, à quo animam nobiliſſimam adeptus eſt, incorruptibilem, inſolubilem, ſpiritalem, interminabilem. Debet enim filius patri temporali amorem, timorem, honorem, fidem, reverentiam, obedientiam, conſtantiam, perſeverantiam, obſequentiam. Pari modò, imò multò ampliùs homo patrem ſuum ſpiritualem Deum tenetur amare, metuere, honorare, obedire, &c. Item filius carnis cavet, ne aut offendat, aut vituperet, aut contriſtet, aut dehoneſtet patrem ſuum: Cavet etiam, & ſe opponit, ne ab aliis aut offendatur pater, aut vituperetur, aut contriſtetur, aut indignè agatur. Hæc omnia multò diligentius debet obſervare homo erga Deum genitorem ſuum. DOM. Quorſum iſta? RÆM. Ut palàm videas hominis ruinam; homo enim in eo ſtatu, in quo nunc lapſus jacet, erga Deum nec amorem habet, nec timorem, nec obedientiam, nec humilitatem, nec ſubjectionem, nec confidentiam, nec ſpem, nec credulitatem. Imò (quod ſine gemitu non audies) odit Deum, & contemnit, vituperat, & in faciem ejus ſuperbiens rebellem ſe illi, & inobedientem, audacem, timidúmque conſtituit. Hinc reverà patet hominis perditio, corruptio, alienatio, & ſempiterna dejectio. RÆM. Planius adhuc patebit: Nos videbimus ad oculum, quando filius, aut offen-

dit, aut ſuperbit, aut calumniatur patrem ſuum carnalem, omnes eum & neqniſſimum, injuſtiſſimum, ingratiſſimum judicamus, freneticum eum, & inſanum dicimus. Cogita nunc, quo judicio, quo vituperio, quo ſupplicio dignus ſit, qui Patrem ſpirituum offendit, & mille injuriis afficit. Præterea, ſi graviſſimum crimen eſt, exaſperare, & contemnere patrem potentem, divitem, nobilem, ſapientem, ſine comparatione magis delinquit, qui Regem omnipotentem, & ſummè ſapientem, & optimum genitorem Deum aſpernanter habuerit. Quid nunc tibi videtur? DOM. Nihil aliud planè, niſi quòd homo ſe habet ad Deum, ſicut protervus, & rebellis & ſuperbus filius ad patrem ſuum. Atque ideò incurriſſe iram, & indignationem inextinguibilem Dei Patris omnipotentis, perdidiſſéque omnem hæreditatem, omnia bona, atque infinitas divitias illius, nec jam poſſe ſperare aut pacem, aut regnum, aut conſortium ejus, magis autem projici foràs, & in carcerem ſempiternum mancipari.

Lapſus hominis poteſt oſtendi ex parte Juris Fraternitatis.

CAPUT XLVI.

RÆMUNDUS.

QUòd in maximam ruinam ceciderit, poteris etiam animadvertere, ſi jus fraternitatis inter homines conſideres. Si enim inter

fratres

fratres carnales est tantus amor, tanta unitas, tanta germanitas, quòd nihil habeat divisum, nihil proprium, sed unus alterum defendit, protegit, dirigit, auxiliatur, & se in mortem objicit pro altero. Et hæc omnia faciunt, quia habent unum atque eundem patrem hominem, à quo carnali generatione prodierunt. Multò magis homines, quibus est unus pater spiritualis Deus, à quo omnes animam receperunt, debent se diligere, tueri, auxiliari, & in mortem tradere propter animas suorum fratrum. Hoc enim vehementer Deus Pater noster videre desiderat, hoc approbat, hoc se plurimùm delectat. DOM. Nihil tale inter homines nunc reperimus. Et licet unum habeant Patrem Deum, summæ Majestatis, & bonitatis Dominum, unus tamen alterum persequitur, odit, execreatur, & rapinis, fraudibus, injuriis, adulteriis, convitiis, ludibriis, & mille nequitiis contristat, conturbat, contaminat, & exterminat. Quia igitur omnis pax, concordia, veritas, justitia, amor, misericordia, & fraterna dulcedo inter homines periit, ideò manifestissimè patet, hominem esse corruptum, lapsum, putridum, perversum, perditum. Cecidit enim à statu spiritualis fraternitatis, à statu maximæ dignitatis & gloriæ ad statum summæ ignominiæ, summi vituperii, & opprobrii, à statu vitæ ad statum mortis sempiternæ. RÆM. Optimè tu quidem. Reverà enim in mortem animæ cecidit homo, etiam si corpore vivat. Quòd autem anima hominis mortua

facilè id probavero. Aliqua enim res cognoſcitur vivere, dum ſuas exercet operationes, ſi autem non operatur, mortua eſt. Et quia homo non operatur in quantùm homo (non enim amat, aut honorat Dominum Deum ſuum, nec dilig.t fratrem ſuum) ideò ſecundum animam mortuus eſt homo. Præterea vita animæ eſt Gaudium, quod provenit de puro amore, & ſocietate Dei, de vera quoque adinvicem fraterna charitate. Ubi autem tale Gaudium non eſt, ibi nulla animæ vita eſt, mortua igitur eſt. Præterea anima non ſentit, quia non ingemiſcit malum ſuum, ſuam corruptionem, alienationem, perditionem, ideò verè mortua eſt, & lethæo poculo conſopita. DOM. Ex iſto luce clarius apparet, animam ſic mortuam, & ſuis malis penitus, abſorptam, ad æterna neſciam feſtinare tormenta, nec unquàm ſeſe ſentire poſſe, niſi dum in mediis omnium pœnarum ſuppliciis ſe invenerit immerſam. Sed dicito mihi obſecro, nunquid in tam miſerabili, & perditiſſimo ſtatu optimus Deus hominem à principio condidit?

Deus non condidit hominem in eo ſtatu, in quo nunc lapſus jacet.

CAPUT XLVII.

RÆMUNDUS.

NUlla ratione dicere oportet, in hoc ſtatu, imò in hoc lapſu hominem condidiſſe. Quod poteſt oſtendi multi modis. Primò: Cùm

Cùm Deus omnia operetur propter honorem suæ Potestatis, sapientiæ, & bonitatis, nunquàm debuit hominem omnium creaturarum nobilissimam facere corruptum, turpem, bestialem, impium, inordinatum, injustum, qui omnes creaturas bonas fecit, & valde bonas. Hoc enim derogaret maximo honori suo. Secundò: Status, in quo nunc homo jacet, est omnino contrarius, & inimicus Deo. Est enim homo in hoc statu Dei Adversarius, suum usurpans honorem, & gloriam, & sibi ipsi tribuens. Talem igitur Deus hominem non condidit, qui sibi semper adversarerur, & dura cervice resisteret. Tertiò: Diximus suprà, quod sicut Deus omnia propter suum honorem, ita etiam propter hominis Utilitatem operatus est. Non ergo fecit hominem in malum, & incommodum suiipsius, quod utique sequeretur, si eum talem creâsset, qualis modò est. Homo enim ut modò est, est penitus sibi ipsi contrarius, in suum vergens incommodum, & maximum detrimentum, eò quòd amat in se propriam voluntatem, proprium honorem, quæ radices sunt malorum omnium, quæ mergunt eum in interitum sempiternum. Per has enim radices operatur continuè contra semetipsum in suum damnum, in suam ignominiam, in suam confusionem, & punitionem perpetuam. Quartò: Deus non debuit facere hominem contra ordinem totius Universi, omnes enim creaturæ faciunt, quod debent; & suo obediunt Creatori, sed solus ab imposita lege vagatur ho-

homo, ſolus ipſe obedire contemnit, ſuperbus, turgidus, erectus contra Dominum Creatorem ſuum. Prætereà, creaturæ requirunt hominem, quòd ſit Amicus Dei, qnia homini ſerviunt propter Deum, requirunt etiam hominem rationalem, ſapientem, ordinatum, compoſitum. Sed homo in hoc ſtatu eſt Dei inimicus, beſtialis, inſipiens, inordinatus, incompoſitus. DOM. Verè beſtialis, & inordinatus, in quo anima miſerabiliter ſervit, & corpus nequiter dominatur, cùm tamen anima ſit immortalis, incorruptibilis, ſptritualis, corpus verò ſit mortale, animale, tetreſtre, corruptibile. Quid tam beſtiale, quid tam perverſum, quàm ipſum corpus cum ſuis irrationabilibus, & turpiſſimis motibus animæ (quæ Regina, & Domina eſt nobiliſſima) dominari. eam verò corpori ſubeſſe, à corpore captivam trahi, & ſuis ignobiliſſimis paſſionibus ac voluptatibus aſſentire, imò non poſſe reſiſtere? Reverà ingens in homine ignominia, qui patitur in ſe rem beſtialem, & corruptibilem dominari rei nobiliſſimæ, atque perpetuæ. RÆM. Hinc ſanè intelligis, omnes creaturas, quæ inter ſe ordinatiſſimæ ſunt, hominis turpiſſimam arguere deordinationem, oſtendereque eum eſſe totius turpitudinem, & ſpurcitiem Univerſi. Quia igitur nihil operatur Deus contra ordinem Univerſi, ſequitur, quôd non talem fecerit hominem, uti nunc eſt. Qui enim fecerit creaturas bonas propter hominem, magis debuit facere hominem bonum. DOM. Optima aſſertio tua. Quia igi-

igitur optimus Conditor Deus non fecit hominem, qualem nunc cum lachrimis vidimus, rogo te, mi Ræmunde dulciſſime, oſtendito mihi, in quo illum ſtatu primùm Deus creaverit. Sicut enim acetum arguit vinum fuiſſe, ita hîc lapſus hominis arguit hominem aliquando ſtetiſſe.

Primus hominis ſtatus qualis fuerit, & quæ conditiones ejus?

CAPUT XLVIII.

RÆMUNDUS.

ISte lapſus hominis (ut verè dicis) ſatis oſtendir, ipſum hominem alium vitæ ſtatum aliquando habuiſſe, & conditiones contrarias conditionibus, quas nunc videmus. Conditiones verò, quas nunc in homine cum gemitu intuemur, ſunt: Quòd non cognoſcit, non diligit, non metuit, non laudat, non honorat Deum factorem ſuum, ſed amat propriam voluntatem, propriam laudem, vanè timet vanè, ſperat, vanè deſiderat, poſt vanitatem ambulat, & vanus effectus eſt. Prætereà, contra rationem iraſcitur, odit, indignatur, ambit, concupiſcit, & plus quàm oportet comedit, & bibit. Et hæc quidem ſunt mala animæ. Mala corporis ſunt infirmitas, fragilitas, carnis lubricitas, fames, ſitis, algor, & calor, gravis & moleſta ſenectus, incerta & amara mors. Ex his conditionibus malis arguimus

 ho-

hominem contrarias aliquando conditiones habuiſſe, Deum ſcilicet ſuum cognoviſſe, amâſſe, metuiſſe, honorâſſe, laudâſſe &c. Non tunc propriam voluntatem, aut laudem, aut gloriam quæſiviſſe, nihil turpiter appetiviſſe. Corpus verò humanum erat animæ verè ſubjectum, ſanum, integrum, robuſtum, vegetum, ſucco plenum, æquænum, impaſſibile, incorruptibile, agile, immortale. DOM. Iſtæ conditiones, quas tunc habuiſſe hominem oſtendis, arguunt in alio quodam loco habitâſſe, qui omnino ſit iſti loco contrarius. RÆM. Arguunt planè, & ideò ante ruinam homo incolebat locum amœniſſimum, jucundiſſimum, lucidiſſimum, ſuaviſſimum, opulentiſſimum, temperatiſſimum, in quo nec caumata, nec frigora, nec venti, nec turbines, nec grandines, nec fulgura, nec tonitrua, nec aliquæ peregrinæ inerant impreſſiones. In hunc autem Mundi carcerem poſt prævaricationem homo profectus eſt, in quo eſt tanta elementorum inclementia, donec judicii dies advenerit, ut vel tunc condemnatus perpetuò crucietur. DOM. O amaram miſeriam! ſed ulteriùs quæſo proficiſcere. *RÆM.* Hominem alium habuiſſe vitæ ſtatum oſtendunt palam omnes creaturæ. Sicut enim omnes colligantur cum homine, ita & iſte homo per bonam voluntatem ſuo fuit unitus & complicitus Creatori. Habebat enim ſe ſicut opus ad ſuum opificem, ſicut muneratus ad largitorem, ſicut ſervus ad regem, ſicut filius ad patrem. Secundò, ex

quo

quo tota nobilitas hominis conſiſtit in libero arbitrio bono, ſano, & integro (per liberum enim arbitrium homo dominatur omni ſub ſe creaturæ) conſequens eſt, quòd Deus fecerit hominem cum bono, & recto, & perfecto libero arbitrio. Cùm enim nihil ſit pejus, nihil vilius, nihil turpius, nihil abominabilius, quàm corruptum & putridum liberum arbitrium, ideò nequaquàm Deus tale arbitrium homini dedit. Alioquin dando tale liberum arbitrium, omnem abſtuliſſet homini libertatem, quia dediſſet ei libertatem contra libertatem. Corruptum, enim liberum arbitrium, & proclive, ac pronum in omne malum, miſerè liberum eſt, imò captivum abducitur, vitiis & ſordibus irretitum. DOM. Hæc eſt ſententia ſapientis: Vinculis ſeu funibus peccatorum ſuorum unusquisque conſtringitur. Patet igitur, ne libertas ſubruat libertatem, hominem accepiſſe à Deo optimam liberi arbitrii poſſeſſionem, nec quidquam habuiſſe rebellionis ſive in mente, ſive in carne. RÆM. Hinc ſequitur Tertium, quod dicere volui, quòd in primo ſtatu nihil in ſe homo poſſidebat, quod erat ſuæ voluntati contrarium. Et ideò anima ſua immortalis nolebat corpus ſuum eſſe mortale, paſſibile, variabile, infirmum, caducum, morbo aut ſenio confectum. Habebat igitur tale corpus, quale volebat, impaſſibile, robuſtum, gratiſſima juventute compoſitum, inſolubile, immortale. DOM. Quomodò quæſo potuit corpus eſſe immortale? RÆM. Virtute tempe-

ratiſſimæ complexionis, & virtute animæ immortalis, quamdiu enim anima non fuit corrupta vitiis, non poterat corpus morbis aliquibus aut fatigari, aut frangi; at quoniam omnes creaturæ obediebant homini, homine obediente Creatori, ideò non poterat nec ab igne lædi, nec undis ſorberi, nec terra ſubrui, nec aëre corrumpi, nec à feris immitibus lacerari, nec aliquo extrinſeco, vel intrinſeco ad mortem urgeri. DOM. Breviter quidem, ſed multum luculenter oſtendiſti mihi, quem habuerit homo ſtatum antequam in hanc ruinam deſcenderet miſerandus. Verùm cùm tu nunc dixeris, nec ab aliquo intrinſeco, vel extrinſeco præpediri, aut decipi, aut corrumpi hominem potuiſſe, unde ergo venit homini iſta corruptio, iſta dejectio, iſta perditio?

De origine corruptionis, & mali, quod eſt in natura humana.

CAPUT XLIX.

RÆMUNDUS.

AD primam usque hominis putredinem perſcrutantes, inveſtigabimus quæ ſit cauſa hujusmodi corruptionis? Et breviter dico, ſi homo à nullo aut corrumpi, aut decipi potuit igitur corruptus eſt, & deceptus à ſemetipſo. Ex quo enim nihil pati poterat contra ſuam liberam voluntatem, ideò ſequitur, quòd ſponte ipſe ſe talem fecerit, & ſua propria voluntate. DOM.

Iſtud

Istud est omnium amarissimum, quod potest audiri: Si enim in arce libertatis, & omnium bonorum constitutus, in hanc calamitatem suam sponte homo collapsus est, quis jam miserebitur ejus? Sed tu, rogo prosequere ulterius. RÆM. Quidquid enim boni erat in homine ante ruinam, hoc possidebat gratia liberi arbitrii sani, atque perfecti; ita quidquid est nunc in homine corruptionis, malitiæ, pœnæ, atque miseriæ, de putredine & amaritudine venit liberi arbitrii. Et quia omnia debent proportionari libero arbitrio, quando illud est malum atque corruptum, necesse est quòd omnia quæ sunt in homine, mala sint, & putrida, & mortifera. Hinc animam raptant mille furores, iræ, invidiæ, concupiscentiæ, scelera omnia, atque peccata. Hinc etiam corpus infinitis subjacet calamitatibus, morbis, passionibus, motibus. DOM. Nihil veriùs, quàm quod tu dicis. Ex quo enim Deus liberum arbitrium nec malum, nec corruptum fecerit, verè sequitur, quòd liberum arbitrium corruperit semetipsum. Et quicquid in homine miserum est, atque malignum, ex mera & spontanea descenderit voluntate peccantis. RÆM. Nonnè ergo tibi justum videtur, ut qui in malum cecidit voluntarium, malum in voluntarium patiatur? Nonnè justissimum est, ut qui sponte corruit in malum culpæ, malum pœnæ etiam invitus sustineat? DOM. Nihil justius, necessariò enim unum ab altero procedit. Unde, quia primum malum est voluntarium, & delectabile,

&

& ideò non facilè ſentitur, ideò neceſſariò ſecundum malum adhiberi debet, quod eſt involuntarium, pœnale, atque moleſtum, ut hoc poſterius primum manifeſtet, & à ſua revocet amentia: Semper enim vexatio magnum confert intellectum. RÆM. Ex iſto pulchrè intelligis oportere eſſe aliquem juſtitiæ ordinem, quo primum malum (quod eſt malum culpæ) puniatur per malum pœnæ, quod tamen eſt bonum juſtitiæ. Primum malum eſt cauſa ſecundi, ſed illud ab homine malo ſponte comittitur, iſtud à bono judice Deo homini irrogatur, ut qui non timuit perpetrare malum, quod non oportuit, malum ſuſtineat, quod maximè nolit. DOM. Juſtum profectò judicium, ut quia voluntas hominis exiit ab ordine naturæ, in ordinem cadat diſtrictæ juſtitiæ. Juſtum certè eſt, ut qui ſemetipſum ſponte impulit in malum delectabilis culpæ, à Deo judice impellatur in malum miſerabilis pœnæ. Quia enim homo gloriam ſui arbitrii & decorem propriæ dignitatis in totam malitiæ turpitudinem permutavit, ideò fecit Deo ſummam injuriam, ſummam offenſam ſtatuit, & diſcordiam, ac proinde tanquàm Deo contrarius, perdidit ejus amicitiam, complacentiam, & gratiam, & idcircò plaga inimici percuſſit eum vulnere inſanabili, caſtigatione crudeli. Cupio tamen abs te noſſe hujus miſeriæ atque malitiæ authorem, mihi uno digito oſtendito.

Prop-

Propter primi viri, ac mulieris inobedientiam hoc malum culpæ & pœnæ in omne hominum genus intromissum est.

CAPUT L.

RÆMUNDUS.

SI sacris literis credimus per Adam primum virum, & Evam suam conjugem, hoc corporis & animæ malum, quod patimur, transmissum est. Verùm quia totus processus noster naturalis est, & nihil per scripturas probamus, propter incredulos, ideò ad oculum necesse est hunc primum hominem demonstrare, & primam corruptionem. Sicut ex malo pœnæ arguimus malum culpæ fuisse, ita ex qualitatibus & conditionibus pœnæ qualitates pœnarum agnoscimus. Et quoniam pœna, quæ est in natura hominis, est universalis, & communis omni sexui, & omni conditioni, ideò & culpa, & injuria, est omnibus communis, atque universalis. Et quia omnes nascuntur cum ista pœna, & miseria, sed neque in utero, neque nascendo possunt committere culpam, quia culpa malum est voluntarium, quod à parvulis nascentibus perpetrari non potest: Idcircò clarè patet, quòd ille, qui fecit primum malum voluntarium, vir fuerit perfectus, & adultus, fueritque primus homo, pater universalis generis humani, à quo hæc malitiæ & corruptionis venena in omne hominum genus longè, latéque diffusa sunt. DOM.

Pru-

Prudenter ostendis ex identitate pœnarum in omne hominum genus ab uno primo parente omnes propagatos esse, & de lapsu unius omnes corruisse. RÆM. Verùm, quia hoc malum est in utroque sexu, ideò sequitur, primam etiam mulierem fuisse corruptam, & hanc culpam & conjugi & uxori esse communem. Et quia videmus quasi duplicatam pœnam in muliere, quæ in dolore gravissimo & parturit, & parit, hinc facilè advertimus, fœminam primum offendisse Deum, & ab ipsa omnem corruptionis malitiæ fomitem emersisse. DOM. Primum mihi hominem ostendisti, sed ostende nunc obsecro primam culpam. RÆM. Dictum est supra, quòd in primo statu ante lapsum Adæ omnia membra hominis obediebant voluntati, erantque sub imperio rationis. Sed modò experimur, unum membrum in utroque sexu, membrum scilicet genitale, tam rebelle esse, ut nolit acquiescere imperio coërcentis, quid hoc putas significat? DOM. Hoc certè, quòd sicut omnes per inobedientiæ membrum generamur, ita omnes nos esse inobedientiæ filios, & parentes habuisse rebelles. RÆM. Rectè tu quidem. Nam parentes habuimus Deo inobedientes, sed inobediens nemo est, nisi qui contemnit mandatum, fuitnè igitur aliquod Dei mandatum, cui inobedientes extiterunt? Omnino Deus debuit primis parentibus ponere aliquod mandatum propter certas rationes. Primò ratione liberi arbitrii, cujus sunt opera remunerabilia, ut ergo ex parte ope-

rum arbitrii recipiat homo præmium, prius debuit habere mandatum. Secundò, cùm homo (licet impassibilis esset, & immortalis) egebat ampliori perfectione, & cœlesti gloria, jucunditate, & beatitudine, ad hoc enim suus eum Conditor fecerat, ideò Deus debuit illi dare promerendi occasionem. Et quia nihil efficacius est ad meritum, quàm pura & prompta obedientia. Primum enim & radicale opus servi ad Dominum est, ex corde & simpliciter obedire, in quo omnia alia opera fructuosa redduntur. Nam si obedientia non est syncera, nullum erit opus acceptabile; idcircò certè homo debuit primum exerceri in opere obedientiæ. Debuit igitur accipere mandatum, & tale mandatum, in quo nulla potuit utilitas apparere, ne propter commodum cuperet operari, sed ex mera obedientia præcipientis Dei, ut vel sic dilectio probaretur, & probata coronaretur. Verùm ne putaret hoc mandatum homo frivolum esse, nec magnoperè Deum curare, si rumperetur, ideò gravissimam pœnam comminatus est Deus, mortem scilicet, quæ est omnium formidatissima, & amarissima, ut suum præceptum servaretur illæsum. DOM. Intelligo manifestè primam culpam. Ex quo enim ab Adam in omnes homines mors suam exercet tyrannidem, facilè iquet, hanc de inobedientia primi patris pululâsse. Prima igitur inobedientia est, de qua mnium malorum, pœnarum, corruptionum, calamitatum germen emersit. Si enim homo o-toplastus obedientiam suo servâsset opifici, om-

omnium bonorum confirmationem meruisset, & æternâ esset gloriâ coronatus. Sic postquam obedientiam fregit, quicquid boni habuit, perdidit, & perpetuam amaritudinem conquisivit. Et tamen vehementer mirandum, cur homo in tanta perfectione creatus, divinis beneficiis auctus, Dei specialis amicus, singulariter ab eo sublimatus, Deum sic voluerit offendere, & fracto tam facili mandato nihil læsus pertinaciter rebellare?

Homo nunquam Dei præcepta fregisset, nisi ab alio fuisset instigatus.

CAPUT LI.

RÆMUNDUS.

REverà, mi Dominice, nunquàm homo tantis beneficiis honoratus Dei mandata fregisset, nisi per alium quempiam fuisset instigatus. Rursum nunquàm potuisset homo Dei Amator instigari ad mandata frangenda, nisi Instigator majus aliquod promisisset bonum, quàm quod homo tunc possidebat. Improba igitur atque importuna instigatio, & magnarum rerum promissio hominem impulit ad ruinam. DOM. Sed quis fuit obsecro ille Falsarius, qui hujusmodi dolis hominem fefellit, & impulit? RÆM. Quicquid homine inferius est (eo quòd industria caret) hominem decipere non potuit, sed nec ipsa hominis natura in id inclinata fuit, ergo sequitur, quòd

òd malignus aliquis sciens, & potens operari
lum, & hominis invidens prosperitati, &
lversarius Creatori, hominem instigaverit in
ım præsumptionis audaciam. DOM.
portet ergo necessariò dicere, quòd iste, qui
pulit, vel persuasit homini, naturæ fuerit
ritualis, Angelus aliquis malus, corruptus,
aticus, & prolapsus. Atque inde sequitur,
òd in natura merè spirituali facta erat corrup-
, antequàm fieret in natura humana. RÆM.
rè sequitur. Nisi enim priùs Angelus cor-
sset, nunquàm humana natura eo instigante
i mandata fregisset. DOM. Libenter as-
tior, sed rogo te, unde tanti mali corrup-
in natura Angelica originem duxit? cùm
m fuerit bona ab optimo Deo creata, quis
n quæso corrupit? RÆM. Tantæ subli-
atis est Angelica natura, quòd à nullo po-
rit ad casum persuaderi. Peccavit igitur
propria instigatione permota, nullo docen-
nullo monstrante. Occasio autem hujus
næ ista fuit. Spiritualis etenim natura cùm
ata in summa dignitate, nobilitate, subli-
ate, & pulchritudine, haberétque liberum
itrium admodum purum, altum, & ingen-
um, idcircò habuit magnam occasionem su-
biendi, & in semetipsa oblectandi, se admi-
di, se diligendi, sed ubi horum occasio ma-
est & ruina propinquior. Primus igitur An-
lus, & multi cum eo, statim ut fuerunt crea-
contempta divina Majestate, & pulchritu-
ne cœperunt propriam amare voluntatem, pro-

 priam

priam pulchritudinem, & honorem, & ita ut amantes atque erratici peccaverunt, & ceciderunt, & à Dei consortio projecti sunt. Sic itaque primus angelus cùm esset omnium pulcherrimus, & nobilissimus, spreto maximo Creatore, privatim cœpit amare decorem, & seipsum Deum statuens, propriam veneratus est altitudinem, propriam amplexus voluntatem, & proprium in aliis ambivit honorem. Atque hoc modo, cùm nunquam Deum amaverit, nunquam veneratus sit, sed semper seipsum superbissimè dilexerit, ideò factus est inordinatus, perversus, injustus, Deo contrarius. Habuit enim semper à die, quâ conditus est Amorem proprii honoris, laudis, & excellentiæ, cupiens justissimè omnibus dominari, omnibus anteferri. Et quidem, si non superbisset, omnibus illum Deus prætulisset agminibus Angelorum, idcircò enim tam sublimis, ingenuus, & decorus præ cæteris conditus fuerat. Verùm, quia abjecto Deo propriâ gloriâ delectatus est, cum esset creatura recenter Dei manu de nihilo producta, ideô summam injuriam, offensam, & rapinam fecit Conditori suo, se Deum faciens, se colens, & coli atque adorari ambiens. Et quia Amor convertit Amantem in rem primò amatam, ideò hîc primus Angelus totus conversus est in suam propriam voluntatem, quam semper sequitur, semper amplectitur, & nullam aliam, & ideò quicquid semel vult, semper vult, & propria authoritate vult, estque obstinatus in sua voluntate, ut in æternum aliud

velle

lle non possit, nisi propriam voluntatem: Id-
cò odit summoperè omnem voluntatem suæ
luntati resistentem, atque ideò vehementis-
ıè Deum odit, & execratur, & Dei volunta-
quantùm potest resistit, & contradicit. Verùm
ia nunquàm potest Dei voluntatem impedi-
, ideò sævit, fremit, indignatur, & suâ apud
malitiâ contabescit. Porrò omnes illi Angeli,
i à principio hujus Luciferi improbis ausibus
verunt, & superbiæ cornu dederunt peccato-
sub ejus voluntate, principatu, atque impe-
 redacti sunt, & hujus pestiferi capitis mem-
a effecti, nihil aliud possunt aut velle, aut
ıare, quàm quod ille concupiscit. DOM.
 his, quæ nunc dicis, duas palàm volunta-
s primas intelligo, multùm inter se discordes,
longissimè inter se distantes, quarum una est,
oluntas æterna, & alia Voluntas Luciferi no-
, quæ mala est, & primò mala, non Deo sic
m creante, sed illo operante. Ad has duas
imas voluntates omnes aliæ reducuntur. Si
ıim sunt bonæ, vadunt ad voluntatem Dei, si
alæ, sub voluntatem cadunt Luciferi. Hæ
ıtem contrariæ geminæ voluntates geminum
nstituunt exercitium continuè contra se pu-
ıantem, & se mutuò sternere cupientem,
erque fortis, utérque terribilis, sicut castro-
ım acies ordinata, Quoties tamen Rex cœ-
rum cum sua militia vincere voluerit, necesse
t, ut vincat & partem subruat inimicam. RÆM.
ebes tamen nosse, bonorum exercitum Ange-
rum caput proprium non habere, quod in

Lucifero corruente perdiderunt, Deus enim non potest esse suæ caput creaturæ, idcircò necessarium est, ut Deus bonis Angelis novum caput constituat, de quo suo loco dicemus. Tu tamen diligenter notato, quale hoc caput futurum sit. DOM. Faciam quod hortaris. Intereà tu, quod cæpisti, prosequere.

De magnitudine malitiæ, & corruptionis in primo Angelo, & malo ejus culpæ & pœnæ.

CAPUT LII.

RÆMUNDUS.

SOluta est (ni fallor) quæstio tua, quâ quærebas, unde tanti mali corruptio in Angelicam potuerit subingredi creaturam? Nunc de magnitudine hujus corruptionis pauca dicamus. Quando res aliqua permutatur in contrarium suæ naturæ, necesse est, ut ascendat ad tantum malitiæ gradum, quantus erat ipse gradus bonitatis, vel esse poterat. Et quantò res, quæ pervertitur est melior, altior, nobilior, tantò pejor efficitur, vilior, & malignior. Quia igitur Lucifer inter omnes Angelos erat longissimè melior, clarior, pulchrior, sapientior, ideò postquàm suâ se superbiâ corrupit, factus est omnium infimus, pessimus, turpissimus, obscurissimus, vilissimus, amentissimus, Et talis omninò effectus est, qualis est, & sua voluntas perversa, inordinata, cæca, superba, malevo-

levola. Hanc autem voluntatem, quia semper ipse diligit, ideò non diligit nisi omnem malitiam, turpitudinem impietatem, scelera omnia, atque peccata. Hinc execratur summoperè omnem justitiam, fidem, pietatem, virtutem. DOM. Utinam tam deformem nobis hunc scelestissimum tuo depingas sermone, quò eum deinceps acriter aspernemur. RÆM. Verùm, quia hìc superbissimus intellectum habet altissimum, & post Deum summè subtilem, qui semper cum sua voluntate concordat, ideò inflectit illum ad inveniendas novas artes, novas deceptiones, fraudes, mendacia. Et quia ipse est mendax, & mendacii pater, ideò inquirit falsas quotidiè persuasiones, cautelas, tentationes, & per mille meandros inserpere nititur cordibus electorum, anguis lubricus, & immundus. DOM. Miror, si hîc pestifer hanc tantam suam malitiam ipse non videat. RÆM. Planè non videt, propriâ malitiâ & excæcatus, & obduratus. Amor enim suæ nequitiæ ita illic cordis oculos obducit, ut sua infinita scelera non videat, nec propriam corruptionem, aut turpitudinem intelligat, quò vel dolere possit, vel pœnitere. Atque ideò semper quoties aliquid quod nolit, patitur, contra Deum murmurat, Deum maledicit, atque blasphemat. DOM. O funestissimum omnium malorum caput! O principem omnium vitiorum, omnium tenebrarum, & omnium scelerum ac turpitudinum inventorem. RÆM. Agnovisti nunc, quale sit Lucifero malum culpæ, vide nunc malum pœnæ.

næ. Qui enim malum commisit voluntarium, debet malum involuntarium sustinere. Fuit enim creatus à Deo, ut si in bonitate nativa persisteret, ad summam felicitatem transferretur, ita postquàm suâ se sponte corrupit, multa illum calamitas est consequuta. Primò irremediabili exilio à Dei visione, à Dei pace, à Dei bonitate rejectus est. Secundò, à summo cœlo expulsus, in caliginosum hunc aërem, quasi in quodam carcere, cum suis satellitibus relegatus est. Tertiò, post hunc carcerem temporalem in profundissimum infernum, æterno igne cruciandus, præcipitabitur. Licet enim ad hos ignes Dei judicio condemnatus sit, nondum tamen sententiæ executio est consummata. Alioquin nec primos parentes aut tentare, aut contra Deum instruere potuisset. Quartò est intra se vehementer inordinatus & incompositus in omnibus cogitationibus & desideriis suis, horridus, amens, turgidus, inflatus, asper, immitis, furibundus, sine pace, sine quiete, sine fœdere, semper cupiens suam voluntatem nequissimam adimplere, & quia id efficere non potest, in summa mœstitudine vitam agit, & indignatione. Et licet interdùm de malo perpetrato aliquantulùm gaudeat, tamen rursum de majori bono contristatur. DOM. Reverà ingens hujus bestiæ calamitas, & ideò amarissima, quia perpetua. Nec minùs miseri & infelices sunt, qui hujus pestiferi capitis membra fiunt.

Ho-

Homines qualiter incorporantur cum Lucifero, & fiunt membra ejus?

CAPUT LIII.

RÆMUNDUS.

DIctum est paulò antè, quòd non sunt nisi duæ Voluntates primæ inter se plurimùm contrariæ. Una est voluntas Dei, & hæc est communis in omnibus bonis Angelis & hominibus. Alia est Voluntas Luciferi mala, & hæc communis est in omnibus perversis Angelis & hominibus. Et quia omnis voluntas prima, inquantùm prima, nulli subjicitur, sed facit ex seipsa suum Regnum & Dominium, & habet suas leges, & instituta, ideò non sunt, nisi duo Regna, Regnum scilicet Dei, & Regnum Luciferi, Et quia hìc Lucifer propria voluntate & virtute vult Dominari, ideò tanquàm Deus in omnibus suum quærit honorem, se vult coli, se metui, se adorari. Atque ideò omnia illa diligenter inquirit, per quæ potest maximè venerari, Dei cultum impediens, & Dei regnum. Videns itaque primum hominem in Paradiso vitam feliciter agentem, Deum colentem, & amantem, & cœlestia post hæc Regna præstolantem, tactus invidiâ cordis intrinsecùs, hominem cœpit tentare, discutere, instruere, offerre plurima, & plura promittere. Nec ante destitit improbus exactor, avarus prædo, donec hominem sponte illectum Dei inimicum

efficeret, & ſuis eum legibus & voluntatibus ſubjugaret. Hoc modo captivavit hominis voluntatem, quæ eam removit à Dei præcepto, & ſuis obſequiis irretivit. DOM. Meritò hinc factus eſt homo mancipium & membrum diaboli. A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. RÆM. Debes tamen agnoſcere, quod aliter Angeli mali ſunt ſub dominio Luciferi, & aliter homines. Quia inter Angelos nullus habet propriam voluntatem à voluntate Luciferi ſeparatam. Et ideò inter eos nulla eſt diſcordia, nulla lis, nulla rixa, ſed omnes unanimiter complere ſatagunt ſui principis voluntatem. Porrò homines aliter fiunt membra maligni dæmonis, quilibet enim homo malus habet propriam ex ſe voluntatem, & tot ſunt diverſæ voluntates, quot homines. Inde tot inter homines jurgia, tot quotidie lites, & contentiones. Omnes tamen hæ voluntates, quia malæ ſunt, ſigno Luciferi conſignatæ ſunt, & ad ſuam militant voluntatem. DOM. Intelligo planè, his enim pravis hominum voluntatibus diabolus ſe immiſcet. Et quia gaudet in rebus peſſimis, ideò movet hominem contra hominem, gentem contra gentem, & regnum adverſus regnum. Hujus inſtinctu fiunt homicidia, ſtupra, adulteria, veneficia, ſortilegia, & mille omnium generum ſcelera. RÆM. Ita eſt ſanè. Utitur enim iſte malignus hominum impiorum voluntatibus ad ſua nequiſſima deſideria, & quod ipſe per ſuos Angelos compellere non poteſt, hominum perverſorum in-

iiis deducit in actum. Sicut enim eques fræ-
jumentum, cui insidet, ubi voluerit im-
git, ita diabolus quasi quodam persuasionis
istro hominum mentes (quibus præsidet) in
vota perducit. Postquàm igitur homo à
o inobediendo recessit, diaboli jumentum
tus est, velit, nolit illi obediens, illi serviens
tributo. DOM. O miserrimam homi-
servitutem multis deflendam lachrymis! qui
atrones incidens, spoliatus est omnibus bo-
, & solùm captivus adductus, sed etiam cap-
us captivorum effectus est. Plura dicerem,
me lachrymæ, gemitúsque præpediunt.

e multiplici carcere, & captivitate col-
lapsi hominis.

CAPUT LIV.

RÆMUNDUS.

Go quoque non minus quàm tu lachryma-
baliter mæstus conceptum sermonem reti-
re non prævalens, quod tu subtices, ego
eriam. Triplicem hominis carcerem debe-
us agnoscere. Primus est, carcer Corpora-
, vallis hæc lachrymarum, in quo de amœ-
ssimo paradiso projectus jacet. Potest etiam
oc mortale corpus caducum, & miserum, me-
tò etiam carcer appellari, in quo anima lan-
uida & moribunda implicita retinetur. Secun-
us carcer est spiritualis, ipsa scilicet voluntas
iaboli, quæ est carcer universalis, in quo re-

cluduntur omnes impiæ voluntates, ut nequeant operari, nisi ad Luciferi voluntatem. DOM. In hoc carcere (si non fallor) & ipse Lucifer implicitus tenetur, ut stultus innectatur vinculis suis. RÆM. Nihil verius. Tertius carcer est ipsa propria hominis voluntas, in qua ipse homo compedibus astringitur, ut sese ad bonum movere non possit. Nulla certè major est & crudelior captivitas, quàm propriæ voluntatis. Hæc est illa insatiabilis vorago, & inplebilis charybdis, quæ in infinitum sua desideria tendit cumulata, à Dei voluntate recedens, per tot spargitur concupiscentias, quot se res offerunt, quæ poterant concupisci. DOM. O quàm salutiferum esset homini sub Dei voluntate mansisse! jam enim haberet summam in sua Patria libertatem, nullam nunc sciret aut mortem, aut corporis miseriam, nullam horum carcerum sentiret angustiam, nullam experiretur Dei indignationem, sive vindictam.

Corruptio liberi arbitrii, & ipsius carnis conrrario modo se habet in primis parentibus, & in posteris.

CAPUT LV.

RÆMUNDUS.


HUmana natura dividitur in duas partes, in primos scilicet parentes, & in suos posteros. Primi parentes non sunt propagati, sed Dei manu conditi. Tota autem posteritas carnem

n quidem propagatione sumpsit ad Adam, sed
mam creando Deus infudit carni propagatæ.
ia igitur carne ab Adam descendit tota poste-
s, sequitur, quòd omnis corruptio, quæ in
teris invenitur, de carne corrupta venerit
otoplasti, & hæc corruptionis diversitas. Ille
m corruptionem carnis traxit de corruptione
erbissimæ voluntatis, nos autem qui posteri
nus, de carnis corruptione animarum nostra-
n maculas possidemus. Illius carnem corru-
contumacis animæ inobedientia, nostram
mam commaculat miserabilis, & infirma
o, de fœtenti libidine per propagationem
nerata. Omnis enim caro humana, quæ per
itum fœdæ libidinis generatur, infirma est,
dida, caduca, mortalis, & rationi rebellis,
na concupiscentiarum, & malorum motuum.
ideò anima rationalis, quæ tali carni sociatur,
ntinuò inficitur, pervertitur, corrumpitur,
didatur, non aliter, quàm si balsamum pu-
simum turpissimo vasi infuderis. Hanc cor-
ptionem contractam à carne anima manife-
t, quando uti incipit libero arbitrio. Tunc
im invenitur, Deum ignorare se & sua bona,
mala nescire, suam amare voluntatem, &
ei jussa contemnere. DOM. Duos ex his,
æ dicis animæ status accipio. Unum, quem
bet ante usum arbitrii, in quo propter cor-
ptam carnem, cui jungitur, jam est immun-
, turpis, & Deo odibilis, licet nihil suâ spon-
peccaverit, cui tamen hæc immunditia impu-
tur propter carnem primi patris corruptam,
cui

cui inhæret. Alium ſtatum habet anima poſt uſum liberi arbitrii, quod quia prius à carne vitiatum eſt, ideò ipſa anima propria voluntate actualiter malum agit, & non poteſt niſi malum agere, & Deo rebellare. Et ideò efficitur multò deterior, & turpior, quam fuerat antè. Si eam potuit inquinare, & ream facere crimen originale, & involuntarium, multò magis rea erit propter actuale malum, quod voluntariè commiſit. Sed dic mihi obſecro, quare Deus, qui juſtiſſimus, & clementiſſimus eſt, animam ream tenet propter originale crimen, quod voluntariè non contraxit? RÆM. Reum quidem tenet, involuntario tamen malo non punit. Quia nemo debet pœnâ involuntariâ puniri, niſi voluntariâ culpâ deliquit. Separatur tamen talis anima æternaliter à conſortio Dei propter originalem maculam, & mortiferam, quam ab Adæ carne contraxit. Et in hoc vide diſtrictiſſimam juſtitiam Dei, quæ animæ ignoranti malum imputat, quod ſpontè non fecit. DOM. Sed quare Deus animam mundiſſimam corpori infundit, quam novit ſordidandam eſſe, atque corrumpendam? RÆM. Quòd anima corrumpitur, atque etiam poſt corruptionem à Dei conſortio ſeparatur, nullatenùs eſt bono Deo imputandum, nec eſt contra Dei juſtitiam, ſi malum culpæ transmittatur ad poſteros. Hæc eſt enim inter Deum & hominem facta conſtitutio, ut homo per coitum carnem gignat, & Deus genitæ carni animam infundat. Sed poſtquam primus homo ſuum corpus

inobediendo corrupit, & per tale corpus
:uptum fit aliorum corporum propagatio, &
t corpora, ita & corporum vitia transmit-
:ur. Licet igitur homo suum opus corrupe-
Deus tamen propositum ordinis suis mutare
ı debuit, quamvis enim caro sit Dei justo ju-
o punita, hoc est caduca, & corruptibilis
a, propter hoc tamen primam constitutio-
ı Deus violare noluit, quin semper propa-
s corporibus, licet vitiatis, animas mundas
ındat, quibus dum sociatæ fuerint, maculas
trahunt, & ruinas. Ista igitur ruina non
ɔ imputanda est, sed infecto, & pestifero
pori, quod à ruinosa & corrupta carne primi
entis descendit, de cujus peccato quidquid
evolum vel miserum, in anima, & carne po-
itas patitur, originem duxit. DOM. Sed
ıquid ipsa propagatio, seu generatio de se
ısmittit in posteros ipsam quam cernimus
usque hominis corruptionem? RÆM.
n ipsa generatio, sed generationis libido,
: generationi de communi lege ruinæ conjun-
ır. Nam ante peccatum fuisset utique pro-
atio, sed libido nulla fuisset. Cerne nunc,
Dominice, miserabilem hominis corrupti
;œdiam, luctu, & lachrymis plenam. DOM.
li fateor, optime magister, & inconsolabili
ore percussus sum. Nec ullatenùs potero re-
are, nisi ostenderis mihi, quibus remediis
ı ingentia poterunt hominis mala reformari.
M. Animo æquior esto, in proximo est ut
soleris. Verùm quia cernis prandii horam
insta-

instare, quæso, ut usque post meridiem præstoleris. DOM. Pareo libens.



SEXTUS DIALOGUS.

De reparatione lapsûs humani, & quòd per unum omnes consurgimus.

Qualis, & quàm magna sit hominis obligatio pro injuria & offensa Dei.

CAPUT LVI.

RÆMUNDUS.

PRiùsquam loquamur, quomodò possit collapsus, & confractus homo reparari, necessè est dicere de magnitudine offensæ, & maxima obligatione injuriæ, quam homo protervus, & inobediens in Deum maximum perpetravit. Tunc primùm tibi sapiet magnitudo, & dulcedo remedii, cùm magnam ægritudinis acerbitatem agnoveris. DOM. Rursùm (ut video) me ad lachrymas mittis. RÆM. Ita omninò necesse est. Nunquàm nec humilis, nec gratus tuo medico fies, nisi ægritudinis tuæ mor-

:bum ad liquidum deprehenderis. Non
abis medicum tibi opportunum fuisse, nisi
ı vulnerum tuorum desperatam putredinem
ıitus fueris. DOM. Si sic necesse est, fa-
', ut voles. RÆM. Ut magnitudinem
œ atque offensæ agnoscas, oportet te non-
la animadvertere. Primum est, quòd om-
offensa tanti est æstimanda, tantúmque pon-
anda, quanta est ipsa, quæ offenditur per-
a. Cùm igitur sit Deus infinitæ majestatis,
entiæ, & bonitatis, ideò injuria in Deum
ımissa penitùs est infinita. DOMIN.
ıc palàm intueor, quòd qui Deum offendit,
igat se ad infinitam atque interminabilem
nam. RÆM. Secundum: Nam ex quo
ria in Deum commissa lædit, ac destruit,
ntùm ex se est, Honorem & Gloriam Dei,
est infinitus, ideò talis in homine contemp-
fit in infinitum, & ad infinitam obligat ama-
dinem. Tertium: Si homo complêsset in
ervatione mandati voluntatem Dei, infini-
ı bonum, & meritum interminabile meruis-
qui enim facit, quod præcipit Deus, obli-
Deum sibi, ut præmium referat infinitum.
ur quando homo facit, quod prohibet Deus,
igat se Deo ad demeritum, & ad supplicium
piternum. Faciendo itaque quod odit atque
:rnatur Deus, plus operatur de malo, quàm
ıs illi operatus est bonum. Nam Dei mu-
a, quamvis maxima, tamen finita sunt, sed
um culpæ, quod perpetrat in Deum homo,
nfinitum. DOM. Colligendo ea, quæ
su-

ſuprà dixiſti cùm his, quæ nunc dicis, duas hominis obligationes eſſe conſidero. Una eſt naturalis, quæ cauſatur de Dei beneficiis acceptis, per quam aſtringitur homo dare Deo, quidquid invenit in ſe amoris, reverentiæ, laudis, & honoris. Hæc obligatio & bona, & perpetua eſt. Alia obligatio eſt, quam fecit homo pro malo culpæ, quod operatus eſt, per quam aſtringitur homo dare Deo, quidquid invenit in ſe amoris, reverentiæ, laudis, & honoris. Hæc obligatio & bona, & perpetua eſt. Alia obligatio eſt, quam fecit homo pro malo culpæ, quod operatus eſt, & pro offenſa in Deum commiſſa. RÆM. Benè conſideras. Sed hoc debes etiam nôſſe, quòd homo hac ſecunda obligatione implicitus primam ſolvere non poteſt. Impoſſibile eſt enim, ut homo criminibus irretitus, & Dei inimicus, reddat Deo debitum dilectionis, honoris, & laudis, quod tamen pro ſuſceptis beneficiis reddere continuò tenetur. Vides igitur, quàm nociva, quàm maligna hæc obligatio ſit, quæ primam impedit ut reddi non poſſit. Hæc præterea obligatio aliam de ſe generat omnino funeſtiſſimam. Nam qui mortali peccato obligatus eſt, à peccato perpetrando ſe continere non poteſt. Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati, qui autem ſervus eſt, ut peccato obediat, neceſſe eſt. Uno igitur peccato commiſſo, impellitur continuè homo, ut ſecundum, tertium, quartúmque committat. ut qui malus eſt, malus fiat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc. DOM.
Hæc

Hæc tertia est omnium pessima obligatio, quæ in extremam calamitatum miseriam hominem præcipitem facit. Hinc jam patet, quàm summè malignum fuerit illud primum originale peccatum Adæ, quod nos in tam pessimas obligationes, & in ille miserias detrusit. RÆM. Verè malignum, & totis animi medullis execrandum, quod ex his rationibus poteris intueri. Primò. Sicut nihil dignius, nihil præstantiùs libero arbitrio, ita nullum malum pejus est, & detestabilius, quàm culpa, & corruptio voluntatis, atque arbitrii. Quando igitur per inobedientiæ culpam destruxit liberum arbitrium, tunc illud destruxit, quod erat in rerum natura omnium præclarissimum, pulcherrimum, nobilissimum. Secundò, omnes creaturas sub homine Deus constituit propter liberum arbitrium, quod cum homo violavit, violavit etiam universum creaturarum ordinem, & rerum omnium pulchritudinem sua deformitate fœdavit, & quantum in se fuit, frustravit totum universum debito fine. DOM. Hac sua corruptione (ut video) nisus est Dei honorem, quem de rerum institutione promeruit, vacuare. Quod malum, quia voluntariè admisit, ideò maximam offensam constituit. RÆM. Verùm dicis, sed & ... dendo seipsum vacuavit Dei optimam intentionem, ut nihil ultrà valeret, nec posset jam corruptus in illum beatitudinis æternæ finem duci, ad quem illum condiderat. Quartò, consentiendo Dei maximo inimico, & sua vota implendo, quem ex sua persuasione Dei hostem

ſtem ignorare non poterat, audivit enim eum contra Dei mandata loquentem, huic igitur consentiendo, qui Deum mendacem nitebatur aſſerere, ſummam Deo fecit injuriam, & deſpectu ſuo poſtpoſuit inimico. Quintò, non ſolùm ſemetipſum perdidit, & Dei ſervitio ſubtraxit, diabolicæ ſe mancipans ſervituti, ſed & totam poſteritatem ſuam divinis ſubduxit obſequiis, & ſub Luciferi poſuit poteſtate. An hæc tibi crimina parva videntur? DOM. Imò verò maxima ſunt. Sed quæſo te, quouſque animam meam tollis, quare non dicis mihi, quibus remediis tanta poterunt mala ſanari? Homo ad Dei imaginem conditus, corpus & animam perdidit, mille ſe vitiis inquinavit, odium ſui Creatoris incurrit, non ſolùm paradiſum, ſed & cœlum (cui creatus fuerat) amiſit, & ſub dira diaboli poteſtate delitеſcit. Quis tantis malis afferat medicinam?

Homo infinita indiget ſatisfactione, quæ niſi per infinitam perſonam ſolvi non poteſt.

CAPUT LVII.


RÆMUNDUS.

QUia igitur mala hominis maxima ſunt, ideò maximis remediis opus habent. Et quia culpa in Deum commiſſa eſt infinita, ideò & infinito indiget expiatore. At quoniam culpa eſt infinita, ideò meruit & infinitam pœnam, & hanc

hanc quoque necesse est expiare, si debet homo in statum, quem perdidit reformari. Ad omnem enim culpam, aut punitio sequitur, aut satisfactio. Si igitur homo vult destruere culpam, quam admisit, & pœnam evadere, quam promeruit, oportet quòd tam magnum operetur bonum, ut vincere possit malum, quod priùs nequiter perpetravit. Ut igitur recuperet homo perfectam sui Creatoris amicitiam, necessè est, ut reddat illi pro obligatione infinita satisfactionem infinitam, & hoc cum tanta faciat humilitate, quantùm anteà superbit. Oportet igitur, quòd talis satisfactio sit voluntaria, libera, amorosa, de intimis cordis medullis erumpens, dulcis, jucunda, salutifera. DOM. Quis hanc quæso satisfactionem poterit operari? Nunquid homo captivus, incarceratus, mille vulneribus saucius, Dei adversarius, dæmonis amicus? Sed nunquid Angelus, qui cùm finita persona sit, tollere poterit malitiam infinitam? Nunquid Deus id efficere volet, qui ab homine turpiter inhonoratus, despectus, & offensus est, & sub Dei odio constitutus? Cùm enim Dei justitia exasperata sit, quomodò eam nequitiam volet expiare, quam debet meritò punire? RÆM. Multùm laboras, multùm anxius es. Sed nunquid humiliavit ex corde suo, & abjecit filios hominum? Nunquid obliviscetur misereri Dominus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Nunquid hominis malitia Dei bonitatem evacuavit? Absit. Concludamus igitur, quòd ex quo illud, quod homo solvere tenetur

O 2

netur Creatori, majus sit, quàm quidquid est citra Deum, & hoc non est nisi Deus, clarè sequitur, quòd nullus potest hanc satisfactionem operari, nisi solus Deus. Intellige, quæ dico, nullus potest solvere nisi Deus, & nullus debet nisi homo. Oportet igitur qui hoc bonum operaturus est, Deus sit, & homo. Debent ergo Deus, & homo in unam convenire personam, ut Deus sua bonitate hominis miseriam expiare velit, & homo possit. Nisi enim Deus homo fiat, & homo Deus, ruina hominis non poterit sublevari, hæc autem persona cum sit infinita, habebit in se aliquid, quo citra Deum nihil est majus, quod sua magnitudine, & dignitate deleat omne debitum, & omnem compleat satisfafactionem. DOM. Quantùm ergo concipio, hæc persona infinita cùm Deus sit, nihil pro culpa debebit Creatori, atque ideò exsolvere poterit pro his omnibus, qui non possunt reddere, quod debent, quia non habent. Non est igitur extra hanc personem spes ulla salutis, quæ potest habere meritum infinitum, & duplici ratione iram offensæ justitiæ mitigare: primò, quia Deus est: secundò, quia homo divinus est. Ratione primi efficacissimè reconciliare potest, ratione secundi meritum infinitum adducere potest, quo Deus infinitus mitigetur, & culpa infinita removeatur.



De

De conditionibus, quas oportet habere hanc personam infinitam pro nostra satisfactione.

CAPUT LVIII.

RÆMUNDUS.

OPtimè hoc mysterium concepisti, verùm, ut melius cuncta cognoscas, dicam tibi aliquas conditiones, quas necesse est hæc persona habeat, si debeat ad liquidum Deo hominem reconciliare. Prima est: oportet eum esse de genere hominis istius, qui ad pœnam obligatur immensam, nec sit de novo ut Adam formatus. Alioquin nisi pertinuerit ad genus humanum, hominis offensam delere non poterit. DOM. Meritò id sequitur, nam sicut ab homine obligatio venit, ita & ab homine venit satisfactio, & tali homine, qui de progenie sit ejus, qui peccaverit. RÆM. Oportet secundò, quòd talis homo mundissimè, sine libidine, sine coitu concipiatur, Cùm enim genitalia membra sunt inobedientiæ membra, ut suprà patuit, per quæ in omnes homines corruptio & rebellio venit, ideò iste homo, qui inobedientiam omnem, & corruptionem removere tenetur, genitalibus membris gigni non debet, alio quin simili contagione pollutus, pro aliis satisfacere non poterit. Corpus igitur hujus viri debet manu Dei de carnis superbia in utero mulieris formari, quæ sit quidem de genere Adam, sed tamen purissima, & sanctissima, & integerrima virgo. Et

ſicut vir iſte in utero virginis non per vulvam venit, ita ab utero naſcetur genitali membro integro permanente, ut ipſe filius ſit caſtiſſimæ virginis, & ipſa ante partum, & poſt partum virgo perduret. DOM. Cùm igitur unam in Trinitate perſonam incarnari dicimus, quam harum eſſe arbitramur, Patrem-nè, an Filium, an Spiritum ſanctum? RÆM. Non aliam utique, quàm filium, ut qui filius eſt in divinitate, in humanitate quoque filius ſit, & qui habet patrem ſolum in cœlis, ſolam habeat matrem in terris. Tertia conditio eſt, quòd vir iſte, ſicut habet humanum corpus, ita & humanam habeat animam neceſſe eſt. Alioquin non eſſet idoneus, qui poſſet redimere. Quarta, quod ſit homo mortalis diſpenſativè, qui ſua morte noſtram poſſit mortem deſtruere. Licet enim vir iſte debeat Deo omnium Conditori ſummum amorem, reverentiam, gloriam, & honorem, morti tamen non eſt obnoxius. Cùm enim innocentiſſimus ſit, non poteſt juſtè ab illo Deus mortis exigere pœnam, in quo nullam invenit culpam. Solum igitur, quod ſanctiſſimus iſte Deo non debet, eſt mors ipſa, quam ſi ſponte, & ex mero Amore Deo obtulit, tradideritque in mortem animam ſuam, quæ nimiùm eſt Deo chara, & pretioſa, cùm ſit omnium terribiliſſima & difficillima, fiet pleniſſima ſatisfactio pro mortibus peccatorum, & una mors innocentiſſima, & voluntariè aſſumpta, mortes multas & innumeras expiabit. DOM. Intelligo hunc propitiatorem generis humani oportere eſſe

se mortalem, alioquin mortem debitam tollere non posset. Pœna enim infinita justissime merita non potest nisi innocentissimâ, & pretiosissimâ pœnâ damnari. RÆM. Sanctissimus est conceptus tuus. Hinc jam quintam conditionem intellige, oportere hunc optimum virum non solùm mori pro Dei honore, & hominis utilitate, sed etiam libentissimè, & devotissimè, & intimis animi medullis mortem appetere, & sustinere. Oportet igitur, quòd vir iste sit summè benignissimus, summè dulcissimus, & erga collapsum, & miserum hominem maxima compassione & pietate commotus, ut magis ipse amarissima deligat morte persungi, quàm hominem suæ consortem naturæ æterna sinat morte perire, magis cupiat hominum salutem, quàm propriam vitam retinere. Necesse est igitur, ut non respiciat ad hominum malitias, offensas, crudelitates, sordes, nequitias, magis autem consideret, quòd homines sunt Dei imaginem portantes, miseri, calamitosi, cæci, pauperes, & mille incommodis circumsepti. Non debet igitur homines malos odisse, sed compati, flere, ingemiscere, & sua mitissima lenitate, sua quoque bonitate dulcissima omnem nequitiam vincere, omnem crudelitatem superare, omnem offensam, & injuriam æquanimiter perferre. Oportet igitur, ut omnes sibi contradicentes, & occidere volentes, diligat, foveat, amplexetur, cujus immensa bonitas omnem sponte remittat injuriam, & ad nullam respiciat inclementiam. DOM. Non contineo lachrymas

præ amore, & dulcedine verborum tuorum. Verè magna hujus dulcissimi viri benignitas, & charitas immensa, quòd talis, tam justus, tam sanctus, innocens, impollutus, mori velit pro hominibus malis, impiis. ingratissimis, & omni pœna dignissimis. Multùm reverà humana natura gaudere deberet, si talem, & tam verè suavem posset hominem reperire. Sed rogo te, qua occasione poterit homo iste pro Dei honore occidi? Nunquid perimet semetipsum?

Qualiter homo iste poterit occidi ad Dei honorem, & quis eum occidet?

CAPUT LIX.

RÆMUNDUS.

NOn utique perimet semetipsum, tale enim opus nec Dei justitiam operatur. DOM. Quomodò ergo poterit vir tantæ dulcedinis, & bonitatis occidi? RÆM. Veniens in hunc mundum, inveniet homines corruptos, malos, contra justitiam, contra naturam, nequissimam vitam agentes, propriam amantes voluntatem, propriam laudem, & gloriam consectantes. At quoniam vir iste erit summè bonus & optimo vivendi genere perfectissimus, ideò necesse erit, ut verbis, & exemplis impugnet malorum hominum vitam, scelera corripiat, opera injusta castiget. Verùm quia veritas odium parit, hac tali justissima increpatione multorum contra se invidiam concitabit, qui eum ad mortem usque injustissimè persequentur. Ipse veræ in-

de-

declinabiles justitiæ, & æquitatis semitas tenens, nec mortis discrimina pertimescens, magis eliget ab illis occidi, quàm Dei injuriam dissimulare, aut turpissimas nequitias non arguere. Hoc pacto dabit efficacissimum exemplum imitatoribus suis, ut magis velint mortem eligere, quàm aut Dei justitiam deserere, aut hominum sceleribus assentire. Iste igitur optimus hominum, licet mala impiorum voluntate perimendus sit, spontanea tamen, & devotissima mente ad Dei laudem, & hominis utilitatem, hanc mortem intrepidus sustinebit. DOM. Non possum satis mirari, quomodò tanta poterit in hominibus crudelitas inveniri, ut virum mansuetissimum, & fructuosissimum velint occidere. Unde quæso tanta invidia, tanta poterit malitia generari? RÆM. Dicam breviter: Genus humanum, sicut nôsti, deceptum, captivumque detinetur sub potestate nequissimi Luciferi, qui suum in hominibus quærit honorem, laudem, & magnificentiam. Iste autem novus homo novam hominibus doctrinam prædicabit, & nova omnia, quæ ad Dei honorem, & hominis ereptionem pertinent, operabitur, quô diaboli regnum in hominibus destruat, & convellat. Nisi enim summis viribus pugnet contra Luciferi pertinaciam atque superbiam, irretitum hominem non poterit liberare. Cernens igitur serpens antiquus talem, tamque potentem contra se novum hominem insurgere, & in quem nullam habeat potestatem, nec per se lædere illum possit, nec cohibere, ne prædam diu posses-

ſam amittat, collectis viribus, huic homini ſe objiciet. ſtruens per membra ſua inſidias, fraudes, perſecutiones, & mortes. Maxima itaque invidia concitatus, quoſdam nequiſſimos homines inflammabit, qui ſpiris ſerpentinis accenſi hunc velint hominem perimere, & penitus eradere de ſuperficie terræ. Sed nihil proficiet crudeliſſima malignatio, nam omne commentum Luciferi in ſuum caput retorquebitur. Nam ex quo hunc juſtiſſimum hominem occiderit, in quo nihil juris habet, & illum morti addixerit, qui nihil penitus morti debuit, juſtè omne Jus, quod in humano genere habere videbatur, perdet, quia Chirographum, cui innitebatur exceſſit, ab illo exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. DOM. Hinc clariſſimè intelligo, quomodò iſte vir maximus dæmonis fraude ad Dei gloriam occiſus diabolum ſuis vinculis irretivit, & captivum ſub ſuo dominio retentabit. Ut qui primum hominem fraude decepit, per ſecundum hominem ſubjugatus fit, & quidquid per caſum Adæ lucratus eſt, hujus induſtriâ totum amittat.

De conditionibus, & circumſtantiis quas hæc mors pretioſa eſt habitura.

CAPUT LX.

RÆMUNDUS.

AT quoniam ſatis jam nôſti, quòd hæc mors prætioſa hujus mitiſſimi, & maximi viri eſt hu-

humano generi summè necessaria, ideò quas circumstantias, ut magis nobis fructuosa fiat, sit habitura, debes advertere. Primò, cùm vir iste omnium dulcissimus, sit ex mera ad nos miseros compassione moriturus, ideò mors ejus erit omninò spontanea, devota, amore & charitate plenissima. Secundum sequitur ex primo, videlicet, quòd ista mors non erit fortuita, nec violenter, nec fraudnlenter ipso ignorante ingesta, sed erit per hunc ipsum ab æterno provisa, & certo tempore, & ordine, & loco, & modo, quo voluerit præparata. Tertiò, ut hæc mors sit admodum nobis fructuosa, erit sustinenti amarissima, erit etiam turpis, probrosa, contumeliis, ludibriis, & ignominiis plena. DOM. Hæc est hujus optimi miseratoris benignitas infinita, ut non solùm simplicem mortem, sed & pœnis maximis, & vituperiis refertam perferre suâ sponte dignetur. At ideò hæc mors nostram mortem, & omnem injuriam, & mille scelera facilè evacuabit. RÆM. Verùm dicis. Hinc jam citiùs accipis quartam hujus mortis conditionem, quòd ingeretur huic viro in loco publico & solenni, in clara luce, in meridie, in festo die, & in frequentia aspectúque innumerabilis populi cum impiis, & sceleratis. Hæc homines nequissimi, instigante diabolo, qui occultas in hunc virum exercet inimicitias, perpetrabunt, quò mors ista fiat omnium turpissima, ignominiosissima, & cunctis hominibus exécranda. Ipse verò hæc omnia læto & devoto animo sustinebit, sciens, quia mors sua nobis

con-

convertetur in vitam, & contumelia atque ignominia transibit in gloriam. DOM. Magnum profectò pietatis mysterium, qui per tam enormem hominum malitiam nostram est malitiam destructurus. Imò verò ipsa malitia destruet semetipsam, & quantò robustiùs super hunc virum incubuerit, tantô ipsa faciliùs in omnibus pessundabitur. Mors enim hæc sanctissima sicut per iniquitatem committitur, ita & propter iniquitatem toleratur, & sic potest utrámque iniquitatem perimere, ejus, à quo commissa est, & propter quem perpessa est.

Quàm rationabiliter sequatur salvatio humanæ naturæ per hanc mortem.

CAPUT LXI.

RÆMUNDUS.

NUnc faciliter licebit advertere, quomodò hæc mors sit nostra vita, & ista peremptio sit nostra salvatio. Nam cum iste, qui hanc mortem patitur, sit Deus, & Dei filius, ac perinde infinitæ dignitatis, ideò & mors ista, quam offert Deo, est in infinitum pretiosa, & meritoria. Tenetur igitur justus Deus, qui per hanc mortem in infinitum honoratus est, præmium reddere infinitum. At quoniam vir iste, cùm sit plenus omnibus bonis, ut puta verus Deus, ideò sicut nullo eget, ita nihil recipere pro se potest. Cum igitur necessè sit, Deum aliquid quod maximum sit largiri, & iste recipere non possit, relinquitur ergo, ut iste volente, & annuente, alii

alicui alteri detur, qui bono maximo summo perè egeat, & carere non possit. Sed cui convenientiùs, rogo, dabit vir iste mortis suæ fructum, & tanti boni hæredes efficiet, quàm parentes, & propinquos, & fratres suos, quos videt summa paupertate deficere, & mille calamitatibus fatigari? Dabit igitur hominibus infinita merita sua, quibus obligationem redimant, culpas solvant, Deum iratum mitigent, & à diaboli laqueis resipiscant. Ecce, mi Dominice, invenit humana natura in hoc uno homine, quod spontè, & non ex debito Deo tribuat, quod verè suum sit, hoc dum tribuerit, de Dei manibus, & tormentis innumeris se redemit. DOM. Patet igitur, quòd omnis homo, qui ad gratiam hujus viri accesserit, & illi cum bono affectu inhærere voluerit, liberabitur ab omni, quo irretitus est malo, & ad reconciliationem plenissimè transferetur. Qui verò hanc gratiam aut contempserit, aut dissimulaverit, iste in æternùm peribit, reus sempiterno delicto, nam & ira Dei permanet super eum. RÆM. Nihil veriùs. Debes prætereà nôsse, quòd duplici jure huic homini debetur regnum cœlorum. Primò ratione filiationis, quia ipse etiam ut homo erit charissimus Dei filius, solus semper faciens beneplacitum patris. Hujus gratiâ sibi soli promeretur Regnum cœlorum, & nulli alteri. Secundò, merito suæ dignissimæ Passionis, & hanc gratiam dabit fratribus suis, ut fiant hæredes Dei, cohæredes autem sibi. DOM. Istæ sunt summæ, & impretiabiles divitiæ, qui-

bus

bus meritò mortis ejus omnis nostra paupertas expietur, & in finitis bonorum omnium thesauris repleatur. RÆM. Sed nunc jam intuere, quomodò hæc mors omnem culpam humani generis, & omnem offensam exterminet. Quadruplex est culpa. Prima est Originalis generalis, & hæc est primorum culpa parentum superinducta in omne hominum genus. Alia est culpa Originalis particularis, quam quælibet anima humana contrahit, dum vitiatæ carni sociatur. Tertia est Actualis, quæ post usum rationis ab unoquoque committitur, quæ quotidiè in homine sine numero multiplicatur. Porrò hæc mors summè pretiosa primò & principaliter quam circò fuerit effecta, tollet culpam illam generalem, quæ una erat & latè diffusa in tota humana natura, atque hoc modo penitùs renovabitur. Sed aliæ duæ culpæ particulares non statim tollentur post hanc mortem, nisi in illis tantùm, quæ huic optimo viro inhæserint, & in suis se membris credendo & amando constituerint. Parvuli autem qui non habent usum arbitrii, sicut habent solam culpam ab aliis contractam, ita poterunt huic viro per alios, qui adulti sunt inhærere, & hoc eis sufficit ad salutem. Qui verò utitur arbitrio, & huic viro non inhæserit, nec ejus signaculum discretionis susceperit, peribit anima illa de populo suo. DOM. Cum ingenti te audio voluptate. Sed quæ est illa quarta culpa, quam nondum tetigisti? RÆM. Ipsa est culpa Personalis omnium maxima, culpa in quam illorum, qui hunc virum benignissimum occi-

occisuri sunt. DOM. Cùm hic vir sit infinitæ bonitatis & majestatis, non puto, quòd mors ejus, quæ tam iniquis manibus consummabitur, possit eam culpam delere, quæ perpetratur, cùm ipsa circa hunc plus operatur mali, quàm mors ejus operetur bonum. Mors enim solos nos respicit & despicit, qui nihil sumus, sed culpa in illum tendit, & illum perimit, qui est summè bonus, & infinitus. RÆM. Dico primò, quòd multum alleviabit hanc culpam personalem ipsa perimentium ignorantia. Si enim nossent, nunquàm Deum gloriæ crucifigerent. Secundò meritum hujus viri erit duobus modis infinitum: Primò ex parte operantis, quæ est persona infinita, secundò, ex parte Dei acceptantis. Omne enim meritum acceptabile Deo est infinitum; mors igitur ista erit infinita & ex parte morientis, & ex parte mortem acceptantis, omnis autem culpa & Personalis, & Actualis & Originalis est solùm infinita ex parte Dei, in quem committitur, sed non ex parte hominis, à quo committitur. Sic ergò sapientia vincet malitiam, & mors ejus omnem nequitiam expiabit. Debes tamen scire, quòd iste humani generis Redemptor non solum purgabit peccata nostra infinita satisfactione, sed etiam immensa cordis contritione. Satisfactio per mortem respicit offensam Dei justitiam. Sed quia Dei infinita benignitas etiam exasperata est, ideò oportet eam hujusmodi infinitis lachrymis, gemitibus, & doloribus mitigari. Nam quantum Deus bonus est & amabilis, tantum est ipsa odibilis & aspe-

aſpernabilis culpa, & ideò neceſſarium eſt, eam ſummis animi compunctionibus expiari. DOM. Hoc poſtremum maximè oſtendit, quam neceſſarium ſit collapſo, confracto, & obdurato homini talis medicus, qui ſua morte, ſuo ſanguine, ſuis lachrymis, & gemitibus noſtris vulneribus medeatur. O verè dulciſſimum virum amoris brachiis complexandum! Sed quæſo te, quomodò hic ſe geret poſt ſuſceptam mortem?

Qualiter vir iſte ſe habebit poſt mortem ad ſeipſum & omnes creaturas?

CAPUT LXII.

RÆMUNDUS.

PRrimò ſcito, quod occiſus in mortem non poterit à morte detineri. Cum enim ſit Deus verus, omnipotens, ſummè ſapiens, & maximè clemens, ideò omnia faciet ut ſapientiſſimum & optimum decet. Suâ ergò potentiâ ſe ſuſcitabit occiſum, ut ſicut ſua mors, ita & ſua reſurrectio noſtris periculis ſuffragetur. Nihil enim prodeſſet, morte pleniſſimè ſatisfacere, ſi remaneret in morte. Nam nemo hominum in illum crederet, neque ſperaret, nec ſe illi conjungeret, quem videret morte proſterni. Quomodò enim meam mortem vinceret, qui ſuam non potuit ſuperare? Indecens præterea, ut corpus tam ſanctum, tam mundum, tam glorioſum in ſordentem pulverem convertatur, quod ſponte ſine debito mortis in mortem ſe tradidit pro mun-

mundi vita. DOM. Nunquid iterum mortalis resurget; vel certè immortalis? RÆM. Utique immortalis. Nam frustrâ rursum mori cuperet, cùm una morte sufficienter omnem corruptionem deleverit, & mortem. Non autem solùm resurget immortalis, sed etiam ascendet cum summo triumpho supra omnes cœlos, ut à patre recipiat possessionem æternam pro humana natura; & illic residens, in dextris Dei colligat in cœlis, quos emit in terris. DOM. Illic igitur sublimis residens, quomodò se geret ad cæteras creaturas? RÆM. Creaturarum quatuor sunt partes. Una est corporalis, tantùm: Alia est partim corporalis, partim spiritualis, ut natura humana. Tertia est merè spiritualis, ut natura angelica. Et hæc est bipartita, sunt enim Angeli boni, & Angeli mali. At quoniam homo iste ratione humanitatis erit creatura omnium nobilissima, altissima, & una persona cùm deitate conjuncta, ideò sub se habebit omnes creaturas, subjicientúrque pedibus ejus. Erit ergò dominus & caput honorum Angelorum, qui suum in Lucifero corruente caput perdiderunt. Iste itaque homo sublimis sua majestate redintegrabit Angelorum ruinam, & Caput se illis Dominúmque constituet. Ecce hoc est caput, quod ut notares diligenter suprà commonui. DOM. Memini equidem, & nunc clara luce illud intueor. Cùm enim vir iste sit multò excellentior, & in infinitum melior, quàm erat Lucifer ante ruinam, ideò rectissimè

erit bonorum caput & princeps Angelorum, atque hoc pacto plùs multò angelica natura recuperabit, quàm perdiderit. Sicque in ordine Creaturarum bonarum una erit creatura multò major in bonitate, quàm sit Lucifer malus in malarum genere Creaturarum. Nam (nisi fallor) ante hunc virum nulla creatura erat ita bona, sicut post ruinam primus Angelus factus est malus, atque ita malum bonum superabat. Hoc autem viro super Angelos caput constituto, bonum longissimè malum vincet, quia sine ulla comparatione erit melior, quàm sit Lucifer iste malignior. Duobus igitur modis bonum malum superabit. Primò, quia major erit hujus viri bonitas, quàm in omnibus malis sit scelerata perversitas. Secundò, quia opera ejus tantò erunt meliora, quantò deteriora sunt malevolorum dæmonum atque hominum opera. Da veniam, si te meo sensu fatigo, & prosequere, quod tuum est. RÆM. Erit quoque hic homo divinus malorum etiam dominus Angelorum per justitiam, sub cujus pedibus malignus Lucifer captivus innodatúsque tenebitur, ut ne pedem quidem, aut unguem, præter ejus imperium movere possit. Erit tertiò omnium hominum Dominus, & suorum fidelium sublimissimum Caput. Erit quartò, Dominus totins Universi. Omnes enim creaturæ propter hominem, ergò sicut est Dominus hominum, ita erit & Creaturarum, terræ scilicet, aëris, & ignis, & omnium quæ sunt, quæ vivunt, quæ sentiunt. DOM. Satis jam ostendisti, quis, quantus, & qualis, quam-

quamque neceſſarius ſit, qui genus humannm debeat liberare, ſed nunquid volet Deus nobis talem hominem largiri?

Quòd Deus volet humano generi hunc hominem largiri: & quòd JESUS Chriſtus ipſe ſit iſte homo.

CAPUT LXIII.

RÆMUNDUS.

OMnino neceſsè eſt, ut Deus velit hunc hominem dare generi humano. Ad hoc enim cogit eum ſua immenſa benignitas, quæ non patitur funditùs mundum interire. Quid enim proderit, in tanta dignitate hominem condidiſſe, omnémque creaturam in ſuum obſequium ſtatuiſſe, ſi homo non eſt illum in quem conditus eſt finem adepturus, ſed perpetuò miſerè periturus? Præterea, ſi nullus debet hominum ſalvari, tunc fruſtrà illi ſerviunt creaturæ, quod divinæ ſapientiæ ſummè repugnat. Cum igitur ſapiens Deus ſinat hominem de creaturis continuè vivere, ſignum eſt infallibile, quòd intendit hominem collapſum reparare, & in finem propter quem plaſmatus eſt. Tertiò, hoc ipſum patet ex continua multiplicatione generis humani ſuper terram. Nunquàm Deus poſt peccatum primi patris multiplicâſſet homines in terra, imò ſubitò deſtruxiſſet, niſi cogitaret Deus ſuper hominem cogitationes pacis, & miſerationis. Quartò, ſi aliquo temporis momento non fuit in mundo aliquis hominum, qui debuit ſalvari,

jam tunc totus mundus frustra erat, & pro nihilo, quod nimis absurdum est dicere. Verùm quia nullus hominum salvari potest, nisi per hunc virum Salvatorem, de quo hactenus locuti sumus, ideò postquàm Deus hominem ruinosum non vult perire, optimam habet voluntatem, hunc virum humano generi largiendi. DOM. O! maximam Dei bonitatem, pietatem, dulcedinem, quæ per talem mediatorem nostris parat periculis subvenire. Summa igitur nobis securitas est, hunc optimum hominem habituri, quem longo circuitu quæsitum scrutati sumus. RÆM. Et quoniam homini Christiano loquor, nec est mihi contra Paganos, aut Judæos disputandum, hoc enim egi liquidè in volumine, unde iste originem ducit, ideò non oportet hoc repetere, quibus mediis, aut modis hic homo à Deo donatus sit, quibus sit lachrymis & suspiriis expetitus, de quo populo oriundus, de qua fœmina natus, hoc solùm nunc dicere convenit, quòd solus JESUS CHRISTUS, ipse sit ille homo, quem Deus prophetarum oraculis longè antè promisit, & in plenitudine temporum fideliter misit. Hic est JESUS CHRISTUS verus Deus & verus homo, in quo omnes conditiones & circumstantiæ, quæ necessariæ erant pro humani generis satisfactione, inventæ atque completæ sunt. Ipse enim Deum sua bonitate & morte placavit, ipse peccata multorum tulit, ipse pœnas omnes removit, tartara obclusit, paradysum aperuit, cœlos reseravit, & captivantem diabolum propria virtute contri-

vit,

vit. Ipse contra vitia, peccata, opere, & sermone prædicavit, scelera redarguit, radicem malorum omnium, propriam scilicet voluntatem, proprium amorem, laudem, & gloriam, quæ sunt homini causa perditionis, & in Deum inimicitiarum, penitùs destruxit, & eliminavit. Et breviter, quidquid ad salutem humanæ naturæ esse potest, fideliter, ferventer, humiliter, & perseveranter operatus est. DOM. Talem igitur cùm teneamus JESUM CHRISTUM Deum, & Regem verum, quem tam pium, bonum, mansuetum, & tanto amore flagrantem agnovimus, ut pro peccatis hominum amaram sustinuerit mortem, meritò illum omnis homo amare, venerari, colere, & laudare, tenetur, & hujus gratiam quærere, hujus corpori mystico inhærere, huic sedulò obedire in quo est omnis plenitudo bonitatis, virtutis, & charitatis, scientiæ, sapientiæ, meritorum omnium ac præmiorum. Qui ergò hunc virum contemnit, perpetua manet in morte. Qui verò hujus nobilissimi Capitis membrum efficitur, in immensam crescit dignitatem. Unus enim bonus Christianus melior est & præstantior, quàm omnes, qui vivunt in terra homines non Christiani. Malus autem Christianus est omnium pessimus. RÆM. Hinc pulchrè licet animadvertere, quàm justus, & quàm bonus sit omnipotens Deus, qui hunc hominem hominibus est largitus. Justus, qui quæsivit justum redemptionis pretium, bonus, qui in mortem unicum tradidit filium. Cùm enim homo cor-

ruptus, & in immensum obligatus, non posset debitum infinitum solvere, quod debebat, Deus benignissimus volens ab homine placari, gratis contulit ei novum hominem, qui Deus esset, & homine major, qui satisfaciat pro homine obligato, habens in se inæstimabile pretium, vitam scilicet innocentissimam, atque sanctissimam, quam cùm in mortem indebitam Deo pro homine tradidit, debitum hominis solvit, & Deum homini reconciliavit. Dedit enim humana natura maximo Creatori in isto homine, quod suum erat, ut aliis hominibus redimeret, quod reddere non poterat. DOM. Quid istâ justitiâ districtius? quid hâc clementiâ misericordius? Vult Deus placari ab homine, non tamen placari se patitur, nisi moriatur infinitus, innocens, immaculatus. At ne fiat difficultas in pretio, ipse illum largitur, qui occidatur. Non habes, inquit, O homo! unde te redimas, accipe Unigenitum fructum ventris mei, & da illum mihi pro scelere tuo. Magna certè dignatio!

Quæ sint illa maxima dona, quæ homo miserabilis recipit à JESU Christo.

CAPUT LXIV.

RÆMUNDUS.

POstquàm igitur medicina præparata est, necessè est, ut eam ægroto, & misero homini applicemus. Si ergò JESUS CHRISTUS vul-

vulnerum nostrorum Medicus est, restat, ut ad illum omnes accedamus, ut possint ægritudines nostræ recipere medicinam. Nihil in nobis tam morbidum, quod non ipsius medicationis dono curetur, nos captivi sumus, ipse Redemptor, nos obligati, ipse Fidejussor, nos destructi, ipse Reparator, nos morbidi, ipse Curator, nos mortui, ipse Resuscitator, nos cæci, atque obtenebrati, ipse Clarificator, nos erratici, ipse Conductor. DOM. Utinam! nunc velit homo suas calamitates attendere, ut tantum Medicum sibi noverit pro futurum. Qui sua vulnera malè sanus non sentit, hunc Curatorem optimum non requirit, qui autem non requirit, morti sempiternæ jam inhæsit. RÆM. Duplici obligatione (ut nôsti) homo implicitus tenetur, scilicet pro beneficiis acceptis & pro culpis commissis. Prima semper ab homine solvi debet, quam tamen secunda obligatione irretitus solvere non potest. Non enim potest Deum amare, laudare, venerari, culpis & criminibus compeditus. Porrò à secunda obligatione liberari non potest, nisi primam compleat, & primam complere non potest, nisi secunda recedat. Vides certè istum bicipitem laqueum. Venit igitur Dominus JESUS Christus, solvit sua miseratione, & morte obligationem secundam, & dat homini adjutorium gratiæ ut compleat primam. Solutus enim homo à peccatis & sceleribus, quæ est obligatio secunda & infinita, jam incipit Deum pro suis beneficiis amare, honorare, revereri, quæ est obligatio pri-

 ma.

ma. Hoc adjutorium Gratiæ Christus tribuit nobis tanquam Deus, & meruit nobis tanquam homo. Licet enim omne, quod Deus tribuit, dicatur gratia, istud tamen adjutorium, quo Deum diligimus, & honoramus, est summa gratia, sine qua nulla proficit alia. DOM. Quantùm ego intelligo, plus est hanc gratiam accepisse, quàm vel corpus, vel animam. Nam sine ista gratia homo mortuus reputatur, quia nihil potest operari inquantùm homo est. RÆM. Rectè tu quidem Et idcircò hæc gratia Deum amandi, quam Christus administrat, est vita ipsius animæ, sine qua anima humana Deo mortua est. Ita gratia homiuem restaurat, reformat, vivificat, sanat, formosum Deo, & amabilem præstat. Hæc gratia hominem bonum, justum, Deo dignum, & Dei filium, & hæredem facit, & ipsum fratrem pacificum, & amabilem suis fratribus restituit. Hæc gratia reducit hominem de via erroris, mendacii, & falsitatis, & deducit per viam veritatis, & securitatis, gaudii, & exultationis. Hæc gratia Salvatoris hominem revocat à jugo miseræ captivitatis, à vinculis propriæ voluntatis, proprii honoris, & amoris, & ponit eum in libertate, & in amplissima patria voluntatis Dei. Et ut omnia in uno verbo complectar, hæc gratia restituit homini suum benè esse, quod antè perdiderat; & tollit ab eo suum Malum esse, & ita restituit ei spiritum, salutem, & sanitatem. DOM. Magna commendatio gratiæ Domini Salvatoris. Nunc planissimè liquet, quàm op-

opportunus ipse nobis Redemptor advenerit, à quo hæc adjutorii gratia maxima condonatur. Sed oro te, pauló apertius dixeris, quomodò hæc gratia JESU CHRISTI restituit homini Benè esse?

Ista gratia est totum Benè esse hominis, ejus carentia Malum esse ejus.

CAPUT LXV.

RÆMUNDUS.

HOmo à principio, dum fuit conditus, accepit à Deo Esse, & etiam Benè esse, sed nondum Optimum esse, hoc enim expectabat transferendus in gloriam sempiternam. Acceperat ergò ab optimo Conditore Esse, Vivere, Sentire, Velle, & Amare. Acceperat etiam benè esse, benè vivere, benè velle, benè amare. Habebat ergò benè esse, & corporis, & animæ. Verùm, quia primus homo hoc benè esse, quod habebat, & servare poterat, sua voluntate perdidit, ideò tantum sibi retinuit esse, & pro benè esse acquisivit esse malignum, injustum, sordidum, caducum, vitiosum. Spoliatus igitur gratiarum vestibus, his semi-cinctiis, & laciniis ignominiosis est turpiter contectus. Ut autem meliùs agnosceret animæ suæ cladem, atque ruinam, corporis quoque mala suscepir, & factus est mortalis, luteus, animalis, infirmus, ut per hoc mala carnis mentis suæ malitiam comprobaret, si fortè negligen-

tiùs eam vellet dissimulare. Habens igitur in se tam deforme, malignum, & tortuosum Esse, factus est suo odibilis Creatori, eò quòd opus suum tam præclarum in se homo corruperat. Inventus ergò inutilis, corruptus, abominabilis, ad nihil aliud vacabat, nisi ut perpetuis ignibus destinaretur. Verùm licet perdiderit homo suum benè esse, remansit tamen ipsa obligatio amoris, & reverentiæ, quam solvere certè oportebat, nec erat illi aliqua excusatio, quia sua voluntate bené esse perdiderat. DOM. Hinc certè palam intueor, quòd reddere homini suum benè nihil est aliud, quam reducere eum ac mutare de malo, tortuoso, injusto, vitioso Esse, ad bonum, rectum, sanctum, justum, salutiferum, ut homo benè vivat, benè intelligat, benè amet, benè velit, & possit, ut sit sanctus, honestus, decorus, pulcher, virtuosus. RÆM. Aspice igitur Dei dulcissimam bonitatem, qui ut hominem sibi fœderaret, & remotis tot malis primis bonis restitueret, dedit homini JESUM CHRISTUM; qui omnem de medio tulit offensam, removit, culpam, & pœnam, & ad benè esse pristinum hominem revocavit. Recipit ergo à JESU CHRISTO ut amet, & metuat, honoret, & laudet Deum, ut diligat proximum sicuti semetipsum, & in his omnibus gaudeat, perseveret, exultet, tripudiet, delectetur. Ecce hoc est benè esse, hæc est vera vita animæ per Christi gratiam homini reparata. DOM. Tria itaque colligo beneficia maxima, quæ Christi miseratione donantur,

tur, scilicet, Indulgentia, ut offensa deleatur: Gloria, ut Esse optimum aliquando donetur. Nam gratiæ semper debetur gloria. Gratias igitur immortales agamus CHRISTO, qui ista nobis suo sanguine mercatus est.

In homine Christiano sunt tres generationes, & tres fraternitates distinctæ.

CAPUT LXVI.

RÆMUNDUS.

UT perfectiùs adhuc, & clariùs, Christi gratiam & benè esse hominis agnoscas, scire te convenit, quòd Adam primus pater recepit à Deo corpus & animam, & benè esse. Sed dum benè esse per inobedientiam perdidit, esse tantùm, imò & malè esse corporis & animæ reservavit. Porrò Christianus homo instar primi tres habet res sibi collatas, distinctis tamen generationibus. Habet enim carnem à primo parente, habet animam à Creatore, habet & benè esse à Christo Redemptore. Ista tertia completa est, & perfecta, sine qua duæ primæ corruptæ manent, & perditæ. Hæc enim generatio sancta est, & tota bonitas, rectitudo, & pulchritudo animarum. Ista tertia generatio omninò contrariatur primæ, multiplici ratione. Primò: Per primam enim generationem caro dominatur, & anima servit, per tertiam anima dominatur carni, & suæ subjicit servituti. Secundò: Per primam generationem homo erat totus carnalis, lu-

luteus, brutalis, per tertiam homo fit ſpiritualis, rationalis, divinus. Tertiò: Per primam homo perdidit ſimilitudinem Dei, & nanciſcitur ſimilitudinem diaboli, ſed per tertiam recuperat Dei ſimilitudinem, & in priſtinum ſe attollit decorem. Quartò: Per primam homo recipit in ſe radicem omnium malorum, ſed per tertiam omnium bonorum fomitem recuperat, & conſervat. DOM. Hinc jam cernere licet apertiùs, quantùm primus & ſecundus Adam ſint inter ſe contrarii. Primus hominem corrumpit, & perdit, ſecundus reparat, medetur, & ſalvat. Ille animam à Creatore corpori infuſam inficit, & occidit, iſte eam mundat, ornat, & vivificat, Ille omnes, quos de ſe gignit filios, perpetuis cruciatibus damnat, iſte ſuam ſobolem Baptiſmi lavacro purgatam in cœleſtibus elevat, & coronat. Ille ſua fœtida carne omnes commaculat, iſte ſuæ ſanctæ & mundæ carni ſociatos mundos reddit, & lucidos. RÆM. Egregiè tu ſapis. Nunc pauca de triplici inter Chriſtianos fraternitate loquamur. Prima eſt carnalis, quâ omnes ab uno primo parente deſcendunt. Secundò ſunt fratres, quia ab uno patre ſpirituum Deo ſuas animas accipiunt. Et iſtæ duæ communes ſunt etiam & Paganis & Judæis. Tertiò ſunt fratres, quia ab uno Patre Chriſto omne benè eſſe ſortiuntur: Hæc poſtrema eſt omnium optima, ſine qua duæ primæ mortuæ ſunt. Hæc fraternitas, eſt magnæ nobilitatis, magnæ excellentiæ & amoris, magnæ bonitatis, charitatis, & unionis.

nis. Hæc fraternitas eſt infiniti meriti, valoris, & præmii, quia Chriſtus Deus homo emit eam morte ſua, vitam tribuens pretii infiniti. Hæc fraternitas, eſt fraternitas gratiæ, quia Chriſtus gratiarum Pater eam ſuis prolibus aſſignavit. Cæteræ autem ſunt naturæ. DOM. Meritò hæc tertia fraternitas tantæ eſt dignitatis, quia de Patre digniſſimo, & illuſtriſſimo Chriſto originem ſumit. Summo igitur amore ſe debent invicem diligere Chriſtiani, qui talem & tam amabilem ſortiuntur Patrem, qui eos ſuo Sanguine lavit, ſua morte redemit, ſua reſurrectione juſtificavit, & ſua glorificatione coronabit. RÆM. Ut cuncta meliùs intelligas, quæ de hac triplici generatione & fraternitate locutus ſum, unum manifeſtum tibi ponam exemplum. Corpus humanum recipit eſſe, recipit & benè eſſe. Nam hepar, cor, & cerebrum aliis largiuntur membris omne quod habent. Hepar enim dat eſſe groſſum, éſtque ipſis membris inſtar corporis, mittit námque eis humores corpulentos, ex quibus membra generantur, nutriuntur, ſuſtentantur. Hoc autem facit per venas, ex quibus largitur ſanguinem, & eſt quaſi primus Adam, qui dat carnem ſolùm. Secundò: Cor ipſum mittit calorem naturalem, & confert omnibus membris vitalem ſpiritum, & habet ſe ad modum Domini Creatoris, qui dat animam viventem humano corpori. Eſt ergò hîc ſpiritus quaſi membrorum anima, ſine quo omnia membra mortua reputantur. Tertiò; Ipſum caput ſeu cerebrum,

quod

quod est altissimum, spargit in omnia membra per nervos sensum & motum, & est sicut Christus dans benè esse toti corpori. Sicut igitur corpus ab hepate grossum sanguinem, ita homo recipit ab Adam sensibilem carnem. Et sicut corpus recipit à corde spiritum vitalem, ita homo recipit à Deo animam viventem. Sicut quoque corpus accipit à capite sensum & motum, ita & homo capit à Christo gratiæ adjutorium. Et quemadmodùm corpus jacet paralyticum, languidum, & emortuum, & semper deorsum labitur, nisi sensum à capite motúmque recipiat, nec quidquam ei prosunt aut hepatis, aut cordis munera, ita nisi homo gratiæ adjutorium & benè esse recipiat, semper ad terrena coruit, nec quidquam illi prodest corpus atque arbitrium recepisse. DOM. Hoc exemplo, & cæteris, quæ paulò antè de gratia dixisti, efficacissimè destruitur hæresis Pelagiana. Hæc enim falsò asserit, post acceptum à Deo liberum arbitrium Christi gratiam non esse homini necessariam. Dicunt nempè homines superbissimi: A Deo habemus, quòd homines sumus, sed nostrum est, quòd justi sumus. Nesciunt enim, quòd liberum arbitrium in primo Patre corruptum, sursum ad justitiæ opera attoli non potest, innumeris obligationibus irretitum, nisi Christi miseratione solvatur.



Mors

Mors Christi, unde homini gratia confertur, & benè esse, generat in homine Christiano novam obligationem.

CAPUT LXVII.


RÆMUNDUS.

Sicut suprà in dialogo de Obligatione monstravimus, hominem astringi Deo pro beneficiis creaturarum acceptis, deberéque Deum toto corde diligere, honorare, laudare. Multò tamen ampliùs, & sine ulla comparatione obligatur homo optimo largitori, quòd JESUM illi contulit. per quem omnem suam miseriam, culpam, iram, offensam feliciter, & efficaciter expiavit. Quantò Christus plùs valet, quàm omnes creaturæ, tantò magis obligatur homo pro suscepto Christo, quàm pro omnibus creaturis. Cùm enim Christus sit persona infinitæ bonitatis, & hunc largiendo Deus exhibuit homini infinitum amorem, & immensam liberalitatem, ideò duplici obligatione infinita homo constringitur & Christo Redemptori, & Patri Largitor; Quæ quidem obligatio multum differt à prima. Nam prima est naturalis, & propter esse hominis, & propter mundum, sed ista obligatio est propter benè esse hominis per JESUM. Item prima est propter hominem factum de nihilo negativo, sed ista propter hominem collapsum in nihilo privativo. De nihilo negativo factus est homo, qui corruens in

in malitiam, in injustitiam, in turpitudinem; cecidit in nihilum privativum; privans seipsum suo benè esse, suâ Gratiâ, suâ Justitiâ. Quando igitur Deus extraxit hominem de isto nihilo, conferens sibi per Christi mortem benè esse, & benè vivere, tunc iterum fecit hominem de nihilo. Primò hominem fecit; cùm non esset, deinde refecit, cùm funditùs perriisset. Verum quia magis est hominem reformare, quàm facere, & majoris valdè pietatis. Ut enim non crearetur non demeruerat, sed creatus & superbus, & inobediens factus, meruit ut illud perderet, quod factus erat, & illud, propter quod factus erat. Ideò in infinitum amplius obligatur homo pro eo, quòd tam gratuitâ miseratione morientis Christi restauratus est, quam antè Dei manu plasmatus est. DOM. Meritò id quidem, nam in isto opere reparationis nostræ Deus suam ultimam ostendit amicitiam, charitatem, amorem, dulcedinem, donans nobis suum Filium sibi coæqualem, quem amara morte peremit, ut nostris mortibus subveniret. Sed rogo te; quomodò poterit homo finitus hanc infinitam solvere obligationem? RÆM. Duobus modis, intellige quæ dico: Primò potest hanc obligationem solvere, si offerat Deo suum amorem, suum timorem, suam laudem, suam devotionem, ita tamen, quòd cum istis simul & Christum offerat, qui est sufficientia nostra, per quem plenissimè Deo reddimus quod debemus. Ad hoc enim nobis à Deo largitus est Christus, ut per illum suppleamus, quidquid ipsi

nostris viribus non possumus. Semper enim acceptat filium Pater, quem si amiserimus, & per nosipsos ad Deum accedere voluerimus, rejicimur, repellimur, ut superbissimi judicamur. DOM. Nec immeritò, qui enim sine Mediatore ad Deum iratum reus accesserit, graviori animadversione percussus superbiæ suæ pœnas dabit. RÆM. Secundò; potest homo hanc obligationem solvere, si mortem filii Dei quâ redemptus est, gratâ semper memoriâ gestaverit. Impiissimum enim est, tam benignissimam miserationem ingrato transire pectore. Passio nempe Christi est infiniti meriti, & totum hominis bonum, ideò omne studium Christiani, & tota ejus cogitatio, atque intentio, versari debet circa memoriam Mortis Christi, in qua sunt omnes thesauri divitiarum & meritorum omnium. Qui igitur vult suæ obligationi dignè satisfacere, & omnem in se virtutem, & omne Christi meritum possidere, recipiat in memoria Passionem ejus, per quam sit in seipso vivificatus, Deo reconciliatus, & à diabolo liberatus. DOM. Sed nonne Christi jam transit, quomodò ergo, quod transiit, & jam non est, mihi poterit prodesse? RÆM. Dixi jam tibi. Licet enim Christi mors transiit, meritum tamen mortis in æternùm manet. Quod meritum tunc in se homo recipit, quando in memoria devotus recipit ipsam mortem. Et quia meritum semper vivit, idcircò qui in se accipit Christi mortem per recordationem, vivit in Christo, gaudet, jucundatur, exul-

tat. Qui verò Christi mortem non recordatur, ingratus est, nec primam obligationem solvit, nec istam, sed peccatorum suorum obligatione compeditus, manet in morte, in ira Dei, & in vinculis diaboli. DOM. Hîc patet, quòd Christianus & Peccator, & ingratus, & seipsum diligens suam quæritans gloriam, suam famam, respuens Christum, infinito reatu suprà cæteros homines se astringit. Tantùm enim peccata hominis Christiani excedunt peccata omnium Paganorum ac Judæorum, quantùm obligatio Mortis Christi (cui Christianus reus tenetur) superat obligationem pro beneficiis acceptis à creaturis. Est ergò malus Christianus omnium qui vivunt hominum nequissimus, & infinitis suppliciis præ cæteris dignus. Unum tamen est quod, me vehementer movet. Si per Christi mortem homini confertur benè esse, quid est, quòd quotidie tanta mala, nunc corporis, nunc animæ experimur, & plerúmque majora, quàm qui Christi gratiam non receperunt? Corpus ut priùs manet infirmum, miserum, fragile, mortale, anima verò mille quotidiè agitatur tentationibus, nunc carnis, nunc mundi, nunc diaboli. Ubi ergò est illud benè esse de quo loqueris?



Homo

Homo lapsus licet reparetur quantùm ad benè esse animæ, manet tamen malum pœnæ in corpore.

CAPUT LXVIII.

RÆMUNDUS.

INtellige primùm, quid sit benè esse, & quid malè esse, & tunc facilè quod quæris invenies. Benè esse animæ est, quòd sit justa, sancta, recta, immaculata, fugitans vitia, & peccata, quòd Deum amet, laudet, honoret, Hæc per Christi gratiam animæ Christianæ conferuntur, atque hoc modo accipit benè esse, & benè vivere. DOM. Si habet Christianus benè esse, quare tot mala patitur in carne? RÆM. Magnæ pietatis est ista dispensatio. Ideò enim corpus manet fragile, & infirmum, ne negligat homo se lapsum, se perditum aliquando fuisse, & Christi gratia reparatum. Secundò, ut meminerit amoris, obsequii, & charitatis sibi à Salvatore exhibitæ, nec tam pretiosam mortem frivolam putet. Tertiò, ut cautus sit, ne iterum peccet, & æternas det pœnas, quæ corporis mala longissimè superent. Noveris tamen, quòd istas carnis nostræ miserias Christus nobis in bonum convertit, quia eas voluntarias facit, & meritorias. Si enim tolleret in hac vita omnes pœnas, tolleret de medio etiam merendi occasiones omnes, omnis nempè pœna voluntariè pro Christo perpessa ad-

admodùm est meritoria. Vides ergò quomodò mala corporis priùs involuntaria, dũ Christi gratiâ voluntaria fiunt, ad benè esse animæ traducuntur. DOM. Sed quid dicis de malis, quæ quotidiè in anima patimur, ut sunt tentationes, tribulationes, sollicitudines, timores, & mille pericula? RÆM. Nihil potest tollere benè esse animæ, præter solum peccatum, noli assentire peccato, & nihil tibi est nocivum. Quidquid enim homo in anima patitur, dempto peccato, totum illi vertitur ad salutem. DOM. Quomodo potest concupiscentia carnis, quæ inimica est animæ, fieri animæ in salutem? RÆM. Dum non assentit, dum ejus appetitum frangit, dum ejus desideriis reluctatur. DOM. Sed quare Christi Gratia non penitùs hanc destruit? RÆM. Certè, ne tibi tollat occasionem pugnandi, vincendi, merendi. Olim hæc concupiscentia te traxit ad culpam, nunc captiva te ducit ad gratiam. Tu tantùm eam comprime, & retine sub tributo, noli eam repentè jugulare, sed tanquàm mortalem inimicum vinculis irretitum sine languescere, tabefieri, & sensim mori. Propter tres igitur rationes ista carnis concupiscentia homini derelicta est. Prima, ut de tuo adversario, qui te olim occiderat, egregiè te vindices. Secunda, ut inimicum habeas, qui te torpentem pugnacem semper faciat, atque victorem. Tertia, ut dum hunc nonnunquam repugnantem senseris, gratiæ memineris Salvatoris, qui te Superiorem fecit, qui illum tuis pedibus subjecit, à

quo

quo quotidie tot homines capiuntur, inficiuntur, jugulantur. Si ergo hæc concupiſcentia facit ad benè eſſe hominis, quæ tamen nociva videtur, multò amplius tribulatio, perſequutio, ſollicitudo, timor, circumſpectio, quæ dum pro Christo voluntariè perpetiuntur, maximam parant animæ coronam. DOM. Optimus ſermo tuus eſt admodùm informativus ad neceſſariam patientiam. Sed nunc ſupereſt, ut quibus formis aut mediis Chriſtus ſuis fidelihus benè eſſe conferat, & ſalutem, ſapienter ediſſeras.

Quibus formis aut mediis Chriſtianus accipit benè eſſe à Chriſto?

CAPUT LXIX.

RÆMUNDUS.

UT homo Chriſtianus recipiat benè eſſe à Chriſto, neceſsè eſt, ut noverit, & ſuſceperit ſeptem Eccleſiæ Sacramenta. Chriſtus enim benigniſſimus Miſerator dona gratiæ ſuæ per res viſibiles & palpabiles inſtituit elargiri, ut homo exterioribus rebus imbutus, quid introrſum in anima accipiat, agnoſcat. Non tamen id, quod datur viſibile eſt, ſed per ſignum viſibile denotatur. Ideò Sacramentum dicitur, quod eſt ſacræ rei ſignum. Sicut per ſcalam naturæ viſibilem homo aſcendit ad agnoſcendas res inviſibiles, ut ſuprà patuit, ita Dominus JESUS ſtatuit, ut per ſcalam viſibilem Sacra-

mentorum, homo lapſus ſe erigat ad res ſpirituales, non ſolùm ut eas agnoſcat, verùm etiam in ſe recipiat. Prima ſcala eſt naturæ, ſecunda eſt ſcala gratiæ. Prima eſt ſcala creationis, ſecunda eſt reparationis, vitæ, & ſalutis. Prima eſt hominis, inquantùm homo eſt, ſecunda eſt hominis inquantùm lapſus eſt. Si ergò voluerit Deum invenire per ſcalam primam, neceſsè eſt, ut priùs aſcendat per ſecundam, utpote collapſus, depreſſus, & Dei inimicus. Item per primam ſcalam homo aſcendit ad Deum, ſed per ſecundam homo ſcandit ad hominem Deum. Prima inſtituta eſt à Deo Creatore, ſecunda condita eſt à Deo Salvatore. DOM. Non mihi mirum videtur, quòd Chriſtus ordinaverit per res corporales hominem debere recipere benè eſſe, cùm in prima conditione mundi ad hoc res corporales quasdam Deus creaverit, ut per eas homo habens benè eſſe, reciperet optimum eſſe. Lignum enim ſcientiæ boni & mali, quod utique erat corporeum, propterea Deus inſtituit, ut ſi homo ſervâſſet obedientiam ſuper hoc ligno impoſitam, de benè eſſe, quod habebat, tranſiſſet ad optimum eſſe, quod nondum noverat. RÆM. Hoc quod dicis etiam huic ſententiæ opitulatur quòd ſicut homo lignum hoc vetitum guſtando per res corporales cecidit, ita illum per res viſibiles Chriſtus erigere curavit. Iſtæ autem res per Sacra Chriſti verba conſecratæ, talem recipiunt efficaciam & virtutem, ut homo eas in ſe ſuſcipiciens, eam ſine dubio gratiam adipiſcitur,

ſcitur, quæ hujusmodi res viſibiles ſignificare videntur, ut patebit in ſubditis. Et congruenter his rebus corporeis Chriſti verba, quæ omnem habent virtutem, ſociantur, ut ſicut homo per verbum Dei eſt creatus, & per creaturas collapſus, ita & per Verbum Chriſti creaturis immixtum recreetur, & ſublimetur. Verba etiam aptius res inviſibiles ſuo ſignificato repræſentant, & ideò meritò rebus viſibilibús copulantur, ut perfectiùs homo credat ſe eam gratiam intùs recipere, quæ per res corporeas forinſecùs denotatur. DOM. Quia igitur per has res viſibiles Chriſto miſerante homo ſanctificatur, & recipit intùs gratiam, vitam, & ſalutem, hoc eſt benè eſſe, ideò debent honorari, venerari, & cum omni reverentia, & devotione ſuſcipi, & debent ſancta appellari & Sacramenta. Primò, quia ſignificant res ſacras. Secundò præparant hominem ad recipiendum res ſpirituales, & ſanctiſſimas. Tertiò, quia à Sanctiſſimo Chriſto eas novimus inſtitutas. Meritò igitur hæc ſcala appellari debet Sacramentalis. Sed tu progredere.

Per primum Sacramentum, ſcilicet Baptismi, datur animæ humanæ benè eſſe.

CAPUT LXX.

RÆMUNDUS.

NUnc in ſpeciali de ſeptem Sacramentis pauca dicamus, & quomodò per ea datur animæ

mæ humanæ benè esse. Inter Sacramenta primum occurrit Baptismus. Anima humana carni corruptæ, putridæ, & malis concupiscentiis infectæ copulata, trahit à sua carne omnem corruptionem, & culpam originalem, & concupiscentiam maculosam, & ideò necesse est, si debeat à suis sordibus emundari, ad aquas baptismi lavandi festinet, alioquin si non fuerit aquis lustrationis repurgata, portabit in æternum immunditiam suam. Ista autem ablutio Regeneratio vocatur, quia vetus homo illic renovatur, & anima recipit novum esse spirituale, quod non habebat, & efficitur Dei filia, hæres Dei, & cohæres Christi. Ista itaque ablutio materialis, cui sociantur verba sacra, scilicet: Ego te baptizo (id est lavo) in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, significat ablutionem invisibilem, & occultam, quam Christus intùs in anima operatur. In hoc Baptismo sicut homo efficitur novus, ita & nomen acquirit novum, ut à Christo vocetur Christianus, cui jam Christi gratia communicata est. DOM. Hinc pulchrè intelligo, Christianum hominem esse infiniti pretii, valoris, & dignitatis, qui Christi Sanguine, unde & Baptismus, rubet, mundatus est. Nec debere quemquam lædere hominem Christi fidelem, nisi qui velit infinitam injuriam in Christum committere, cujus ipse & nomen, & gratiam, & dignitatem gerit. Sed nunc ostende, obsecro, quomodò hæc visibilis ablutio interiori purgationi coaptetur. RÆM. In promptu est. Nam sicut aqua baptisma-

matis clara, transparens, & lucida eſt, ita anima in Baptismo, rejectis culparum tenebris, intelligentiæ, & amoris lumen acceptat. Item ſicut aqua æſtum refrigerat, ita & Baptismus concupiſcentiæ calorem, & ſævientem carnis motum contemperat, & gehennæ incendia penitùs eliminat. Item ſicut ablutio fit à capite, deſcendens in omne corpus, ita omnium culparum & pœnarum, quæ ab originali peccato, tanquam à capite ſumpſerunt exordium, fit plena remiſſio. Et ut virtutes Sacri Baptismatis in unum congregem, in Baptismo fit transmutatio de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de ſervitute carnis & dæmonis ad veram libertatem, & ſervitutem Redemptoris. In Baptismo moritur carni, & vivit Spiritui, moritur vitio, & vivit virtuti, exuitur operibus tenebrarum, & armis lucis induitur, veterem deponit hominem & novum induit, qui ſecundum Deum creatus eſt. In Baptismo præterea tanquàm per ſcalam Chriſtus deſcendit ad hominem, & homo ſcandit ad Deum, & fit inter utrósque quidam dulciſſimus Matrimonii contractus, quia anima Chriſtum ſuſcipiens à Chriſto Vicariis brachiis ſuſcipitur, & veteribus vitiorum veſtibus ſpoliata, incorruptibilibus virtutum veſtibus adornatur. DOM. Ex iſto dulciſſimo Sermone tuo, luce clariùs apparet, cum quanta celebritate, devotione, alacritate, & pietate debeat Baptismus & conferri, & ſuſcipi, in quo humana anima omnes culpas deponit, maculas diluit, novam nativi-

Q 5 ta-

de nunc quæſo, quomodò hæc exteriora interioribus aſſimilentur. RÆM. Dixi, in Chryſmate Oleum & Balſamum contineri. Sicut Oleum ſupernatat aqua, ita gratia confirmationis gratiam Baptismatis ſuperat; Item Oleum reddit aquam ſaporoſam, ita confirmatio Baptizatum hominem magis efficit populis famoſum, vita, virtute, bonitate, converſatione, ſermone. Item Oleum extenditur, & dilatatur ſuper aquas, ita per hanc confirmationis gratiam homo exteriùs ad bona opera dilatatur, & nomen Chriſti amabile reddit cordibus aliorum. Item Oleum nitidum eſt, & perlucidum; ita hoc Sacramentô homo conſcientiam poſſidet mundam, & juſtitiæ luce ſerenam, Item Oliva etiam ſæva hyeme ſemper viret, ita per hanc Sacramenti gratiam confertur homini, ut nulla adverſitatum aſperitate frangatur, ſed ſemper in bono perſeveret, & in ſecundis, & in triſtibus. Item Oleum lene eſt, dulce, ſuave, benignum, ita hoc Sacramentum facit hominem humilem corde, & mitem converſatione, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Prætereà, ſicut Oleo permiſcetur & Balſamum, quod ſuavem valdè ſpirat odorem, hoc ſignificatur, quòd gratiâ hujus Sacramenti homo extrà ſe ſpargit fragrantiam bonæ famæ, bonæ opinionis, & vitæ, quâ alios ad ſe trahit, & ſuo exemplo inſtituit. Item iſta Unctio fit ſigno Crucis in fronte, ut ſignificetur, quòd in hoc Sacramento datur gratia ad publicè pro fide pugnandum, ad Chriſti nomen,

men, & crucem, & mortem Audacter, & ſine rubore confitendum, & ad tormenta, contumelias, & ludibria, ſi opus fuerit, conſtantiſſimè perferendum. Certè vidiſti, quomodò hoc Sacramentum benè eſſe, & gratiam fortitudinem, conferat animabus. DOM. Vidi equidem, & Chriſti miſerationes ſtupeo vehementer, qui hujusmodi remediis noſtris vulneribus ſuffragatur.

Per Sacramentum Euchariſtiæ ſuprà modum benè eſſe, & multiplex gratia donatur.

CAPUT LXXII.

RÆMUNDUS.

POſt Confirmationem ſequitnr Euchariſtiæ, id eſt, bonæ gratiæ Sacramentum, in quo præ cæteris continetur & confertur omnis gratiæ plenitudo. Videmus, quòd in vita corporali primùm præcedit Generatio, deinde ſequitur Augmentatio, per quam homo perducitur ad plenam vitam, ita tertiò, requiritur Alimentum, quo omnis vita perduret in eſſe. Pari modo eſt in vita ſpirituali: Nam in Baptiſmo ſpiritualiter naſceris, in Confirmatione augmentaris, & Euchariſtia aleris, & enutriris, quò ſit, ut in vita ſpirituali conſerveris, & complearis. DOM. Sed quô cibò alit nos Chriſtus in hoc Euchariſtiæ Sacramento? RÆM. Non aliô utique quàm ſeipſo, ſua carne,

ne, ſuo ſanguine , ſua divinitate , quæ realiter & veraciter in hoc Sacramento continentur. Ecce hoc eſt pabulum amoris , eſca dilectionis, ferculum ardentiſſimæ pietatis, quô te nutrit Deus tuus, Redemptor tuus. Sicut enim nutritio corporalis fit per calorem naturalem , qui ſi defecerit , jam nutritio ceſſabit , ſic & nutritio ſpiritualis per calorem fit ſpiritalem.hoc eſt, per amorem. Et ſicut calor naturalis convertit nutrimentum in rem nutritam , ita amor convertit amantem in rem amatam. Corporalis tamen nutritio & ſpiritualis fiunt contrario modo. Nam in corporali alimentum vertitur in naturam aliti, ſed in ſpirituali alitum in naturam vertitur alimenti. Manducans enim Chriſtum non in te Chriſtus mutatur, ſed tu mutaris in Chriſto , formam & imaginem , & Chriſti ſimilitudinem verè recipiens, atque ita Chriſto conjungeris, & ejus membrum efficeris. Hinc jam intelligis, quomodò hoc Sacramentum ſcala ſit, in qua per res viſibiles (ut ſunt forma panis & vini) homo aſcendit ad Chriſtum, & Chriſtus deſcendit ad hominem. Iſtis rebus viſibilibus accedit ſermo Chriſti, & verum Chriſti Corpus efficitur, & verus Sanguis. DOM. Quomodò tu mihi oſtendis, quòd poteſtate Verborum Chriſti Panis, qui in Altari eſt, in Chriſti Carnem transformatur ? RÆM. Credis Chriſtum Deum eſſe , & creaturas omnes verbo formâſſe? DOM. Credo equidem. RÆM. Si ergò potuit verbo naturam creare , quare non poterit naturam ver-

verbo traducere? Nunquid erit infirmior ſermo Chriſti tranſmutando naturam, quàm creando? Ut autem noveris, quòd Chriſti verba id realiter efficiunt, quòd dicunt, his rationibus poteris edoceri. Prima ratio: Omninò neceſsè eſt, quod verba Creatoris aſcendant unum gradum ſuprà verba creati hominis, ſed hominis verba ſemper ſignificant, ergò Chriſti faciunt quod dicunt. Secunda: Verba hominis aliquando ſunt falſa, ut ergô unum gradum ultrà tribuamus Verbis Chriſti, oportet neceſſariò aſſerere, quòd ſemper ſunt vera, ideò in veritate operantur, quod loquuntur. Tertia: Sicut creatura habet virtutem transmutandi in ſe aliam creaturam, (nam caro humana mutat panem in ſuam ſubſtantiam) multò magis verba Chriſti ſua virtute panem Altaris vertunt in ſuam carnem, & vinum in Sanguinem. DOM. Libenter aſſentior rationibus tuis, nam & veræ, & firmiſſimæ ſunt. Sed nunc quæſo paucis oſtende, quomodô hæc viſibilia in hoc Sacramento interiorem gratiam repræſentent? RÆM. Pareo libens. Sicut enim Panis & Vinum ſunt ipſius Corporis plena refectio, ita Corpus Chriſti quod ſub his ſpeciebus continetur, optimo ſpiritali cibo animam refocillat. Præterea: Sicut Panis ſuper omnes cibos Corpus nutrit, & ſuſtentat, & vinum lætificat, & inebriat, ita Corpus & Sanguis Chriſti animam reficit, nutrit, lætam, jucundam, atque ebriam reddit. Præterea: Sicut ex multis granis Panis fit, & ex multis acinis vinum confluit, ita in hac Sacramenti

menti perceptione multi Chriſtiani in unam fidem Chriſto junguntur, & fiunt cor unum, & anima una. DOM. Ex hoc poſtremo patet, quòd per formam Panis & Vini duplex inviſibile denotatur, ſcilicet verum Corpus Chriſti virgineum, quod in hoc Sacramento continetur, & Corpus Chriſti myſticum, Eccleſia ſcilicet in prædeſtinatis; quod non realiter, ſed ſignificativè repræſentatur. Verùm tu ultrà gredere. RÆM. Audi igitur conſequenter: Sicut res corporales, Panis & Vinum, in hoc Sacramento in eam aſcendunt dignitatis & nobilitatis eminentiam, quâ nulla poteſt celſior æſtimari, (tranſeunt enim in Corpus Chriſti glorificatum) ita per hoc Sacramentum boni Chriſtiani ſublimantur, deificantur, & in Chriſtum convertuntur, & efficiuntur cum eo unius voluntatis, amoris, & germanitatis. Prætereà, ſicut Panis vinique ſubſtantia formis extrà remanentibus in Chriſti Carnem & Sanguinem occulta virtute convertitur, ita per hoc Sacramentum anima Chriſtiani in Chriſti animam, & Deitatem occultè permutatur, Corpore in ſua ſpecie permanente. Prætereà, ſicut per verbum ſuum Chriſtus res viſibiles vertit in Corpus ſuum, ita in hoc Sacramento vertit corda animáſque piorum in ſemetipſum. Prætereà, ſicut in hoc Sacramento Panis corporeus aliam naturam induens multò melior efficitur, ita Corpus Chriſtiani dignè communicantis melioratur, & caſtum, mundum, ſanctum, & Chriſti obſequiis deditum, & rationi ſub-

ſubditum efficitur. DOM. Magnifica ſunt quæ loqueris, & quæ vehementer in amorem hujus digniſſimi Sacramenti mentem hominis inflammant. Hinc claret, quòd virtute hujus optimi cibi Chriſtianus enutritur, roboratur, completur, perficitur, & ad ultimum bonitatis terminum, quantùm in hoc mundo poſſibile eſt, acceleratur.

Quòd Caro Chriſti eſt penitùs contraria corruptæ Carni primi hominis.

CAPUT LXXIII.

RÆMUNDUS.

EX his, quæ jam diximus, facilè potes animadvertere, mi Dominice, quomodò primus homo, & ſecondus, ſcilicet Chriſtus, contrariantur, ita & Caro Chriſti eſt omninò contraria Carni protoplaſti. Habet enim proprietates operantes reſpectu animæ longè diverſas. Nam Caro primi hominis cauſat in anima omnem corruptionem, infectionem, perditionem, & mortem, ſed Caro Chriſti confert animæ ſe ſumenti integritatem, puritatem, vitam gratiæ, & vitam gloriæ. Prætereà, ſicut Caro corrupta in Adam turpiter, libidinosè per coitum generata, eſt cauſa quidquid anima experitur mali, ita Caro Chriſti mundiſſimè ſine coitu de virgine orta, erit animæ humanæ cauſa omnis virtutis, juſtitiæ & ſalutis æternæ. Prætereà, ſicut ipſi animæ imputatur originale pec-

peccatum. eò quòd unitur carni vitiatæ, ita dum anima copulatur Carni Christi sanctissimæ, ab omni peccato immunis efficitur, & omne Christi meritum compartitur. Prætereà sicut Caro Adæ est arca omnium vitiorum, omnium criminum, sordium, & malorum, ita Caro Christi est arca omnium virtutum, omnium bonorum, & thesaurorum spiritualium omnium. Prætereà, sicut Caro prima separat animam à societate & amicitia Dei, & facit eam sociam diaboli, ita Caro Christi jungit animam Deo, & æterna pace confœderat. Et sicut diabolus per Adæ carnem animas rapit, & occidit, ita Christus sua Carne animas aucupat, & vivificat. Prætereà, sicut anima sociata suæ carni per voluntatem, & amorem, mille sordibus & vitiis inquinatur, ita si societur per amorem Carni Christi complacendo, & in ea delectando, ab omni spurcitia emundatur. DOM. Hoc postremum non est perfunctoriè transeundum. Duplicem ego animæ rationabilis societatem cum carne considero. Unam habet cum sua carne, & hæc est naturalis, aliam habet cum Carne Christi, & hæc est voluntaria, & meræ dilectionis. Per primam unionem recipit caro vitam ab anima, sed per secundam vitam accipit anima à Carne Christi, per quam Deitati in pacis fœdera copulatur. Et quoniam anima magis illic est, ubi amat, quàm ubi animat, ideò anima Christi Carni per amorem sociata, tam sancta, tam virtuosa efficitur, quòd à carnis suæ copula possit nullatenùs maculari. Et me-

ritò anima plùs tenetur Christi Carnem diligere, quàm suam, quæ verberata, passa, crucifixa, & occisa pro animæ salute & pro omnibus peccatis, quæ à sua Carne contraxit. Huic igitur Christi Carni si anima per amorem inhæserit, Carnis suæ corruptione de cæterò maculari non poterit. Sed da veniam, quòd ego verbosus tuam sententiam interrumpo. RÆM. Non interrumpis, sed quod ego ex abrupto protuli, tu magis elucescere facis. Est præterea adhuc unum, quod in differentiam utriusque carnis dicturus sum, & sic quieturus: Sicut prima caro corrupta multiplicatur, & dividitur in multas portiones, & ex consequenti fit causa, quare animæ multiplicentur, & corrumpantur, & ab invicem, & à Deo separentur, ita Caro Christi quæ una numero est, efficitur ratio unionis animarum, & omnes animæ Christianæ, quæ per propriam cujúsque Carnem fuerunt abinvicem, & à Deo remotæ, per Christi Carnem, cui per amorem copulantur, fiunt cor unum. & anima una inter se, & cum ipsa Deitate æterno pacto fœderatæ. DOM. Præclarè admodùm, & per magnificè. Ut quoniam omnes animæ humanæ ab uno exeunt Creatore Deo, & multiplicata carne crebro multiplicantur, & corrumpuntur, ita demum per Christi Carnem uniuntur, purgantur, & ad Deum, qui eas condidit, reducuntur. Et sic caro est causa multitudinis animarum, & causa unionis. Caro est causa, quare à Deo exeunt, & causa, quare ad Deum redeunt. Caro

est

est causa perditionis animarum, & causa salutis earum. Hæc omnia operatur caro, sed non una & eadem caro, sicuti nunc evidentissimè demonstrâsti. Sed cùm necesse sit omnes Christianos hac vera Christi Carne cibari, quomodò potest una Caro tot homines diversis locis & temporibus pascere? & tamen una numero cùm sit, non posse dividi, nec comesta consumi?

Corpus Christi unum numero, quomodò possit simul & semel esse in pluribus locis.

CAPUT LXXIV.

RÆMUNDUS.

QUæstio tua est, (ni fallor) quomodò Christi Corpus, unum numero, possit esse in pluribus locis? Quæstio certè difficilis, nullâ humanâ industriâ dissolvenda, sed certa fide æstimanda. Non debet tamen mirum videri, si Corpus Christi possit esse in multis locis, quando ipsa Divinitas, cui hoc Corpus in Unitate personæ sociatum est, tota sit simul in omnibus locis. Accipe prætereà aliqua exempla, quibus hoc ipsum, quod petisti, possis utcúnque cognoscere. Primùm: Sicut unum verbum numero, uno ore prolatum, & in aëre multiplicatum, plures astantium aures mentésque diverberat, ita, & unum Christi Corpus numero, Deitati conjunctum, multis potest locis haberi, multa Christianorum corda, &

 ora

ora subingredi. Secundum: Una & eadem dictio, sive illa magnis, aut parvis literis conscripta sit, seu in multis, seu paucis redacta syllabis, semper idem significat, ita conformiter nec parva, nec magna forma Panis aliquid variat in Corpore Christi, tantundem enim in parva continetur hostia, sicut in magna. Tertium: Licet aliqua dictio multipliciter per varia sinonyma, aut idiomata, propter hoc tamen significatum dictionis nullatenùs multiplicatur, ita quamvis hostiæ multiplicantur loco, & tempore, non propter hoc tamen Caro Christi multiplicatur. Quartum: Quamdiu ipsa dictio suam retinet formam, & naturam, tamdiu ipsa significatio manet, ita etiam donec forma Panis in in sua manebit natura, semper intùs permanet Corpus Christi. Verùm, quia quælibet pars hostiæ habet speciem, & nomen panis, sive parva sit illa, sive magna, ideò sub qualibet parte notabili est totus Christus. Quintum: Sicut speculum quantumcúnque magnum non recipit in se nisi unam imaginem unius hominis, quod si frangatur in multas partes, in qualibet speculi parte tota patebit hominis imago, quæ priùs apparuit in toto speculo adhuc integro. Pari modo sit una hostia magna instar montis, non erit tamen in ea nisi unum Corpus Christi, quòd si illam hostiam fregeris in mille partes, in qualibet parte erit totus Christus, unus numero, in singulis, & omnibus unus. DOM. Sufficienter his exemplis optimis imbutus sum, ut intelligam, & in multis locis, & in singulis

ho-

hostiæ effractæ partibus unum numero Christi Corpus contineri. Sed ostende obsecro, quomodò integrum, & perfecta quantitate sub tam parvis hostiæ partibus Corpus Domini habeatur? RÆM. Corpus Christi, cùm sit spirituale, est in animæ naturam (quantùm id fieri potest) transmutatum, videmus enim, quòd anima nostra ea, quæ in se recipit, in suam naturam convertit, unde dum recipit hanc literam A, facit eam continuò spiritualem, & quæ prius erat nigra, vel rubea, longa & lata, fit in anima merè spiritualis A, sine colore, sine aliqua quantitate. Ita conformiter Corpus Christi jam glorificatum, & spirituale factum, non occupat locum, & ideò potest sine pondere, sine longitudine, sine profunditate, totum integrum in uno indivisibili puncto verissimè contineri; prætereà videmus palam, quòd imago, seu species rei corporalis, quantùmlibet sit magna, est tota simul, nec lata, nec profunda, nec ponderosa, nec grossa, licet longa esse & grossa videatur. Una enim magna Ecclesia, seu amplissima Civitas, tota atque integra ingreditur sub imagine pupillam oculi nostri, quæ est instar puncti indivisibilis. Homo prætereà dum dormit, totam videt civitatem in somnis, in sua specie. quæ punctalis est, Cùm igitur Corpus Christi magis sit spirituale, quam quælibet imago rei corporeæ, quæ per pupillam intrat, ideò non tibi mirum videri debet, si possit totum simul in puncto, & sine sui diminutione brevissimis hostiæ particulis contineri.

ri. Veniens enim Christus in Sacramento propter animam, ut eam sibi uniat per amorem, ideò debet ibi eo modo contineri, quo possit animæ efficaciùs applicari. DOM. Satis me instruis, non oportere me in hoc Sacramen- quidquam de Christi Corpore quærere, aut scrutari, quod sit, vel quantum, vel coloratum, vel saporum, vel aliquo sensu obvium, hoc enim brutescere est, sed solùm rem spiritalem cogitare & non aliud præcisè, quàm quòd verba ipsa significant: Hoc est enim Corpus meum. RÆM. Equidem hoc sanè comprehendis, nam quod videtur in Sacramento, est sicut vox, quæ extra percipitur, & hoc quod illic intùs continetur est, sicut significatum vocis, quod intelligitur. Et sicut ipsum significatum non est longum, neque latum, &c. ita Christi Corpus in Sacramento ab omni est quantitate & qualitate remotum. Accipe item aliud exemplum: Sicut aliud est, forma panis, & aliud substantia panis, forma enim panis videtur vel in speculo, vel in somno, non tamen substantia panis, ita in hoc Sacramento vera species est, & forma Panis, sed Panis substantia nulla est, quia mutata est in Corpus Christi virtute verborum ejus. Et ideò sicut se habet substantia Panis ad Panis formam, ita se habet Corpus Christi ad ipsas species quæ videntur. Et quia Panis substantia solo percipitur intellectu, & nullo sensu, ita Corpus Christi in Sacramento loco illic substantiæ Panis existens, intelligi potest, sed non sentiri. Porrò sicut substantia Panis, in se con-

conſiderata, non eſt longa, nec lata, nec aliquo perceptibilis ſenſu, nec locum occupat, & ubicumque eſt Panis forma, illic eſt ſimiliter tota Panis ſubſtantia. nec plus ſubſtantiæ continet magna forma, quam parva, ita & Corpus Chriſti non eſt nec quale, nec quantum, & reliqua, ut jam patuit. DOM. Sed quid cenſendum eſt de illis formis, quæ remanent ſubſtantiâ transmutatâ? RÆM. Formæ illæ non incongruè appellari poſſunt accidentia, indumentum Corporis Chriſti, indumentum inquam alienum, extraneum, peregrinum. Ipſæ enim formæ Sacramentales Panis, & Vini, quæ antè habebant conditiones accidentis, & inhærentis, recipiunt novum morem, multò nobiliorem, & altiorem morem ſubſtantiæ, quia per ſe ſubſiſtunt, & nullo ſubſtantiæ adjumento fulciuntur. Omnia ergò in hoc Sacramento dignificantur, quia Panis fit Corpus Chriſti, & ſpecies ejus modum recipit ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis. Debet igitur ſpecies Panis, & Vini, in magna veneratione, & honore, & pietate ſervari, & coli, tanquam veſtimenta Unigeniti Filii Dei, & regis ſempiterni. DOM. Ex his patet magna Chriſti Salvatoris benignitas, & profunda humilitas, qui propter nos cibandos tam humili dignatur, & ſimplici indumento veſtiri. Primò: Indutus eſt, ut nos redimeret veſte noſtræ mortalitatis. Secundò, ut nos aleret, induit ſe veſtimento Panis. Primam veſtem ipſe ſibi fecit, ſecundam homo componit.

Primam sumpsit ex utero Virginis, secundam induit in Sacrificio Altaris.

De quarto Sacramento, scilicet Pœnitentiæ, per quam Lapsus à Christi gratia Christianus reparatur, & benè esse ei restituitur.

CAPUT LXXV.

RÆMUNDUS.

NUnc de Sacramento Pœnitentiæ utiliter pauca loquamur. Videmus mi Dominice, quod in vita corporali contingit, hominem morbum mortalem, & periculosum incurrere, quo vitam perdit temporalem. Pari modo Christianus in vita spirituali potest ægritudinem, hoc est mortale peccatum incurrere, per quod vitam amittat spiritualem. Gratia enim cùm non sit de natura liberi arbitrii (quia aliud est Dei gratia, aliud natura) ideò eam Christianus spontè aut contemnere, aut perdere potest, quod dum fecerit, tunc reverà infirmus efficitur, morbidus, & morti proximus. Sicut enim membrum illud in periculo est, quod influentiam non sumit à capite, ita Christianus periclitatur, dum non recipit influxum à Christo Salvatore, sed est morbidus, & moribundus. Verùm, quemadmodum corporalis infirmitas medicinis, & potionibus curari solet, ita morbi spiritales remediis spiritalibus reformantur, & ideò benignissima Christi miseratio contra

tra vitia & peccata, in quibus quotidiè labimur, & ad mortem disponimur, Sacramentum instituit Pœnitentiæ. DOM. Si Pœnitentia (ut asseris) est Sacramentum, quæ sunt illa signa exteriora, quæ invisibilem intùs gratiam repræsentant? RÆM. Duo sunt visibilia signa: Primum est in Pœnitente, & sunt facta, & verba exteriora, quæ significant, & declarant id, quod occultum est in corde, & invisibile, odium scilicet, detestatióque peccati. Secundum est in Sacerdote, qui tenet locum Dei, & est ipsa absolutio, quæ fit in isto Sacramento per verba, quæ remissionem exprimunt peccatorum. Ista duo exteriora signa duo invisibilia intùs ostendunt. Nam accusatio in Pœnitente significat peccatorum suorum detestationem, & verba Sacerdotis, quæ sunt: Absolvo te, &c. significant peccatorum remissionem. Ad culpæ enim destructionem duo sunt necessaria, scilicet peccati remissio, quam tribuit Deus, & peccati detestatio, quam sibi assumit homo reus. Primò igitur tenetur Peccator, qui vult veniam, & gratiam mereri, dolere, tristari, gemere, suspirare, lahrymari. Secundò, quia radix omnis peccati est mala voluntas, ideò ad destructionem peccati necessariò oportet, ut homo proponat firmissima voluntate, nunquam se ultrà velle Deum offendere. Tertiò, ut eximo cordis homo cognoscat, & fateatur se in Deum suâ malitiâ deliquisse. DOM. Malè igitur pœnitet, qui vel fatum, vel Deum accusat, hoc pacto cupiens sua scele-

ra palliare, inſtar Adæ, qui ſub foliis latitans facinus ſuum in Deum retorſit. RÆM. Quartò, ut habeat optimam ſpem ab indulgentiſſimo Patre Deo ſe poſſe & veniam, & gratiam promereri, ne more Judæ proditoris dolens pœnitensque deſperet. Quintò neceſsè eſt, eum non ſolùm peccatum odiſſe, ac deteſtari, ſed etiam cunctis viribus illud impugnare, perſequi, perimere, & intùs foriſque ore, & corde acriter accuſare, & modis omnibus verbo & facto deſtruere, aliàs veniam non poterit emereri. DOM. Meritô id quidem: Nam peccatum cùm ſit acerrimus, & nequiſſimus hominis inimicus, ſeparans eum à Deo, & ab omni bono, & obligans eum tormento ſempiterno, idcircò ſummo conamine debet ſe contra illud homo robuſtus erigere, & ſub pedibus projectum, & oppreſſum crudeli animo ſtrangulare. Sed tu quæſo ultrà proſequere. RÆM. Peccatum cùm ſit etiam Inſidiator occultus, & clam ſemper moliatur inſidias, cupit enim ſe celare, operire, occulere, & quia inimici hominis domeſtici ejus, ideò neceſsè eſt, ut per Confeſſionem prodatur, reveletur, ut appareat confuſio turpidinis ejus. Non potes illi hoſti tuo durius in dicere bellum, nec acriorem inferre confuſionem, quàm ſi illum, dum latere voluerit, prodideris, & vituperiis, & contumeliis dignum Sacerdoti monſtraveris. Superbum enim eſt omne peccatum, & ideò maximè ab illo declinat, à quo ſe manifeſtari cernit, & haberi contemptui. Eſt prætereà deceptivum,

&

& fraudulentum, & ideò ut Deceptor, & Falsarius accusari debet, judicari, & puniri: Debet igitur poni in judicio, & contra eum ferri sententia, ut cùm judicatur, exeat condemnatus, explosus, irrisus. Hunc igitur teterrimum hostem cùm taliter homo fuit persequutus, & illum à se projecerit, & occiderit, statim virtute Sacramenti Pœnitentiæ redit ad pacem Dei, & in amicitiam Christi, & accepta omnium peccatorum suorum remissione, gratiam recuperat, quam amisit. Certè jam vides, quomodò hoc Sacramentum operatur etiam benè esse animæ, quia veniam tribuit, & gratiam refundit. Vides quoque, quomodò Pœnitentia sit secunda tabula post naufragium, secunda scala post Baptismum, per quam Christianus collapsus iterum ascendit ad Christum. In qua scala sunt tres gradus, scilicet dolor cordis, Confessio oris, & satisfactio operis. DOM. Infinita nunc apparet Christi dulcissima miseratio, qui homini se contemnenti, & gravem injuriam facienti, tale contulit reconciliationis antidotum, tale suorum vulnerum remedium. Hinc summa datur homini Peccatori securitas, cùm videt se ab eo, qui offensus est, in gratiam, pacémque vocari. RÆM. Omninò necessè fuit Christiano peccanti talem clementiæ manum protendere, ne propter immanitatem sui reatûs aliquoties desperet. Multò enim graviùs, & profundiùs cadit post Baptismum, acceptam tantam Christi gratiam, quàm antè. DOM. Oro te, ut aliquantulis id mihi rationibus demonstres. Ho-

Homo Christianus multò periculosiùs cadit post acceptam Christi gratiam, quàm antè.

CAPUT LXXVI.

RÆMUNDUS.

DIximus suprà, quòd quando primus Parens cum sua sobole à statu, in quo illum Deus creaverat, recessit, statim in alium statum collapsus est. Cadens enim à Deo, & à statu optimæ naturæ, cecidit in ordinem justitiæ, obligans se pœnæ temporali, atque perpetuæ. Pari modo homo Christi Sanguine, & Baptismate renatus, dum recedit ab hoc dignissimo statu, in ordinem cadit justi judicii. Et tantò gravioribus suppliciis est dignus, quantò majora sunt Sacramenta, quæ contemnit. Prætereà sicut multò difficiliùs Deus hominem redemit, quàm condidit, condidit enim sine labore, sed usque ad mortem fatigatus est, dum redimeret: Præbuisti mihi (inquit) laborem in peccatis tuis, ideò multò infelicius delinquit, qui ingratus contemnit se redemptum, quàm conditum. Tertiò, peccans ante Baptismum in solum delinquit Creatorem, sed qui ingratus post Baptisma jam peccat, Creatorem offendit & Redemptorem, atque hoc modo & culpa geminatur, & pœna. Quartò, peccat etiam in totum Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia sanctorum, à quo ipse se dividit, & unum de-

de Christi membris abscindit. Quintò, sicut pro reparatione hominis lapsi necessè fuit Deum hominem mori, necessè est ad reformandum hominem secundò lapsum post Baptismum rursum JESUM CHRISTUM occumbere, quia peccatum destrui non potest, nisi morte Filii Dei. DOM. Sed nunquid Christus iterùm debet crucifigi jam factus immortalis? Nunquid non una mors sua sufficit ad totius orbis exhaurienda peccata? RÆM. Sufficit equidem, sed toties Christus mysticè immolatur, quoties in expiationem scelerum nostrorum mors sua humili memoria revocatur. Qui enim peccat, rursùm sibi Dei filium occidit, & non potest hujus sceleris veniam promereri, nisi Christi mortem iterum revocet, & Passionem suam in memoria portet, devotione, compassione, fide. Quod quia paucissimi faciunt, ideò peccatum regnat, & Pœnitentia omnis evacuatur, vice versa, dum homo eam sibi applicat per memoriam Pœnitentia mediante, quod dum fecerit, ita illud gratum accipit Christus Dominus, tanquàm si ipse eam pro se mortem pertulisset, atque hoc modo regeneratur, renovatur, rebaptizatur, non undis Baptismatis, quod iterari non potest, sed roseo Sanguine Agni immaculati Christi. DOM. Cùm enim in lapsu post Baptismum homo teneatur non solùm intùs graviter ingemiscere, sed etiam condignam suis malis foriis Pœnitentiam agere, cúmque ipsum peccatum sit infinitum, & æternum, eò quod in Deum optimum commissum sit,

ſit, qui eſt infinitus, & interminabilis, quomodò poterit homo fragilis, & mortalis hujuſcemodi Pœnitentiam ad unguem uſque complere? Quomodò poterit homo finitus rem infinitam terminare? RÆM. In quolibet peccato mortali tria oportet animadvertere: Primum eſt, ipſa offenſa, & contemptus Dei. Secundum, ipſa operis nequitia, quæ penitùs inordinata eſt, & fieri non debet. Tertium eſt id, quod eſt in peccato voluntarium, quæ ſunt conſenſus, delectatio, & rei peſſimæ complacentia, hæc duo ultima ſicut finita ſunt, & terminum habent, ita & pœnam merentur temporalem, terminabilem, ſed illud primum Pœnitentiam exigit infinitam. Verùm, quia omnis culpa ſolvi poteſt per diſplicentiam, tanquàm per ſuum contrarium, ideò ſi homo ceperit deteſtari ex animo malum, quod fecit, & aſſumere dolorem infinitum pro infinito offenſo Deo, culpæ & pœnæ perpetuæ veniam obtinebit. DOM. Adhuc permanet, quod quærebam. Quomodò quis poterit accipere diſplicentiam infinitam? numquid ad impoſſibile nos obligat Deus? RÆM. Non te obligat Deus, ſed tu teipſum, noli peccare, & longe à te erit obligatio iſta infinita. Sed agnoſce nunc, quàm ſit homini lapſo Chriſti miſeratio neceſſaria. Nam quia homo miſerandus non poteſt in immenſum dolere, nec culpam infinitam deſtruere, ideò illi prærogat Paſſionem ſuam Miſerator Chriſtus, quæ cùm ſit infiniti pretii, facilè culpam ſubruit infinitam. Et ideò Mors Chriſti juncta cum homi-

minis Pœnitentia, culpam destruit, prout est offensa Dei. Verùm quia culpa est etiam inordinata, & voluntaria, ideò debetur ei pœna temporalis, juxta qualitatem culpæ, & hæc reservatur judicio Sacerdotis, si est occulta, vel publici judicis, si est manifesta. DOM. Hinc pulchrè apparet, quàm necessarium sit pœnitentiæ Sacramentum, in quo facta occulta Confessione tale secretum judicium celebratur. Sed rogo, nunquid post factam condignam pœnitentiam homo Christianus pristinæ redditur sanitati?

Sicut Baptismus relinquit reliquias primi lapsûs in carne, ita Pœnitentia relinquit reliquias secundi lapsus in anima, & quomodò expientur?

CAPUT LXXVII.

RÆMUNDUS.

DIcam tibi ad tuam quæstionem quod te scire oporteat. Sicut se habet Baptismus ad primum lapsum, ita se habet Pœnitentia ad secundum. Sed Baptismus derelinquit reliquias in ipsa carne, ut suprà patuit, ita & Pœnitentia relinquit nonnullas reliquias in anima. Agnosce itaque, quòd post perpetratum peccatum duo remanent etiam opere transeunte, scilicet offensa, seu injuria Dei, cui annectitur obligatio temporalis & perpetuæ pœnæ. Alterum, dispositio & inclinatio ad similem nequitiam per-

perpetrandam. Actus enim humani eam habent conditionem, quòd semper suam in mente relinquant imaginem, ac per hoc, dum malum crebrò iteratur, nascitur quædam consuetudo voluntaria malam operationem delectabiliter consummandi. Hoc gentilis Poëta considerans, ita canit,

Sed quia delectas Veneris decerpere flores,
Dicimus assiduè, cras quoque fiet idem.

Ista autem inclinatio, seu habitatio, vitium quoddam est in anima generatum, & hoc Reliquias dicimus peccatorum. In omni quippe peccato fit aversio à Deo, & conversio inordinata ad creaturas, & istud totum vocatur Mortale peccatum, quia animam mortificat, & pœnis destinat sempiternis. Verùm dum homo aversus ad Deum per pœnitentiam redit, tollitur quidem mors animæ & pœna gehennæ, manent tamen propter crebram quam habuit in creaturis delectationem, quædam reliquiæ, quæ animam ægram languidámque relinquunt, ut non possit tota virtute in amorem sui assurgere Redemptoris, instar ejus, qui curâ alicujus Medici de portis mortis abstractus, adhuc jacet valetudinarius, & infirmus, eò quòd nondum mali corporis humores purgati sint. DOM. Placet apprimè quod dicis. Sed hæ reliquiæ quâ Medicinâ poterunt purgari? RÆM. Tria sunt optima remedia, quibus ocyùs repurgentur. Primum est crebra, voluntaria, fidelis, & verecunda confessio, quæ quantò fuerit frequentiùs cum gemitu repetita, tantò efficacius me-

medelam ægro cordi largitur. Secundum est devota Eucharistiæ manducatio. Nam ex quo hæ reliquiæ vitiosæ impediunt animam, ne possit in Christum per amorem assurgere (comparatur enim pigris, frigidísque humoribus) & quia Sacramentum Eucharistiæ est Sacramentum amoris & ignis, & cibus ardentissimæ charitatis, ideò dum sumitur ab anima languente, frigrida, & indevota, quidquid illic vitiosum est, suo igne comburit, & inclinationibus pristinis expulsis habitus inserit optimos, & primis longè contrarios. Hoc modo anima purgatur, illuminatur, perficitur, ut jam non sit quod antè fuerat. Prætereà, per hoc Sacramentum homo maximè unitur Morti & Passionibus Christi, quæ omnia mala nostra citiùs expellunt, ac perinde homo consequitur non solùm culparum, verùm etiam pœnarum & reliquiarum purgationem. DOM. Hinc optimè liquet, quòd ex quo homo potest frequenter cadere in mortale peccatum, ideò debet se diligenter exercitare in istis duobus Sacramentis. Nam per Pœnitentiam homo resurgit à lapsu, & vitam recuperat, & amicitiam Dei, & per Eucharistiam contra reliquias vires resumit spirituales, & fortitudinem ac robur multiplicat. Sed nunc de tertio remedio aliquid dicito. RÆM. Tertium est voluntaria tribulationum perpessio. Tribulatio enim & afflictio retrahit animam à carnis deliciis, à mundi oblectationibus, ab inordinatis rerum periturarum amoribus, & tanquàm in camino ardenti animam

purgat & clarificat. Dum enim quasi quodam flagello cogitur ab amore rerum visibilium recedere, ardentiùs & expeditiùs pergit in amorem Dei. Porrò Amor Dei dum fuerit tribulationibus admistus, reddit eas leves, portabiles, voluntarias, jucundas, meritorias, & suprà modum animam repurgantes. Atque hoc pacto anima roboratur, illustratur, perficitur, & inflammatur, & cum Christo inseparabiliter unitur. DOM. Nunquid ad purificandam animam solus sufficit Amor CHRISTI, nisi etiam tristissimus iste adversitatum fornax associetur? RÆM. Non utique. Anima enim humana cùm habeat liberum arbitrium, non cogitur ire ad Christum, nec à suis abscedere voluptatibus, nisi ipsa velit. At quoniam delectationes animam ligant cum sua carne, ideò ipsa tribulatio jam omninò necessaria est, quæ instar mallei percutientis animam cogat ad Christi amorem properare, atque inhærere. DOM. Inventi sunt aliquando nonnulli innocentes atque optimi viri, qui magnis sunt adversitatibus examinati, nunquid istis fuit tribulatio necessaria, cùm nihil haberent, quod purgaretur? RÆM. Difficilimum est aliquem tam innocentem producere in medium, qui omninô nihil in se habeat quod emundetur, cùm in multis delinquerimus omnes. Sed esto: Est tamen semper tribulatio necessaria, & ad purgandos vitiosos affectus, ut in pœnitentibus, & ad tenaciùs animam Christo glutinandam, & ferventiùs uniendam, ut in inocentibus.

bus. Hoc igitur, firmissimè observa, quòd sicut Sacramenta sunt animæ necessaria ad salutem, ita & tribulationes sunt necessariæ instar fornacis cum suis follibus, ut aurum examinetur, purgetur, illustretur. DOM. Libens assentior sermonibus veritatis. Sed dicito mihi, cùm multi hinc exeant noviter pœnitentes, de quibus certum est, quòd nondum ad purum excoxerint scoriam peccatorum, nec ad liquidum scelerum suorum reliquias purgaverint: Quid rogo de istis in alia vita futurum reris? Nunquid damnabuntur? Sed sunt pœnitentes. Nunquid ad gloriam transferentur? Sed adhuc sunt in reliquiis & fæcibus suorum scelerum profluentes? Ecce hæc quæstio tua cogit nos omninò post hanc vitam locum ponere Purgatorium. Cùm enim culpæ debeatur plena punitio, hoc quippe exigit divina justitia, ideò omnis anima, quæ non est in hac vita sufficienter punita, antequam transeat in consortium Dei, & illam serenissimam omnipotentis faciem possit aspicere, necesse habet in alia vita puniri, tribulari, atque ita purgari. Verùm quia divina justitia est in summo gradu justissima, & severissima, & malorum districtissima persecutrix, ideò mala, quæ per semetipsum Deus punit post hanc vitam, tanta animadversione pœnarum persequitur, ut nulla mens id possit aliquatenùs cogitare. Idcircò illa anima quæ sufficienter non purgatur in curia misericordiæ dum hinc exit, cadens in manum justitiæ, amarissima experietur tormenta, omnibus

hujus mundi acerbitatibus graviora. Et quantò profundiùs transeuntium rerum delectationes in animæ medullas penetraverint, tantò profundiùs ad intima tormenta illa descendent. Quod enim tenaciùs concretum est, acriori eget confricatione. At quoniam omnis purgatio fit per suum contrarium, ideò sicut anima est in blandis voluptatibus inquinata, ita acerbissimis ignibus expurgabitur, non tamen sine amore Dei in anima existente, sine quo nulla tribulatio esse potest salutifera. DOM. O! quantô satiùs, quantò faciliùs esset homini in hac vita sua delicta mundare, quàm illis intolerabilibus suppliciis infeliciter reservari, ubi est & cruciatus amarior, & pœna productior. Sed nos cæci, vecordésque virtutem Pœnitentiæ vitæ hujus dissimulantes, aut nescientes, eam usque in aliam vitam, non sine maximo dispendio nostro, differimus.

Alia quædam, quæ possunt inducere hominem lapsum ad pœnitentiam.

CAPUT LXXVIII.

RÆMUNDUS.


VErùm tu dicis, omnes ad Pœnitentiam segnes sumus, eò quòd ignoremus magnitudinem virtutis ejus. Unde si non tibi videtur importunum, introducam breviter aliqua incitamenta, quæ hominem dirigant ad pœniten-

tentiam. DOM. Quæso, ut id ocyùs feceris. RÆM. Primum, quod hominem provocat ad pœnitentiam est, quòd ipsa Pœnitentia suprà modum placet altissimo Deo. Nam cùm Deus nihil aliud detestatur, quàm ipsam peccati malitiam, eò quòd superba cervice contra Deum rebellem se erigit, idcircò is summè venit in gratiam Dei, qui toto corde, ore, atque opere peccatum impugnat, confundit, destruit, explodit. Atque ideò Pœnitentia Spiritûs contribulati est acceptissimum Sacrificium Deo, & suave fragrans in conspectu ejus. Secundum: Per Pœnitentiam homo non solùm placet Deo, sed etiam universis amicis Dei: Quia gaudium fit Angelis Dei super uno peccatore Pœnitentiam agente. Tertium: homo per Pœnitentiam, qui erat penitùs destructus, & perditus, & æterna morte peremptus, reparatur, vivificatur, salvatur, & se suo cum gaudio restituit Creatori, in eum finem dirigendum, ad quem conditus & redemptus fuerat. Quartum, Per Pœnitentiam homo pertingit ad visionem Summi Dei, æterni Dei. Pœnitentia enim est præcipuum atque optimum, quo Cor hominis mundatur, quod solum potest videre Deum. Ideò beati mundo corde, ipsi enim Deum videbunt. Quintum: Maximè inducere nos debet ad Pœnitentiam oculus divinæ circumspectionis, quæ omnia secreta hominis intuetur. Debet igitur summoperè pertimescere, ne teneat in corde suo inimicum Dei, ne ipsum hospitet, nutriat, diligat, defendat. Quis

hominum in Regno Hiſpaniæ auderet hoſpitio recipere & enutrire capitalem Adverſarium Regis ipſo præſente, vidente, contradicente? Quis auderet ingredi domum Regis, & portare atque obiicere oculis ejus imaginem depictam inimici ſui? Quis rursùm tam ingratus auderet vivere de menſa regis & ipſo ſciente alere inde hoſtem ſuum? Permiteſcat igitur homo Peccator, ne ſi Deo vidente hoſtem ſuum hoſpitio cordis receperit, ultionem experiatur amaram, & cum ipſo hoſte in abyſſum rotetur inferni. DOMIN. Quis non miretur indulgentem Dei clementiam, qui videt nos quotidie ſuos hoſtes hoſpitio recipere, amare, nutrire, defendere, & tamen dulcis Miſerator parcit nobis, & inſuper nos fovet, defendit, protegit. Nos ſuis favemus inimicis, & diabolo ſuaſori pertinaciter inhæremus, ipſe nos expectat, provocat, & ad veniam clementer invitat. RÆM. Sextum: Ad Pœnitentiam nos invitat juſtiſſima, & acerbiſſima Peccatorum punitio, quidquid aut corde, aut voce, aut opere peccavimus, neceſſè eſt ante Dei hominis tribunal examinari, examinatum verò diſtrictiſſimè puniri. Septimum: Ad Pœnitentiam nos provocat certitudo mortis, & horæ mortis incertitudo. Ideò homo Peccator multò eſt omni amenti ac furioſo dementior, qui in tanta ambiguitate, & incertitudine labilis vitæ audet ad unam horam in ſuis ſceleribus permanere, exponens ſe infelix æternæ mortis periculo. Octavum: Ad pœnitentiam nos impellit pretioſa mors Christi,

&

& roseus Sanguis ejus, qui in remedium Peccatorum effusus est. Hæc mors, hic Sanguis, illi non proderunt ingrato, qui Pœnitentiam agere contempserit, qui clamantem Christi Sanguinem, & ad gratiam invitantem, surda aure transierit, cui æterna damnatio verissimè manet, & supplicium sempiternum. DOM. Stupendum profectò est, quomodò possit homo ultra suum diligere peccatum, pro quo Deus & mortem pertulit, & Sanguinem fudit? Quomodo potest seipsum perferre malum, qui nullas extra se res vult habere corruptas, non domum, non vestem, non uxorem? Quid tam morte dignum, quàm animam æternò victuram contemnere, & res citò perituras amare, terrena sectari, & cœlestia negligere, extra se omnem operam impendere, & ad seipsum non semel introrsùm advertere, pulchrè omnia foris disponere, & internum decorem pro nihilo habere, aliarum rerum damna reformare, & proprios defectus inemendatos dimittere, ab aliis justitiæ debitum exigere, & nullam sibi ipsi justitiam prærogare, à nemine noceri velle, & seipsum continuè jugulare, alias res omnes velle cognoscere, & seipsum nolle respicere. Sed comprimo zelum meum, tu verò ad alia quæ restant Sacramenta progredere.



De quinto Sacramento, quod est Extrema Unctio, per quam datur homini benè esse, & gratia.

CAPUT LXXIIX.

RÆMUNDUS.

POst Sacramentum Pœnitentiæ, de quo nunc satis diffusè locuti sumus, sequitur Extremæ Unctionis Sacramentum, per quod homo recipit bene esse, quia disponitur, & præparatur ad Sanctam Sanitatem, & vigorem spiritualem. Curat enim hæc Unctio omnem languorem, & morbum animæ, & reliquias omnes eliminat, & nonnunqnàm etiam corporis ægritudines sanat. DOM. Sed quare vocitatur hoc Sacramentum Unctio extrema? RÆM. Quia extremo vitæ tempore homini infirmanti, & mori incipienti tribuitur. Ex quo enim necesse est hominem hinc exire, & ad æternam requiem, quam per pœnitentiam meruit, proficisci, & quia anima à sua carne gravatur, trahitur, inficitur, maculatur, & debilitatur, ideò indiget novo vigore, ut in tam gravi agone mortis non succumbat, non titubet, non desperet; sed magis in Dei Amore roboretur, & Christi desiderio copuletur. Duo quippe præcipua sunt, quæ animam impediunt, ne recto tramite pervolet ad Deum. Unum est, debilitas quædam ex peccato derelicta, aliud est, congeries multorum venialium Peccatorum quo-

quotidiè exaggerata. Propter hæc duo mala removenda datur Extrema hæc Unctio, per quam animæ debilitas roboratur, & peccatum omne veniale diluitur, ita tamen, si devotè illam Unctionem homo receperit, & mentem suam ad Deum converterit. DOM. Nunc, quæso, paucis ostendito, quid hæc visibilis Unctio interiùs operetur. RÆM. Sicut exteriùs vides quandam fieri medicationem cum Oleo in ægrotantis corpore, ita significatur, quòd introrsùm anima per Dei gratiam curatur, & ut ad cœlum vel ocyùs evolet roboratur. Prætereà, ex quo mors ingressa est per fenestras nostras, ideò fit Unctio in septem corporis partibus. Unguntur enim oculi, aures, nares, manus, pedes, labia, & renes, ut significetur ipsam animam hoc Sacramento disponi ad plenitudinem sanitatis, deletis peccatis omnibus, quæ his septem corporis partibus committuntur. Prætereà sicut Oleum non mixtum nitidum est, & serenum, ita hæc Unctio quæ fit simplici Oleo conscientiam hominis mundam facit, & Dei gratiâ refulgentem. Verùm, quia per hoc Sacramentum fit curatio venialium peccatorum, ideò non datur parvulis, qui ignorant peccatum. Et quia in hoc Sacramento requiritur devotio sursùm levans, ideò non debet dari, nisi qui devotè id postulant, mente ad superna porrecta. At quoniam datur per modum curationis, ideò non tribuitur nisi multùm infirmantibus, ut exterior quasi medicatio interiorem animæ medelam significat. DOM. Cùm

per hujusmodi Unctionem corporalis infirmitas rarò adjuvetur, quare hoc tali ſigno, quod falſum videtur, res veriſſima monſtratur? RÆM. Licèt tali Unctione morbus corporeus non ſanetur, non tamen propterea ſignum eſt falſum, quia non datur ad corpoream curationem, ſed ut ſit ſignum, quòd ſicut Oleo corpus ægrotum perungitur, ita ægra intùs anima Spiritus Sancti Chryſmate irroratur, per quod ipſa roboratur, vegetatur, alleviatur, tranquillatur, lætificatur, & ut moribundi corporis moleſtias fortiter perferat, ſolidatur. Hinc nunc breviter animadverte, inter Confirmationem, & iſtam Unctionem pulchram differentiam. Confirmatio conficitur in Oleo & Balſamo: Unctio autem in Oleo ſolo. Illa in verbis fit indicativis, iſtis in verbis deprecativis; Oratio enim ægris neceſſaria eſt morituris, & ad Dei terribile judicium mi graturis. Prætereà illa fit ſigno facto in medio frontis, iſta in ſeptem corporis partibus, illa datur tempore ſanitatis, iſta autem tempore malæ valetudinis, illa & adultis datur, & parvulis, iſta ſolùm datur adultis. DOM. Brevi admodùm ſermone ſufficienter hujus ſacramenti virtutem atque neceſſariam utilitatem explicâſti, ut meritò omnis, qui in mortem urgetur, illud debeat toto corde devotus expoſcere, recipere, complecti, quo reliquiæ levantur, venialia dimittuntur, anima roboratur, & ad ingreſſum Regni cœleſtis coaptatur.

De

Sextum Sacramentum eſt Ordo, per quod character imprimitur ſpiritualis poteſtatis, Sacramenta ſalutis miniſtrandi.

CAPUT LXXX.

RÆMUNDUS.

SIcut jam ſatis animadvertiſti, quòd iſta Sacramenta, quæ nunc tractavimus, ſunt homini lapſo neceſſaria, ita neceſſarium eſt, aliquos eſſe homines, qui hæc poſſint Sacramenta conficere, & miniſtrare. Verùm, quia hæc Sacramenta ſunt Chriſti, & nullus propria authoritate poteſt res alienas diſpenſare, ideò neceſsè eſt, ut Chriſtus ordinet viros aliquos, qui ſua poſſint Sacramenta hominibus in commune diſtribuere. Eſt igitur neceſſaria poteſtas in terris diſpenſandorum Sacramentorum, Chriſto Domino id largiente, id ordinante. DOM. Hinc ergò duo eſſe neceſſaria hominibus ad ſalutem intelligo: Primum eſt, ipſa gratia, per quam regenerantur, & perficiuntur. Secundum eſt, hujus gratiæ per Sacramenta miniſtrandi Officium. Et in his duobus totum conſiſtit humanæ ſalutis complementum. Sicut enim ad generationem hominis concurrunt Deus Creator, & homo genitor, (hic nempe carnem adminiſtrat, & Deus animam) ita in hominis generatione per Sacramenta, quæ res ſunt viſibiles, concurrunt etiam Deus, & homo, nam homo adminiſtrat corporalem Sacra-

cramentorum ſubſtantiam, & Deus invisibilem gratiam. Sacramentum enim tenet modum corporis, & gratia eſt ſicut inviſibilis anima. Et ſicut naturali generatione pater homo corpus tribuit, ſed animam donare non poteſt, ita poteſtas miniſtrandi res Sacramentorum viſibiles dari potuit hominibus, ſed poteſtas gratiam creandi, ſeu conferendi, penès ſolum reſidet Salvatorem. Sed quare hoc Sacramentum (de quo nunc agimus) vocatur Ordinis Sacramentum? RÆM. In iſto Sacramento quædam grandis authoritas, & honoris poteſtas aliquibus viris tribuitur, quâ ſuprà cæteros homines altiùs elevantur, & quibusdam gradibus attolluntur. Ubi autem eſt unus altero Supetior, illic Ordo ſit neceſsè eſt, qui inter Chriſtianos unum attollit ſuprà alterum. Sicut enim omnia membra humani corporis in hoc conveniunt, quòd vivunt, quòd calent, quôd nutriuntur, quòd moventur, longè tamen differunt penès officia ſingulis diſtributa, ita omnes Chriſti fideles in fide, ſpe, & charitate concurrunt, ſed dignitatis poteſtas unum elevat ſupra alium. Et ideò Chriſtianàm gentem in duos neceſſariò populos ſubdividimus, unus ſunt Laici, & unus Clerici. At quoniam Clerus diſtributione Sacramentorum Chriſto proximè appropinquat, ideò eſt Laicis dignior, ſublimior, nobilior. DOM. Intelligo Ordinem, cupio nôſſe, quare hîc Ordo datur per modum Sacramenti, & an hoc Sacramentum recipienti gratiam largiatur? RÆM. Ex quo Sacramentorum Miniſtri

ſtri dicuntur ab aliis ſeparari, & attolli, ideò neceſſarium eſt, ut hoc fiat per aliqua ſigna manifeſta. Nam ſicut Chriſtianus, dum ſeparatur per Baptismum à non Chriſtiano, recipit characterem in anima indelebilem, ita dum homo Chriſtianus accipit tam grandem poteſtatem ſuprà cæteros, ut poſſit Sacramenta conficere, & conferre, imprimitur ei character immortalis per aliqua ſigna manifeſta, atque ideò oportuit, ut talis poteſtas per motum largiatur Sacramenti. DOM. Sed nunquid iſte character impreſſus, dum Ordo confertur, gratia dici debet? RÆM. Licet iſte character ſit res inviſibilis animæ impreſſus, non tamen eſt gratia, ſed eſt quædam ſpiritualis Poteſtas à Chriſto collata, quæ in æternùm deleri non poteſt. Nam quia alii Chriſtiani aſſimilantur Chriſto per gratiam, ideò oportet ut ultra hanc gratiam, quam & iſti in aliis Sacramentis recipiunt, aliud quiddam ipſis in anima imprimatur, per quod ſuprà alios eleventur, & Chriſto propinquis comparentur. Idcircò quamvis hujusmodi homo perdat gratiam ſibi collatam, non tamen ideò perdit hanc inviſibilem poteſtatem, quæ illi ut character indelebilis perſeverat. DOM. Sed quomodò probas, rogo, quòd iſta poteſtas non poſſit amitti? RÆM. Iſta poteſtas miniſtrandi Sacramenta non datur his, quibus datur, propter ſeipſos, ſed propter alios, quibus neceſsè eſt ex Sacramentis accipere gratiam, ideò oportet, ut etſi hi Miniſtri ſuam gratiam peccando perdant, non perdant tamen indelebilem

Præ-

potestatem. Præterea si Clericus posset, suam amittere potestatem, damna maxima Christiano populo provenirent, quorum omnis tunc salus, vel perditio ad bonitatem, vel malitiam penderet Sacramenra donantis, essetque nimis infeliciter nostræ provisum sanitati. Præterea, Ordo Sacerdotalis, qui est inter omnes principalior, magnam habet cum libero arbitrio concordiam: Nam sicut liberum arbitrium est immortale, ita & Sacerdotium, & sicut liberum arbitrium, etiam si fuerit corruptum, est tamen naturaliter præ cæteris creaturis Deo proximum, ita & Sacerdos, quamvis sit vitiosus, & sceleribus plenus, in potestate, tamen, qua fungitur semper permanet Christo propinquus. Nam ex quo Sacerdos nihil gratiæ in anima tribuit, licet foris species visibiles administret, ideò sua vel bonitas vel malitia nihil efficit ad Sacramenti virtutem, ita, tamen dum faciat, sicut fieri Christus instituit. Quemadmodum enim homo æquè generat, sive sit bonus, sive sit malus, & Deus æqualiter animam donat, ita bonitas, & malitia Sacerdotis nihil impedit, quin Deus optimus semper det gratiam Sacramentis. Hinc etiam patet, quòd homo aliquis Christianus à sua gratia relapsus, potest nihilominùs recipere Ordinis Sacramentum, quia non prærequirit bonitatem personæ, sed solùm sufficit, quòd sit Christianus. DOM. Quantùm ego considero, potestas, quæ in Sacramento Ordinis confertur, sicut hominis gratiam non exigit, ita etiam neminem meliorem reddit. Puto tamen quòd hujus-

jusmodi Minister sicut cæteros antecedit altissima potestate, ita etiam debet magna Sanctitate præcedere, quia aliàs tam magnifica Sacramenta non poterunt ab eo dignè Ministrari. RÆM. Rectè arbitraris. Qui enim res Sacrosanctas administrat, tenetur ipse & Sanctus, & bonus haberi, alioquin in suam perniciem, & perditionem elaborat. Quantùm tamen attinet ad Sacramenti virtutem, nihil officit aliis, si malus & indignus fuerit. Hoc tamen verum est, quod si is, qui Ordines recipit, fuerit in gratia, copiosius illi gratia cumulatur, si malus fuerit, in suam quidem perniciem consecratur, sed tamen permanet consecratus, & non magis præjudicat Sacramentis, quàm malus Apothecarius optimis à se conditis medicinis. DOM. Hinc luce clariùs apparet, quòd is, qui vult recipere Christi gratiam in Sacramentis, non debet ministrantis malitiam cogitare, cùm nullam tribuat Sacramentis virtutem, non magis, quàm Apothecarius qui medicinam conficit, qui tamen non dat herbis virtutem, neque radicibus.

Sacramentum Ordinis principaliter respicit, & ordinatur ad Sacramentum Eucharistiæ.

CAPUT LXXXI.

RÆMUNDUS.

NUnc superest, ut breviter dicamus hujus Sacramenti respectum. Cùm enim certissimè

mè constet, quòd Sacramentum Eucharistiæ sit summum, & maximum omnium Sacramentorum, eò quòd ibi contineatur totus Christus Deus & homo, ideò Sacramentum Ordinis è directo, & præcipuè respicit potestatem, quæ datur suprà Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, & propter hoc & principaliter institutum. Et quia hujus potestatis gradus est ultimus, ideò necessè est ascensum ad hunc fieri per alios gradus, hoc est potestates aliàs inferiores, donec perveniatur ad summum. Tinctor enim antequàm ponat in panno crudo ultimum colorem, ac nobilissimum, primum inserit alios colores minùs nobiles, qui viam faciant ad colorem ultimum. Et ideò ad Sacerdotium sex gradibus ordinatis fit sensim ascensus. Primus gradus est potestas Ostiarii, secundus Lectoris, tertius Exorcistæ, quartus Accoliti, quintus Subdiaconi, sextus est Diaconi, ultimus Sacerdotis. Et quia tales personæ ab aliis distinguuntur & elevantur, ideò oportet, quòd sit quædam differentia visibiliter, & ideò ante omnia Tonsura præcedit, per quam tanquam in signo à Laicis separantur. Verùm quia Sacerdotium (ut jam diximus) libero arbitrio comparatur, ideò sicut liberum arbitrium est Deo proximum per naturalem virtutem, ita Sacerdos est Sacramento Eucharistiæ maximè propinquus per potestatem Sacerdotalem. Item sicut omnes creaturæ per liberum arbitrium ad Deum copulantur, ita omnes inferiores gradus per Sacerdotium Sacræ Eucharistiæ conjunguntur. Et sicut homo continet in se omnes creatu-

ras,

ras, ita & Sacerdos præter sex gradus, omnes etiam Christianos. Item sicut potestas liberi arbitrii est suprà alias potestates naturales, ita natura Sacerdotalis gloriæ omnes superat virtutes spirituales. Item sicut per primum hominem Deus multiplicavit alios homines, ita per primum Sacerdotem Christum alios multiplicavit Sacerdotes. DOM. Sed nunquid propter solam Eucharistiam est Sacerdotis potestas instituta? RÆM. Non, sed tamen (ut dixi) principaliter propter eam. Huic autem potestati judiciaria potestas, quæ in Sacramento Pœnitentiæ necessaria est, copulatur, quia nemo potest dignè sumere Eucharistiæ Sacramentum, nisi priùs à peccato solvatur. Et sic Sacerdos secundariò recipit potestatem judicandi & absolvendi, quæ potestas Clavis vocatur, eò quòd intromittat homines ad Christi Corporis Sacramentum, ad Christianorum consortium, & ad Regnum Cœlorum. DOM. Placet quod dicis, sed est aliud quiddam, quod me permovet. Cùm nullus Christianus possit sibi ipsi dare potestatem suprà Sacramentum Corporis Christi, ideò videtur oportere eam ab alio quodam Superiore recipere, & quia non est procedere in infinitum, idcircò oportet sistere in aliquo maximo Sacerdote, suprà quem nemo sit. RÆM. Dixi paulò antè, omnia Sacramenta profluere à Christo maximo Sacerdote. Verùm, quia oportuit illum ascendere in cœlum, ideò per seipsum aliquos magnos constituit Sacerdotes, quibus potestatem contulit alios Episcopos & Presbyteros ordi-

nandi, & unum præ cæteris loco ſui Vicarium conſtituit, qui haberet præeminentiam longè ſuprà alios, in quo tanquam in uno capite omnes Chriſtiani fideliter unirentur. Hic eſt Petrus Apoſtolus, & omnes Summi Pontifices ſui ſequaces, qui gerit Perſonam Chriſti, qui habet univerſalem poteſtatem illimitatam & Sacramentum Ordinis conferendi, & omnia peccata Pœnitentium Chriſtianorum, & omnia ſcelera judicandi, abſolvendi, & donandi. DOM. Egiſti ſatis Quæſtiunculæ meæ. Verùm, quia paulò antè in Laicos & Clericos Chriſtianorum populum partitus es, ideò cogor æſtimare inter Laicos etiam inveniri aliquam Ordinis poteſtatem, per quam unus ſuprà alterum elevetur, ſicut nunc in Clero demonſtrâſti. Videmus enim ſuprà Opifices & Mercatores elevari civilium cauſarum Judices, tum Milites, tum Barones, tum Comites, deinde Duces, & Reges, donec venias ad Imperatorem, qui caput eſt omnium.

De ſeptimo Sacramento, quod eſt Matrimonium, per quod datur benè eſſe, & gratia, & remedium contra peccatum.

CAPUT LXXXII.

RÆMUNDUS.

SI cupis Ordinem poteſtatis Laicalis pleniùs agnoſcere, lege librum meum, unde iſte transſumptus eſt, nos ad finem properantes neceſſariis tantùm hîc intendimus immorari. Pauca igi-

igitur nunc de Sacramento Matrimonii loquamur. Cùm Dominus Deus primum hominem in Paradyso posuisset, continuò fœminam de sua carne formatam illi in Matrimonium copulavit, ut per hanc conjunctionem visibilem alia copula invisibiliter, quæ est hominis cum Deo, & in qua salus hominis consistit, monstraretur. Propter duas itaque rationes Deus hoc sancivit Matrimonium: Una, ut esset generandis, multiplicandísque hominibus aptissimum instrumentum. Altera, ut esset conjunctionis inter Deum & hominem visibile signum. Verùm, ut ista posterior copula hominis cum Deo perfectiùs ab homine notaretur, ideò à Principio fecit Deus mirabiles conjunctiones, unam, quâ sociavit animam cum carne, & ista est naturalis, & aliam, quâ conjunxit virum cum muliere, & ista est voluntaria & Sacramentalis. Ista prima conjunctio est signum, & ideò est secunda nobilior primâ. Nam sicut anima est dignior sua carne, ita vir sua muliere. Item sicut una anima unam tantùm habet carnem, ita unus vir unam tantùm mulierem. Itèm sicut anima non potest à sua carne nisi morte interveniente separari, ita vir & mulier nisi per mortem non dividuntur. DOM. Quantùm ego animadverto, sicut prima conjunctio est præcipuè signum secundæ, ita ista secunda est signum tertiæ, quæ est conjunctio animæ, seu humanæ naturæ cum Creatore, quæ est omnium maxima & præstantissima, sine qua incassùm cæteræ æstimantur. Nam sicut caro per animam, & fœmina per virum

rum ſublimantur, vivificantur, nobilitantur, ita humana natura attollitur, & vehementiſſimè dignificatur per copulam fœderis, quâ Creatori conjungitur. RÆM. Sicut ergò duæ ſunt conjunctiones viſibiles, una animæ cum carne, & altera viri cum muliere, ita duas nunc quæſo copulas ſpiritales intellige, quibus humana natura poteſt cum Deo ſociari. Una eſt inſtar animæ cum carne, & fit per unionem perſonalem, quâ Deus & homo in Chriſto conveniunt in Unitate perſonæ. Alia eſt inſtar viri cum muliere, & fit per voluntariam pronámque dilectionem, quâ etiam Sponſa ſuo Sponſo Salvatori ſtrictis amplexibus copulatur, Et ſicut de complexu maris & fœminæ naſcuntur filii naturales, ita ex copula Chriſti cum Eccleſia filii generantur quotidiè ſpiritales, & ſicut mulier eſt formata de viro, ita Eccleſia de Chriſto. Et ſicut vir & mulier habent in natura conformitatem, ita Chriſtus Eccleſiæ conformatur per ſuam Humanitatem. Et ſicut inter virum & mulierem eſt ſumma dilectio, & ſunt cor unum, & anima una, ita Eccleſia Chriſtum, & Chriſtus amat Eccleſiam, & tradidit pro ea in mortem animam ſuam. Prætereà ſicut Sponſus ornat & decorat Sponſam ſuam, ita & Chriſtus ſpiritualibus monilibus intùs decorat Eccleſiam. Et ſicut Sponſus Sponſam ſuam, ne laſciviat, caſtigat, ita & Chriſtus Eccleſiam, & ut omnia in unum conferam, ſicut ſe habet bonus Sponſus ad ſuam Sponſam, ita Chriſtus ad ſuam ſe gerit Eccleſiam. DOM. Pulchra utriúsque ad invicem

vicem Matrimonii comparatio. Sed quâ ratione obſecro Sacramentum Matrimonii inter alia novi Teſtamenti Sacramenta numeratur, cum ipſum antiquum ſit, & non novum? RÆM. Sacramentum Matrimonii ſicut à Principio fuit inſtitutum ad ſignificandam primam conjunctionem ſpiritualem, quæ fuit inter naturam humanam & Creatorem, ita jam de novo debuit inſtitui, ad ſignificandam novam copulam, quæ eſt inter redemptam Eccleſiam & Salvatorem. Eſt igitur Matrimonium & antiquum & novum, ſed diverſis reſpectibus, & ideò meritò poteſt cum cæteris Sacramentis æſtimari. DOM. Quoniam igitur Matrimonium eſt novæ gratiæ Sacramentum & omne Sacramentum certam dat gratiam, & ſpeciale aliquod, quô homo indiget, adjutorium, rogo te, ut dicas mihi, quodnam eſt illud adjutorium gratiæ, quod in hoc Sacramento Chriſtus Dominus elargitur? RÆM. Sicut ipſe nôſti, Matrimonio datur homini facultas ex divina inſtitutione, ut utatur ſua conjuge ad ſobolis procreationem, & ex conſequenti datur etiam illic gratia, cum qua illud convenienter fieri poſſit. Qui enim recta intentione, & ad prolium generationem Sacramentum recipiunt Matrimonii, hujusmodi etiam gratiam promerentur contra concupiſcentiam carnalem, quâ anima ſublevatur à corruptione, & nimio libidinis ardore, ut ſit ibi copula ſingularis, copula utilis, & copula inſeparabilis. Ex copula ſingulari naſcitur fides, quâ utérque conjugum invicem obligantur.

tur. Ex copula utili ſequitur bonum prôlis, ad quod Matrimonium eſt inſtitutum. Et ex copula inſeparabili oritur bonum Sacramenti, quia eſt Sacramentum Spîritualis conjunctionis ſuprà memoratæ. Et ſic tria bona generantur ex Matrimonio, ſcilicet fides, proles, & Sacramentum. Hæc tria bona excuſant, imò honeſtant ipſam copulam carnalem, & ipſam copulæ concupiſcentiam, ut actus ille, aliàs turpiſſimus, honeſtus ſit, & meritorius. DOM. Magna certè & admirabilis hujus Sacramenti gratia. RÆM. Audi & aliam: Tres ſunt in homine inordinationes concupiſcentiæ perverſæ. Prima eſt, quòd homo luxurioſus ſæpè multas appetit mulieres, ſed per gratiam Matrimonii iſte appetitus reſtringitur, ut ſit unica conſorte ſua contentus, Secunda inordinatio, quod homo luxurioſus magìs quærit in coitu ſuæ ſatisfacere concupiſcentiæ, quàm prolem aliquam procreare, ſed in Matrimonio gratiam recipit. ut magis cognoſcat uxorem gratiâ ſobolis, quàm libidinis. Tertia poſt completam libidinem ſolet naſci nauſea, & faſtidium ejus mulieris, quam cognovit, ac tum illum reſpuit, & quærit aliam, ſed in Matrimonio datur gratia, & adjutorium, ut nullam cupiat extrà conſortem ſuam, velitque ſemper cum ea inſeparabiliter permanere. DOM. O! immenſam clementiam Domini Salvatoris, qui tali Sacramento noſtris concupiſcentiis benignè providit. Sicut enim ipſe novit, carnem nos lubricam gerere & ſordibus plenam, ideò inſtituit miſe-

rans,

rans, ut illicita desideria licitis Matrimoniis restringantur. Sed nunc paucis ostende, quomodò Matrimonium sit Sacramentum, & quod illic est visibile, quod invisibile? RÆM. Istud Sacramentum instar se habet Sacramenti Pœnitentiæ, in quo non est res aliqua corporalis. Verba itaque à viro & muliere prolata, per quæ interior amborum consensus exprimitur, sunt illud totum, quod primùm apparet in Matrimonio, & interior ipse consensus est id, quod in Matrimonio significatur. Et indè causatur vinculum obligatorium inter virum & mulierem invisibile, spirituale, quod nunquam dissolvi potest, divina ordinatione id disponente. Sunt igitur tria istic per ordinem, scilicet verba exteriora, interior utriúsque consensus, & ipsum insolubile vinculum, & hoc vinculum est Sacramentum, quia conjunctionem inter Deum & animam, inter Christum Ecclesiámque significat. Virtute hujus vinculi vir transit in potestatem mulieris, & econversò, & tenentur sibi mutuò debitum reddere. Si voles hanc materiam perfectiùs nôsse, oportet te quid Jurisperiti loquantur, aspicere. Nos quod nostrum fuit sufficienter expressimus, simul & de Sacramentis ulterà disputandis finem statuimus. Unum superest, ut innumeras gratias Christo Domini humili corde dicamus, qui hisce pretiosissimis Sacramentis nos lapsos erexit, Deo sibíque reconciliavit, de potestate tenebrarum eripuit, gratiam nobis & benè esse contulit, æternam gloriam repromisit, ut de benè esse gratiæ ad esse

optimum gloriæ transeamus. DOM. Ecce hoc postremum quod de Optimo esse gloriæ tetigisti, hactenùs mihi animum suspensum tenuit, cupiens vehementer agnoscere, quomodò esse optimum Christus Miserator largiturus sit. Hoc enim complet & consummat totum hominem. Tu ergò pro tua humanitate aliquid de hoc ocyùs edissere.

De Judicio Universali.

CAPUT LXXXIII.

RÆMUNDUS.

FAcerem etiam, etsi minimè rogares. Non enim oportet hominem, de quo hactenùs semper loquuti sumus, dimittere in consummatum. Egimus de hominis creatione, egimus de sua reparatione, nunc agendum est de finali ejus retributione. Tripliciter enim operatur Deus circa hominem, scilicet ipsum creando, reformando, & juxta quod operatus est æquissimè judicando. Cum itàque sit homo opus Dei vivum, nobile, magnificum, & præ cæteris creaturis suo Conditori simillimum, ideò non debet in consummatus imperfectúsque manere. Verùm, quia non potest ultimum consequi finem, nisi priùs opera ejus examinentur, & judicentur, ut juxta qualitatem sui operis ultimæ retributionis præmium sortiatur, sive in æternam pœnam, sive in gloriam sempiternam, Idcircò nunc necesse est de hoc ultimo, & generali Judicio pauca dicere, &

& an etiam futurum ſic certis rationibus naturalibus demonſtrare. DOM. Ita fac obſecro, ego aures cordis diligenter admoveo. RÆM. Judicium univerſale futurum poteſt ex ipſius hominis natura probari. Nam cùm homo habet à Deo liberam voluntatem, & eſt operum ſuorum Dominus, ideò opera ejus ratione arbitrii ſunt meritoria, & ideò etiam judicabilia, ut recipiant judicante Deo vel pœnam, vel gloriam. Juſtiſſimum certè eſt, ut qui aliquid libera operatione promeruit, id à Deo in integrum recipiat, ut detur ei poſt laborem ſua merces. DOM. Si homo debet mercedem ſui operis à Deo recipere, ideò manifeſtè conſequens eſt, judicium venturum, quo examinetur, & judicetur, quid promeruerit. RÆM. Idem probamus ratione debiti. Bonis enim operibus debetur laus, favor, & honor, malis verò è diverſo vituperium, ignominia, & opprobrium. Hinc etiam oportet, quod opera bona, quæ propter Deum ſunt facta, tantam recipiant à Deo laudem, & gloriam, quæ non poſſit amplior æſtimari, & opera iniqua in injuriam Dei perpetrata, tam grandem execrationem confuſionémque ſortiantur, quâ nequeat grandior poſſe donari. Ut igitur hæc in ſummo fiant, neceſſè eſt univerſale judicium proferri in conſpectu omnium hominum, & Angelorum, qui norûnt inter bonum malúmque diſcernere, quo juſta opera ab omnibus approbentur, laudentur, & publicè honorentur, quæ verò reproba ſunt, cum ſumma omnium exe-

cratione explodantur, exſibilentur, confundantur. DOM. Ut iſtud fiat, dicis, neceſsè eſt omnium illic corda conſcientiáſque palàm cunctorum oculis pateſcere, ut boni communem mereantur accipere laudem, & mali publicam confuſionem. RÆM. Verùm tu dicis, libri enim, id eſt, conſcientiæ aperientur, & mortui judicabunt ex his, quæ ſcripta fuerint in libris. Tertiò probamus judicium futurum ex conditione operum malorum. Nam opera iniqua ſuppliciis puniri debent, & ignominiis. Non enim ſola pœna debetur peccatis, ſed etiam aperta confuſio, cùm plerúmque homines magìs timeant confundi, quam torqueri. Ea nàmque eſt omnium ſcelerum & malorum operum conditio, ut celari velint ſemper, & abſcondi. Quia igitur nemo malignus vult ſecretam fraudis ſuæ nequitiam agnoſci, ideò ut peccata omnia, quæ nunc ſunt occulta, extremâ, & publicâ retributione feriantur, neceſſè eſt univerſale apparere judicium, in quo omnia malorum furta, fraudes, artes, ingenia tanta claritate cunctorum oculis parebunt, ut ſole clariùs videantur. DOM. Heu! quàm inſani ſunt, quàm verè vecordes, qui nunc ſua ſcelera uni homini in Confeſſione aperire refugiunt, quæ in illo tremendo judicio tam lucida demonſtratione confuſibiliter expandentur. Quantò ſatiùs eſt nunc ea clam prodendo occulere, quàm ea poſtmodùm cum ſummo ruhore palàm oſtendere, & oſtendendo perire. RÆM. Iſtud certè promerentur, qui hîc nolunt ulla.

ullatenùs de peccato confundi, propriam laudem, gloriámque quærentes, quibus æterna caligo, & confusio reservatur. Quartò, probamus judicium futurum ex gaudii, tristitiæque natura. Necessè est enim, ut justus de sua justitia tam magnificè gaudeat, ut perfectiùs gaudere non possit, & impius de sua nequitia tam grandem habeat tristitiam, ut eâ non possit major haberi. Ut autem isthuc sic fiat, necessè est, universale Judicium promulgari, in quo boni ab omnibus laudati summum gaudium, & reprobi ab omnibus vituperati æternam tristitiam mereantur. Quintò, non sunt nisi duo judicabilia, scilicet opera mala, & opera bona, & quia contraria juxtâ se posita magis ipsa clarescunt, ideò est futurum generale judicium, in quo omnia opera bona comparatione malorum gloriosissimè illustrabuntur, & mala opera comparatione bonorum extrema confusione sordidentur. DOM. Terribile est, quod loqueris, & quod pravorum hominum possit animos permovere. Sed nunquid hæc extrema omnium operum retributio in sola hominis anima fieri debet, an etiam simul & in carne?

Generale Judicium omnium corporum mortuorum universalem præquirit resurrectionem.

CAPUT LXXXIV.

RÆMUNDUS.

DIximus præcedenti capitulo. quòd generale Judicium respicit humanam naturam. Ad hu-

cratione explodantur, exſibilentur, confundantur. DOM. Ut iſtud fiat, dicis, neceſſè eſt omnium illic corda conſcientiáſque palàm cunctorum oculis pateſcere, ut boni communem mereantur accipere laudem, & mali publicam confuſionem. RÆM. Verùm tu dicis, libri enim, id eſt, conſcientiæ aperientur, & mortui judicabunt ex his, quæ ſcripta fuerint in libris. Tertiò probamus judicium futurum ex conditione operum malorum. Nam opera iniqua ſuppliciis puniri debent, & ignominiis. Non enim ſola pœna debetur peccatis, ſed etiam aperta confuſio, cùm plerúmque homines magìs timeant confundi, quam torqueri. Ea námque eſt omnium ſcelerum & malorum operum conditio, ut celari velint ſemper, & abſcondi. Quia igitur nemo malignus vult ſecretam fraudis ſuæ nequitiam agnoſci, ideò ut peccata omnia, quæ nunc ſunt occulta, extremâ, & publicâ retributione feriantur, neceſſè eſt univerſale apparere judicium, in quo omnia malorum furta, fraudes, artes, ingenia tanta claritate cunctorum oculis parebunt, ut ſole clariùs videantur. DOM. Heu! quàm inſani ſunt, quàm verè vecordes, qui nunc ſua ſcelera uni homini in Confeſſione aperire refugiunt, quæ in illo tremendo judicio tam lucida demonſtratione confuſibiliter expandentur. Quantò ſatiùs eſt nunc ea clam prodendo occulere, quàm ea poſtmodùm cum ſummo ruhore palàm oſtendere, & oſtendendo perire. RÆM. Iſtud certè promerentur, qui hîc nolunt ulla.

ullatenùs de peccato confundi, propriam laudem, gloriámque quærentes, quibus æterna caligo, & confusio reservatur. Quartò, probamus judicium futurum ex gaudii, tristitiæque natura. Necesse est enim, ut justus de sua justitia tam magnificè gaudeat, ut perfectiùs gaudere non possit, & impius de sua nequitia tam grandem habeat tristitiam, ut eâ non possit major haberi. Ut autem isthuc sic fiat, necesse est, universale Judicium promulgari, in quo boni ab omnibus laudati summum gaudium, & reprobi ab omnibus vituperati æternam tristitiam mereantur. Quintò, non sunt nisi duo judicabilia, scilicet opera mala, & opera bona, & quia contraria juxtâ se posita magìs ipsa clarescunt, ideò est futurum generale judicium, in quo omnia opera bona comparatione malorum gloriosissimè illustrabuntur, & mala opera comparatione bonorum extrema confusione sordidentur. DOM. Terribile est, quod loqueris, & quod pravorum hominum possit animos permovere. Sed nunquid hæc extrema omnium operum retributio in sola hominis anima fieri debet, an etiam simul & in carne?

Generale Judicium omnium corporum mortuorum universalem præquirit resurrectionem.

CAPUT LXXXIV.

RÆMUNDUS.

DIximus præcedenti capitulo. quòd generale Judicium respicit humanam naturam. Ad hu-

humanam autem naturam pertinet & corpus & anima: Nam ſicut eſt natura corporalis tantùm, & natura ſpiritualis tantùm, ita eſt natura corporalis, & ſpiritualis ſimul. Quia igitur hæc natura eſt judicabilis, & præmiabilis, ideò neceſsè eſt, ut in corpore, & in anima judicetur. Ut autem hoc fiat, oportet fieri corporum omnium reſurrectionem, ut ſicut anima in corpore, & cum corpore aut peccavit, aut juſtè egit, ita etiam cum corpore recipiat, quod promeruit. Et quia illud extremum Judicium eſt finalis omnium retributio; ideò fieri debet generalis omnium mortuorum reſurrectio. Una ergò inſeparabili catena colligantur & univerſale judicium, & reſuſcitatio mortuorum. Prætereà mortuorum reſurrectio eſt neceſſaria propter totius Univerſi complementum, quod ex tribus conſtituitur naturis. Quia igitur corporalis natura tantùm, & ſpiritualis tantùm permanent in æternum, ideò etiam oportet ut ex ambobus condita natura ſuſcitata in ſempiternum perſeveret. Ideò etiam pueri, qui ex proprio nihil deliquerunt, propter complementum Univerſi neceſsè eſt, quòd cum aliis reſurgant Prætereà, aut nemo, aut omnes certè reſurgent. Si ergò aliquis jam reſurrexit, argumentum eſt, quòd reſurgent & omnes. Sed Chriſtus verus homo jam à morte ſurrexit, ergò omnes reſurgent, quia reſurrectio debetur humanæ naturæ, nec eſt impoſſibile fieri, quod ſemel jam factum eſt. Sicut granum frumenti cadens in terram dum mortuum fuerit, & revi-

xe-

xerit, multiplicem fructum affert, ita Christus mortuus & suscitatus, innumerabilem corporum resurrectionem operatur. Ista autem resurrectio neque in Christo facta est virtute humana, neque in nobis fiet, sed potestate divina. DOM. Sed quali in corpore mortui resurgent? RÆM. Qui membra sunt Christi resurgent Christo simillimi, in corpore lucido, agili, impassibili, & immortali. Qui autem Christi sunt Adversarii, dissimiles valdè Christo resurgent, in corpore tenebroso, ponderoso, grosso, passibili, sed immortali, ut vivant, & urantur, & sentiant semper. Cùm enim virtus causáque resurrectionis consistit in merito, vel demerito hominis, quod semper etiam moriente homine permanet immortale. Ne ergò cassa & inania sint humana merita, & ne vacuum appareat in Universo, necesse est futura vera corporum resurrectio. DOM. Quid hîc Origenistæ dicturi sunt, qui carnis negant resurrectionem, asserentes omnem corpoream substantiam in fine mundi penitùs interire, sicut in suo Periarchon Origenes exequitur? RÆM. Origenistæ, & horum sequaces ideò decipiuntur, quia non rectis oculis opera Creatoris aspiciunt. Ideò dicunt enim resurrectionem non esse, quia putant perfidi homines de mortuis extinctísque pulveribus Deum vivas carnes suscitare non posse. DOM. Licet ego non dubitem, quin Deus id possit, tu tamen ostende quomodo possit? RÆM. Si Deus potuit innumerabiles rerum speciel simul

de

de terra producere, facile etiam poterit de ſuis pulveribus ea, quæ priùs fuerunt corpora ſuſcitare. Sicut enim Dei Juſtitia id requirit, ita & Majeſtas virtutis ejus id poterit. Præterea, ſi potuit Deus tot corpora condere, quæ penitùs non erant, quare non poterit reformare quæ perierant? Præterea ſi Deus potenti manu aliqua conſtituit corpora incorruptibilia, ut ſunt cæleſtia corpora, quare non poterit reparare mortalia corpora noſtra, & ea facere immortalia? DOM. Nihil hac veriùs veritate.

Judicium generale futurum probatur ratione honoris, potentiæ, & ſapientiæ Dei.

CAPUT LXXXV.

RÆMUNDUS.

EGo præterea magnoperè tibi prodeſſe arbitror, ſi probem, etiam generale judicium futurum ex parte honoris, & potentiæ Dei, non quo tibi fidem augeam, ſed timorem. Nam ex quo Deus ſuo beneplacito, nullo aut rogante, aut cogente, humanam naturam, cùm non eſſet, condidit, ergò multò magìs debitam faciet meritorum omnium retributionem. Quia non eſſet æquum, hominem liberè operantem creare, & operis mercedem nolle reddere. Secundò, cùm finalis retributio ſit opus honoris ſolius Dei extrà ſe, quidquid enim Deus operatur extrà ſe, ad ſuum id operatur honorem. Et

Et quia judicium finalis retributionis eſt ultimum & completum opus Dei circa humanam creaturam, ideò oportet, ut in hoc ultimo opere Deus agat, palam manifeſtando ſummum honorem ſuæ potentiæ, ſuæ ſapientiæ, ſuæ juſtitiæ. Potentia apparebit in tot corporum ſuſcitatione, ſapientia in conſcientiarum diſcuſſione, juſtitia in meritorum æquiſſima diſtributione. DOM. Hunc ſummum honotem Deus non acquireret exteriùs, niſi humanam angelicámque naturam ad examen generale deduceret, in quo poſſent ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & juſtitiæ opera ab omnibus videri, & commendari. RÆM. Prætereà iſtud Judicium univerſale cùm debeat eſſe ſummè honorificum, laudabile, glorioſum, oportet igitur, ut illic fiant apertiſſimæ omnium meritorum declarationes, oportet quoque, ut ferantur ſententiæ irrevocabiles, & finaliter dentur meritorum omnium juſtiſſimæ retributiones. Requirit enim hoc judicium, ut in meritorum declarationibus oſtendatur in Judice rectitudo veritatis, in ſententiis irrevocabilibus authoritas & poteſtas ſummæ Majeſtatis, & in retributione præmiorum ſive pœnarum plenitudo juſtitiæ, & bonitatis. Prætereà, cùm iſtud judicium ſit ſummi honoris & Maleſtatis, ideò neceſsè eſt, quòd fiat tanta ſolennitate, pompâ, & magnificentiâ, thronis, & poteſtatibus obſequentibus, uti talem infinitæ Majeſtatis Judicem decet. Oportet igitur, ut propter judiciariam poteſtatem (quæ terrorem ingerit, & formidinem) omnibus appareat Deus Judex formidatus, minax,

ter

terribilis, metuendus, & ut hunc terrorem exerceat juxta ſuam reverendiſſimam Majeſtatem. DOM. Iſtud verè requirit contemptus hominum iniquorum, qui Deum judicem & ſua mandata ſpernentes mille illum vicibus offenderunt. Erit igitur omnibus reprobis incomparabilis timor, & tam immenſus, ut non poſſit augeri ampliùs. Puto tamen juſtos cum ſecuram habeant conſcientiam, nihil hunc judicem formidaturos. RÆM. Juſtis illic tuta erunt omnia. Excipient tamen eum cum ſumma veneratione, ac reverentia videntes altiſſimam ejus excellentiam, majeſtatem, ſapientiam, virtutem, dignitatem. Ex quo enim iſtud opus judicii eſt ultimum operum ſuorum, ideò erit puriſſimum, excellentiſſimum, ſolenniſſimum, ſummè honorificum ſuper omnia opera manuum ſuarum. DOM. Ex his apertè colligimus, cùm opus judicii ſit opus ſummi honoris, juſtitiæ, virtutis, & bonitatis, quòd ad Deum maximè pertineat facere judicium, & dare unicuíque ſecundum opera ſua. Sed quis erit iſte omnium Judex? Scio quia Deus, ſed nunquid non homo-Deus, ut ipſe ſit & Judex, & Retributor, qui prius fuit omnium Reparator? RÆM. Ille ipſe Chriſtus JESUS Unigenitus Dei, cui Pater dedit omne Judicium, quia Filius hominis eſt, ideò meritò debet homines judicare, cùm & ipſe homo ſit, hominum Redemptor, & Reparator. DOM. Nihil veriùs, ultra progredere.

De

De excellentia hujus diei præ cæteris diebus, & de finali retributione.

CAPUT LXXXVI.

RÆMUNDUS.

ANtequàm loquamur de finali omnium operum retributione, dicam pauca de noviſſimæ diei magnificentia. In hoc die omnium præcedentium dierum opera congregabuntur, & ſuam mercedem recipient. In hoc die magnificentiùs operabitur Deus, quàm in cæteris ſit operatus diebus, homines ſuſcitando, ac immortales ſaciendo, & unumquémque juxta quod meruit æterna retributione donando. In hoc die ſolus operabitur homo Deus, in cæteris ſuâ homines opera perpetrârunt. In hoc die Deus oſtendet opera ſuæ poteſtatis, ſapientiæ, juſtitiæ, veritatis, & bonitatis, complens omnia opera ſua in ſumma laude, gloria, & honore. Hic erit dies timoris, anguſtiarum, & formidinis omnibus iniquis, & dies gaudii, exultationis, & gloriæ omnibus juſtis, & bonis. DOM. Meritò igitur hæc dies nobis in continua debet eſſe memoria, & ad hunc tanquàm ad ſuum centrum omnium dierum noſtrorum opera dirigere, & quantùm poſſumus juſtitiæ, & virtutibus operam dare, ne in illo die coram tanto judice, & omnium hominum atque Angelorum frequentia confundamur. Ubi autem hujus memoria diei non habetur, illic incon-

U ſtan-


ſtantia regnat, & malitia, & omne opus pravum, atque perverſum. Et quia Judex ille magnificus nec errare poterit, nec corrumpi, nec decipi, qui omnium ſcrutatur renes, & corda, qui omnia videt, & nihil negligit, ideò hæc aſſiduè cogitantes, & hunc diem præ oculis habentes, debemus operari, quod bonum eſt. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & regnum permanens ſempiternum. Nationes autem iniquæ diræ erunt conſummationis. RÆM. Ex hoc ipſo, quod nunc dixiſti finalem elicimus Judicii conſummationem, quæ fiet in bonorum, malorúmque ab invicem perpetua ſeparatione. Duæ enim hæ gentes, una Juſtorum, altera impiorum, cùm ſint inter ſe contrariæ, contrarias ſententias recipient, contrarias ſedes, mercedes, retributiones. Qui enim Lucifero voluntate peſſima adhæſerunt, ſua membra effecti, cum ipſo in ſempiternis ignibus damnabuntur, qui verò Chriſtum Dominum ſecuti ſunt, cum ipſo in æternam gloriam ſuſtollentur. Illi mergentur in profundiſſima abyſſo, iſti levabuntur in Empyreo cœlo. Illi ignibus, iſti delitiis donabuntur. Illi habebunt ſocios dæmones, iſti Angelos ſortientur. Illi præ immenſis anguſtiis ululabunt, iſti præ voluptatum magnitudine gratulabuntur. Illis ſuper incumbet obſcuriſſima & ſempiterna caligo tenebrarum, iſtis autem Deus erit in lucem ſempiternam, & lucerna eorum erit Agnus. Certè nunc habes, quod petiſti, collige ex his ultimum hominis complementum. Nam ſi bonus judicatus

tus fuerit, sortietur esse optimum cum Angelis in Regno, sin verò malus, esse pessimum perpetuò possidebit cum dæmonibus in inferno. DOM. Hoc extremo tuo sermone eliditur pestifera Origenis in suo Periachon opinio, ubi asserit, malos gehennæ suppliciis eruditos, virtutes velle capessere, & his exercitos Regnum ptomereri supernum. Tu verò qui utrique populo statuisti limites sempiternos, hujus viri somnia penitùs vacuâsti. At quoniam nunc finem me video attigisse omnium, quæ volebam, & ad ultimam retributionem pervenisse, ago immortales gratias dignationi atque industriæ tuæ. Dignationi quidem, quòd volueris, industriæ verò quâ me efficacissimè instruere potuisti. Dum vivo, & spiritus hos regit artus, memor hujus optimæ institutionis tuæ, ut semper meminerim, me à summo Creatore compositum, cæteris creaturis longissimè prælatum me in ea inobedientiæ superbia collapsum mille cum calamitatibus interceptum, Christi me miseratione redemptum, suo me examini reservatum, & pro meritis bonorum operum æterna præmia recepturum. Verùm, quia in longam noctem hanc ultimam disputationis nostræ partem protraximus, unum abs te mi Ræmunde efflagito, ut ea, quæ inter nos nunc agitata sunt (est enim mihi fragilis memoria) libris mandes, quo & ego reminisci, & posteri hac utilissima eruditione possint effici meliores. RÆM. Quanquam primum sufficiat, faciam tamen quod efflagitas. Nam ex quo hæc nostra disputatio succincta fuerit,

plana, facilis, acuta, & lepôre, salibúsque respersa, ideò ante primam editionem multò libentiùs à plerísque legetur, præsertim cùm illa prolixitate sui fastidium legentibus generet, ista recreet fastiditos. Verùm, quia obscura jam nox ad somnum nos evocat, cibo potúque antè corpora foveamus, ac tum posteà dulci liceat indulgere sopori. DOM. Quanquàm tua adhortatione ita roboratus sim, atque confortatus, ut carnis delicias non requiram, pareo tamen voluptati tuæ, ut me ad tua jussa pronum invenias, quem tam benevolum in meis precibus sum expertus.



IN-

INDEX CAPITUM, Libelli hujus.

Cap.

Cap.

Cap

Cap

O. A. M. D. G.





B. ALBERTI MAGNI:

ENCHIRIDION PLANE AUREUM,

De

Veris perfectísque virtutibus, hac editione multis in locis correctum, & variè illustratum.





PRAXIS

Faciendi Meditationem è quolibet Capite Enchiridii.

NOtandum primò ex communi Asceterum formam bonæ Meditationis in tribus potissimùm consistere, in præparatione videlicèt, in ipsa meditatione tanquam corpore, & demùm in conclusione, quorum singula tribus actibus absolvuntur. Primus actus præparationis (si de proxima sermo sit) est, quô meditaturus se sistit in divina præsentia: Alter, quô rem meditandam sibi repræsentat; Tertius demùm, quô gratiam benè precandi à Deo postulat, & hi actus nomine præludiorum veniunt. Ipsa dein meditatio primò quidem discursum ac considerationem rei propositæ: Secundò, pios affectus; ac Tertiò, bona proposita complectitur, qui tandem omnes triplici actu, gratiarum actionis videlicèt de progressu orationis, oblationis sui & propositorum suorum, ac gratiæ ad eorundem executionem prorsus necessariæ postulationis concluduntur.

Notandum II. in cit. tractatu B. Alberti de virtutibus hunc fere ordinem

nem per singula capita observari, nimirùm ut primò loco ponatur definitio illius virtutis in abstracto. Secundò. Descriptio virtutis in concreto. Tertiò, Inductivum. Quartò argumentum, & signa talis virtutis. Quintò denique argumenta falsæ virtutis aut vitii oppositi. His notatis.

PRAXIS

Formandæ meditationis è prætactis punctis talis esse poterit.

Imò: FIrmiter sibi persuadet meditaturus, se jam coram Divinæ Majestatis thronô, quem omnes Sancti circumstant, ut cum DEO colloquatur, compariturum.

Secundò: Repræsentationem sibi faciet vel loci in quo talis virtus, in Christo Domino v.g. vel alio Sancto &c. maximè enituit, vel alterius, cui virtus illa aptè comparari possit. Vel eliciet actum fidei circa præsentem virtutem, vel tandem omissâ penitùs tali repræsentatione mox ad ipsam considerationem transibit.

Tertiò: Cum summâ internâ & externâ reverentiâ & humilitate, propriâ diffidentiâ, fiduciâ in DEUM, ac perfectâ conformatione cum Divinâ illius voluntate postulet ab eo gratiam,

omnes

omnes vires . actionésque animi ad Suæ Divinæ Majestatis gloriam referendi: agnoscendi naturam, motiva, argumenta talis virtutis &c. eliciendi affectus & proposita maximè salutaria &c. implorato etiam ad id Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis, alteriúsve Sancti Patroni auxilio. Et hæc de pluribus.

Hinc jam progressus fiat ad discussionem ipsorum punctorum, eô, quô ab ipso D. Alberto prtractantur ordine, quibus ritè perpensis, mirum! quanti è punctis singulis quasi totidem fructibus piorum affectuum & propositorum sint affluxuri rivuli.

Naturâ siquidem talis virtutis benè discussâ, mox suâ pulchritudine rapiet in amorem, acuet desiderium absentis, eliciet gratiarum actionem, laudem, glorificationem illius, de cujus munere se eam possidere noverit. An non inductiva, solida & potentia excutient torporem, inanem depellent timorem, addent fortitudinem, firmabunt fiduciam &c.

Argumenta verò tam veræ quàm falsæ virtutis nonne ruborem incutient, excitabunt dolorem, in sui ipsius veram agnitionem deducent &c.? Ut adeò anima harum rerum meditationi insistens meritò assimilari queat

ligno, quod plantatum est secùs decursus aquarum, cujus folium viride & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Quò tandem modò oratio sit concludenda, & præsertim, quô affectu, fiduciâ, resignatione &c. efformanda sit postulatio, ipsa Spiritûs S. unctio meliùs docebit.

IDEA

Medidationis ex capite primo de Charitate Dei.

PRæludium primum. Colloca te in Divinâ præsentiâ &c.

Præludium secundum. Pone tibi ob oculos Cœnaculum illud grande, in quo erant exspectantes Discipuli cum MARIA Matre JESU adventum Spiritûs Sancti, qui etiam in die Pentecostes in specie ignitarum linguarum super eos descendit.

Præludium tertium. Junge te, tuósque affectus, & desideria huic sacratissimo Collegio, ardentérque DEUM precare, ut mittere dignetur hunc amoris ignem in terram cordis tui, illóque te totum inflammare & accendere.

Punctum primum. Considera, quòd perfecta Charitas tunc habeatur, quan-

quando &c. *uti in textu capitis.* Qualis tua est Charitas, primi, an 2di generis? æmulare charismata meliora.


Punctum secundum. Inductivum veræ Charitatis est agnitio Dei vera &c. *uti in textu capitis.* Quoúsque in agnitione progressus es? Si existimas te aliquid esse, cùm nihil sis, ne primum quidem principium veræ agnitionis Dei te habere conclude.

Punctum tertium. Argumentum veræ Charitatis habet, qui servat mandata &c. *ut in textu capitis.* Ad hunc lydium lapidem tuam examina Charitatem; dole dolenda, propone optima.



DE CHARITATE DEI ET PROXIMI.

CAPUT I.



HARITAS ad DEUM vera & perfecta eſt, quandò anima cum omnibus viribus ſuis ardenter ſe infundit Deo, nullum com̃odum tranſitorium vel æternum quærens in eo, ſed ſolùm circa eundem propter nobilitatem, bonitatem, ſanctitatem, perfectionem, beatitudinem illi ſummo bono innatam afficitur. Delicata enim anima quaſi abominatur per modum commodi vel præmii diligere DEUM: ſicut DEUS cum omni virtute ſua ſe infundit animæ, nihil unquam utilitatis ab ea ſperans, ſed ei naturalem beatitudinem ſuam deſiderans communicare. Qui autem diligit DEUM ſolùm idcircò, quòd ſibi ſit bonus, & propter hoc principaliter, ut ſibi beatitudinem ſuam communicet, is naturalem & imperfectam charitatem habere convincitur.

IN-

INDUCTIVUM veræ Charitatis est, vera & perfecta cognitio boni. Nam in eo ipso materia totius dilectionis consistit, videlicet nobilitas, sanctitas, potentia, sapientia, providentia, & quæ sunt hujus generis alia. Item dilectio DEI ad nos æterna & immensa, & non interpolata, sed fidelissima, veræ charitatis inductiva est.

ARGUMENTUM veræ charitatis ponit Dominus in Joanne dicens: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qni diligit me. Cujus rei testis est Augustinus dicens: In tantùm Deum diligimus, in quantùm ejus præcepta observamus. Idem intelligendum de votis spontaneis, quæ nos æqualiter cum præceptis oblîgant. Testimonium perhibet Domino Beatus Gregorius, dicens: Ad vosmetipsos Fratres charissimi introrsùs redite: Si Deum verè amatis, exquirite; nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus de dilectione Conditoris sine attestatione operis responderit. De dilectione Conditoris lingua, mens, & vita requiratur. Nunquam est DEI Amor otiosus; operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit; Amor non est. Hæc autem operum executio & mandatorum observatio purificari debent ex mentis intentione, ne vel timore

Joan. 14.

Tractat. 82 in Joan.

Gregorius Homil. 30. super Evang.

alicujus pœnæ fiant, vel amore præmii compleantur. Nam teste Augustino DEUM diligit, qui non ideò imperata custodit, vel quia magnitudine pœnæ vel aviditate præmii compellitur, sed quia quod jubetur, optimum est honestum.

Sunt & alia duo signa verissimæ dilectionis ad Deum, scilicet cùm homo congratulatur DEO in omnibus, quæ ipsi placent, à quocunque, quacunque hora, quocunque loco fiant. Naturalis autem Amor nihil laudis à DEO meretur, quia semper super se reflectitur, sed solus gratuitus, qui semper tendit in alterum. Secundum signum est, quod homo contristatur DEO in omnibus, quæ ipsi displicent, à quocunque, quacunque hora, quocunque loco fiant.

De dilectione proximi.

VERA CHARITAS ad proximum est, diligere proximum, amicum & inimicum sicut seipsum. Unde dicit Augustinus, proximum sicut seipsum diligi, hoc est, in Deo, ad Deum, & propter Deum. Sic enim debet unusquisque diligere proximum sicut seipsum, quòd sicut ipse sibi desiderat omne bonum, & fugit omne malum, sic faciat & proximo. Tum sicut unusquisque bonum proprium in corpore & anima, rebus & honore diligit, & sicut

ſicut unusquisque in his quatuor fugit & odit omne malum proprium & damnum; ſic quilibet in eisdem omne bonum tam amici quàm inimici debet diligere, & omne damnum debet odiſſe, licet ex præcepto non tantum, nec tam ardenter ad proximum moveri teneatur, ſicut ad ſeipſum. Ex amore autem amici non poteſt vera charitas perpendi. Nam Ethnici eos amant, qui eos diligunt, ſed in amore inimici vera charitas perpenditur. Amantem enim diligere naturæ eſt, quæ non eſt meritoria; non amantem verò diligere, gratiæ eſt. Sed adhuc excellentiùs perpenditur veritas Charitatis ad proximum in eo, quod ſuper Matthæum Gloſſa dicit: Amantem diligere, naturæ eſt, non amantem verò beneficiis ad amorem trahere, perfectionis eſt. Et licet nemo tenetur ex præcepto tantum, & tam ferventer inimicum diligere ut amicum, felix tamen eſſet, & ſummè perfectus, qui tantum & plus poſſet diligere, & opera Charitatis exhibere inimico, quantum amico, tantùm corripienti & corrigenti, quantum blandienti, tam vituperanti, quàm laudanti. Etenim teſte Chryſoſtomo nihil eſt, quod ſic Deo ſimilem facit hominem, ut malignis atque lædentibus eum eſſe placabilem. Pro

Matth. 5. De dilectione inimici.

Hom. 20. in Matth.

certò enim majorem gloriam & gratiam consequeretur ex persequutione, quàm favore, si modo debito sciret ea frui. Sic sanctis Martyribus multò magis inimici ad æternam gloriam, quàm amici profuerunt.

Ecclesiast. 13. AD AMOREM proximi nos inducere debet natura, quia omne animal naturaliter diligit sibi simile, & omnis homo proximum sibi. Item quia imago Dei in ipso, & hac de re præceptum in scriptura est.

ARGUMENTA verissima charitatis sunt: verè condolere tam inimico, quàm amico in qualibet adversitate, tum, verè & ex corde congaudere de omni eorum prosperitate; quæ duo rarissima sunt.

ARGUMENTA verissima Odii ad proximum sunt, quum quis cum cordis molestia de proximo cogitat, quando itidem cum tristitia ipsum videt, quando cum amaritudine illi loquitur, de ipso loquitur vel alium audit loqui, cùm omne bonum illius, & quod illi utile est, impedit, quantum potest, quando demum bonum, quod in ipso est, diminuit & pervertit. Sic Matth. 26. non fecit Christus Proditori suo Judæ, sed ipsum cum aliis Apostolis corpore & Sanguine suo refecit, in loco traditionis ei non negavit osculum, ipsum

be-

benigniſſimè ſalutavit, plus dolens de ejus malo, quàm de proprio incommodo, ut dicit Hieronymus. Sed mirabile eſt, quod unquam de fraterna charitate ſibi applaudit, qui hæc ſigna odii in corde gerit. Multis autem videtur ſufficere, ſi proximis optent vitam æternam, quam illi nec dare, nec auferre poſſunt, quam etiam benè optarent Judæis & paganis. Nec memores iſti eſſe volunt, quod cùm poſuerit Dominus animam ſuam pro inimicis ſuis, nos teneamur non tantùm res, ſed etiam animam ponere tempore neceſſitatis pro Fratribus Chriſtianis. Maximè tamen ad hoc Prælati tenentur. 1. Joan. 3.

Ex duobus fovetur charitas: erga Deum quidem mandatorum ejus executione, ſecundùm illud: Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Ioan. 15. Erga proximum verò charitas fovetur compaſſione ſecundùm illud Eccleſiaſtici. Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat viſitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis.






DE HUMILITATE.

CAPUT II.

HUMILITAS vera & perfecta est, cùm gloria contemnitur exhibita nec appetitur exhibenda. Verus humilis semper timet, ne sibi aliqua gloria exhibeatur, & cùm sibi exhibita fuerit, expavescens medullitùs contristatur, sciens quòd soli DEO honor & gloria debeatur. Verè humilis nunquam de aliqua gloria vel gratia gloriatur, nisi intendat ex hoc audientibus confidentiam ad DEUM præstare; sed si de ipso aliquid gloriosi vel gratiæ recitatur, id cum dolore cordis & dejectione sui audit, sciens solius DEI esse, quod sibi asscribitur, cui soli danda est gloria. Verè humilis nec majori, nec minori, nec æquali se comparat; imò nullum inferiorem se ipso credit, nullum omninò spernit, & se solùm ex corde despicit, & ab omnibus despici ferventer appetit, gaudetque vehementer, cùm despectus fuerit. Talis nullam timet contumeliam, quia nullam amat gloriam. Est autem & qui nequiter humiliat se, & interiora

1. Tim. 1.

Eccles. 19.

ejus

ejus plena sunt dolo. Sed verus humilis (teste Bernardo) non vult humilis prædicari, sed vilis reputari. Bernard. superCant. serm. 16.

AMANS Humilitatem debet radicem Humilitatis in corde plantare, hoc est, propriam fragilitatem agnoscere, ut se reputet non solùm quàm vilis est, sed etiam quàm vilis esse potest, immò quàm vilis esset ac fieret, nisi Deus violenter ipsum à peccatis retraxisset, & nisi ei tentationes subtraheret. In his enim quilibet se cognoscere potest, & ex fragilitate sua discit se esse dispositum ad abyssum & voraginem vitiorum juxta illud: Humiliatio tua in medió tui. Mich. 6.

VERAM Humilitatem inducit frequens in despectis operibus exercitium; quoniam nunquam ad Humilitatis virtutem pervenit, qui opera Humilitatis refugit. Fovetur vera Humilitas ex eo, quòd verè homo agnoscit, se nullam per se carnalem vel spiritualem tentationem posse vincere, nec minimum opus bonum & DEO gratum sine speciali auxilio JESU CHIRSTI posse facere.

ARGUMENTUM veræ Humilitatis est, cùm in tantùm se homo dejicit, quod omni gratia se indignum sentit, nec audet gratiam consolationis & gratìs datæ appetere, & si præ-

tereà à Deo ſuper ipſum absque ſuo deſiderio effluxerit gratia ; cum timore illam percipit, imô laudabiliùs judicat carere Dei gratia, quàm habere gratiam, quam toties diverſis modis demeruit ; quàm toties diverſimodè deturpavit, quâ nunquam ſecundam ordinationem DEI fruebatur.

ITEM argumentum veræ Humilitatis eſt, quòd quis ſemper quærit infimnm locum, infimos ſocios, infimum officium, & infima veſtimenta.

SUPERBIA mentis dupliciter cognoſci poteſt, augmento extrinſeco, ſecundum quod ſcriptum eſt : Amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo. Sic & arbor bona vel mala ex fructu ſuo bono vel malo perpenditur. Omnia verò facta ex cogitatione procedunt, ut dicit Auguſtinus : Sicut nempè odor bonus vel malus progreditur ex ſtomacho corrupto vel incorrupto, ut ex ſpeciebus bonis vel malis in ſtomacho repoſitis, & ſicut impudicus oculus, teſte Auguſtino, impudici cordis eſt nuncius. Argumento intrinſeco cognoſci poteſt ſuperbia, cum aliquis in corde ſibiipſi placet, & aliis ſe præfert, vel præferri deſiderat, & cùm in factis ſuis hominibus placere affectat. Talis cum humili Magiſtro Domino noſtro JESU

Eccleſ. 19. Matth. 7. Auguſt. Epiſt. 19. Rom. 15. Pſalm. 68.

SU Christo non concordat, qui nec sibi placuit teste Apostolo, sed improperium exspectavit & miseriam, nec venit præesse, sed subesse, ipso testante: Non veni ministrari, sed ministrare. Ideò talis Magister illis, qui non Deo sed hominibus placere volunt, dissipat ossa virtutum juxta illud: Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

Matth. 20.

Psalm. 53.



DE OBEDIENTIA.

CAPUT III.

OBEDIENTIA vera & perfecta erga DEUM est, cùm homo diligenter & sæpè recogitat, quid maximè, & quolibet tempore & loco DEO placeat, & ad quid sapiens DEUS eum præcipuè ordinaverit, & hoc ipsum toto nisu semper implere contendit. Vera obedientia erga Vicarios Christi, prælatos scilicet est, cùm subditus, quod sibi maximè contrarium est, fideliter & libenter exequitur, nunquam manifestans signo, verbo, vel facto, sibi contrarium esse præceptum. Sed ibi

ibi vera obedientia non poteſt perpendi, ubi ſubditus præceptum excogitat, & opus, quod ſibi placuerit, ipſe dictat. Hinc Auguſtinus: Optimus ille Miniſter tuus Domine eſt, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipſe voluerit, ſed potiùs hoc velle, quod à te audierit.

Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 26.

VERUS obediens nunquam prælati præceptum exſpectat, ſed ſolùm ejus voluntatem, eámque ſciens vel credens ferventer exequitur, ac ſi præceptum id eſſet. Exemplo ſit Dominus noſter JESUS CHRISTUS, cui voluntas & complacentia Patris ſummum præceptum fuit. Verus obediens nunquam de factis ſuis ordinat, nec ſecundum ſenſum ſuum judicat, cùm neque velle habeat neque nolle, nec cuíquam de factis ſuis ſenſum ſuum indicat, ſed omnem ordinationem circà ſe ſimpliciter & ſecurè Deo commitit, & prælato. Verus obediens non diſcernit inter bonum & malum ſicut Abraham non diſcrevit, utrum bonum vel malum eſſet occidere filium ſuum, cùm ita juberet Dominus: Nec diſcernit inter bonum & melius, ſed ſemper optimum judicat, etiam in dubio bonum, quod jubetur, niſi manifeſtè iniquum appareret eſſe, quod mandatur. Nam ſecundum Gregorium

Gen. 22.

rium nunquam propter obedientiam debet malum fieri, licet propter obedientiam aliquando possit & debeat bonum prætermitti. Idem Gregorius ibidem ita scribit: Sciendum, quod aliquando obedientia, si de suo aliquid habeat, nulla est, aliquando, si de suo aliquid non habet, minima est. Nam cùm successus hujus mundi præcipitur, cùm locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit affectanter, obedientiæ virtutem sibi evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Rursùs cùm hujus mundi despectus præcipitur, cùm probra & contumeliæ adipisci jubentur, nisi hæc animus ex semetipso appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolénsque descendit. Debet ergò obedientia & in adversis ex suo aliquid habere, & rursùs in prosperis ex suo aliquid omninò non habere, quatenùs & in adversis tanto fit gloriosior, qnanto Ordini divino etiam ex desiderio jungitur, & in prosperis tanto fit verior, quanto à præsenti ipsa, quam divinitùs percipit gloria, funditùs ex mente separatur.

Gregor. in moral. lib. 35. cap. 13.

INDUCTIVUM veræ obedientiæ est summa Obedientia JESU Christi, qui non solùm DEO Patri obedivit

vit per omnia, dicens: Non mea voluntas, sed tua fiat, sed etiam hominibus bonis & malis, immò subditus etiam fuit dæmonibus. Item omnia sensibilia & insensibilia obediunt DEO, & illa omnia subjecit homini DEUS, ut se homo cognosceret subjiciendum esse DEO. Sol & Luna obedierunt Josue, terra Moysi, cùm absorbuit Datham & Abyron, mare Petro ad calcandum, & Moysi, cùm submergeret Pharaonem & exercitum ejus, serpentes magìs in Ægypto, bestiæ Eremitis in Ægypto, ut legitur in in Vitis Patrum, aër & grando Samueli, pluvia Heliæ, sicut & ignis, qui devoravit duos quinquagenarios, aves Sanctissimo Patri Francisco, dæmones Apostolis & sanctis hominibus, & ægritudines, à quibus eos liberaverunt, & multæ creaturæ Moysi in Ægypto. Et quia obediunt DEO omnia sub cœlo, in purgatorio, & in inferno, ideò merito deberet homo obedire DEO Patri in omnibus, ejus præcepta & voluntarem exequendo.

(Matth. 26. Matth. 4. Iosue 10. Num. 16. Matth. 14. Exod. 14. Exod. 7. 1. Reg. 12. 3. Reg. 18. 4. Reg. 1. Exod. 7. 8. 10. & 11.)

ARGUMENTUM multiplex veræ Obedientiæ indicat hoc pacto Bernardus: Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus ope-

(Serm. de virtute Obedientiæ.)

operi, itineri pedes, & totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Ac iterum Bernardus: Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle in manibus sui Prælati, ut possit dicere: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Paratum quæcunque præceperis facere, paratum tibi vacare, & proximis ministrare, meipsum custodire, & in cœlestium contemplatione requiescere. Psalm. 108.

ARGUMENTUM inobedientiæ est, cùm subditus mandatum Prælati injustum reputat, & ex hoc in corde murmurat, deinde, quum se mandatum implere non posse, nec debere excusat, hinc posteà diversas vias evadendi subtiliter excogitat, ad ultimum aliquos inducit, qui suis consiliis & precibus mandatum superioris impediant vel retractent. Sic non fecit Abraham, qui nocte abjit, ut subitò mandatum Domini expleret, relinquens servos in pede montis, ne ipsum in occisione filii charissimi impedirent, ideóque largam benedictionem sibi & suo semini meruit. Gen. 22.





Y DE



DE PATIENTIA.

CAPUT IV.

PATIENTIA vera & perfecta est, cùm quis injurias illatas patienter sustinet, non solum cùm reus, sed etiam cùm innocens est, exemplo Job dicentis.
Iob. 17. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Et licet intolerabilior sit injuria innocenti, quàm culpabili facta, tamen multò suaviùs sufferri potest & debet injuria, cùm nihil conscientiam remordet, suaviùs dico, quàm si molestiam meruisset ob
1. Pet. 4. culpam præcedentem. Unde beatus Petrus: Nemo vestrûm, inquit, patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Me-
1. Pet. 3. liùs est enim, ut benefacientes (si vo-
1. Petr. 2. luntas DEI velit) pati, quàm malefacientes. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud DEUM. Laudabilis illa patientia est, quæ non tantùm à malis, sed etiam ab eis, qui videntur boni & amici, nec tantùm pro malis operibus, verùm etiam pro benefactis illatas

illatas patienter ſuſtinet injurias. Tunc enim amica DEI anima inter filias eſt, ſicut lilium inter ſpinas. Lilium enim, quamvìs pungatur à ſpinis, candorem tamen retinet, fortiorem emittens odorem, quàm ſi non pungatur. Sic anima Sponſa DEI, quamvìs ab eis, qui videntur eſſe de numero & conſortio filiorum, pungatur, non tamen ad impatientiam provocatur, ſed candorem bonæ conſcientiæ & bonæ famæ odorem diligentiſſimè ſervare conatur. Cant. 2.

ILLE verè patiens eſt, qui non ſolùm moleſtias illatas patienter tolerat, ſed inferendas etiam deſiderat, exemplo Chriſti dicentis: Improperium exſpectavit cor meum & miſeriam. Verè patiens inter flagella non murmurat, exemplo Job, qui inter tot preſſuras, nec ſtultum quid contra DEUM locutus eſt, ſed mente gaudens, de illatis moleſtiis etiam ex corde gratias agit. Pſalm. 68.

VERUS patiens pro illata injuria nunquam ſe excuſat, etiam requiſitus, ſideliſſimo ſe DEO committens in omnibus, qui tempore ſuo omnem hominum innocentiam excuſabit. Sic Dominus JESUS à Pilato interrogatus non reſpondit. Verus patiens injuriam ſuam nulli conqueritur, quia ex querela & excuſatione quandóque Matth. 27.

mens alleviatur. Quam allevationem minimè curat, ſed ſolus cum ſolo DEO moleſtiam ſuam portat, donec eam pius & fidelis DEUS per internam conſolationem repellat.

TRIA ſunt, quæ meritò inducunt veram patientiam. Unum eſt cognoſcere, quod peccatis noſtris æternam & amariſſimam meruimus gehennæ pœnam, pro cujus recompenſatione moleſtiâ temporaliter affligimur. Alterum eſt, quòd Dominus JESUS longo tempore, multis & magnis injuriis promeruit, ut nos vicem ei rependentes, brevi tempore modicùm moleſtemur & affligamur. Tertium eſt, quòd ipſe DEUS juſtus ſecundum longitudinem, magnitudinem & aſperitatem moleſtiarum reponderabit magnitudinem, diuturnitatem & dulcedinem gaudiorum, teſte Apoſtolo dicente; Id enim, quod in præſenti eſt, mementaneum & leve tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.

ARGUMENTUM veræ Patientientiæ eſt, ſe non vindicare, cùm homo poſſit, ac etiam prohibere vindictam ab aliis exerceri, exemplo David, qui prohibuit Semei occidi, qui lapides & lutum contra eum projiciens, vi-

rum ſanguinum eum appellavit. Sed potiùs verè patiens ſupplicat devotè pro injuriantibus, quod fecit Dominus JESUS efficaciter pro ſuis crucifixoribus, & Beatus Stephanus pro lapidantibus. Imò etiam cogit Dominum injuriantibus miſereri, ſicut fecit Moyſes dicens: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti. Tales orationes libenter audit Deus & exaudit. Unde omnes tres ſupradicti fuerunt pro Adverſariis exauditi.

2. Reg. 16. Lucæ 23. Actor. 7. Exod. 32.

ARGUMENTUM Impatientiæ; cùm aliquis propter moleſtiam illatam ex motu interiore ſponte dimittit bona opera, quæ commodè facere poſſet ac deberet, tunc autem immeritò luit Deus moleſtiam ab homine irrogatam. Item, cùm motus interior vix ſe in homine abſcondere poteſt, quin erumpat vel in vultu, vel in geſtibus, vel in verbis. Hæc eſt periculoſiſſima impatientia, cujus vindicta vergit in Deum innocentem.



DE PAUPERTATE,

CAPUT V.

PAUPERTAS vera perfecta eſt, omnia propter Deum ſponte &

lætanter relinquere, nihil præter solam necessitatem possidere, eadémque necessitate se indignum sentire,& ipsa necessitate quandóque propter Deum gaudenter carere. Ubi enim plena est necessitas, ibi perpendi non
Matth. 12. potest paupertas vera. Sic Dominus JESUS necessitate cibi caruit, cùm nec sibi, nec discipulis spicas confricantibus panem habere potuit. Qui similiter vestium necessitate caruit, quando ante crucem, teste Bernardo, penitùs nudatus fuit. Qui etiam sitiens in cruce haustum aquæ habere non potuit, lapidem, nec asserem, in quo moriens crucifixum caput inclinaret: Heu! quàm sæpè est ibi superfluitas, ubi creditur vera esse necessitas.

VERUS pauper nulla transitoria concupiscit, imò oblata respuit, ex-
4. Reg. 5. Daniel 5. emplo Helisæi, qui munera Naaman non accepit, & exemplo Danielis, qui dona Balthasar Regis contempsit. Ille paupertatem verè amat, qui mereri vellet parvam gloriam per paupertatem potiùs, quàm magnam per divitias, ut JESU Christo fiat conformior.

Bernard. serm. 1. in vigil. natalis Domini.

AD AMOREM veræ Paupertatis inducere nos debent tria secundum Bernardum: Nihil enim Deo carius, nihil

hil hominibus fructuosiùs, quàm in paupertate obediendo vitam finire. Quod autem Paupertas Deo placeat, testatur idem Bernardus dicens: In cœlo omnium bonorum affluentia suppetebat, sed Paupertas ibi non inveniebatur. Porrò hæc species abundavit in terris, sed nescivit homo pretium ejus. Hanc itaque Dei filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.

EST est aliud inductivum veræ Paupertatis, scilicet gloria Christo in judicio assidendi, eáque provenit ex eo, quòd pauperes & ignobiles ad latus Christi sedebunt in judicio, nobiles & divites judicantes. Eja! quàm laudabile est, Deo omnia purè propter ipsum relinquere, pauperem fieri propter Amorem Dei, Deo confidere super omnia, quòd tam potens sit semel vel bis in die corpori ministrare necessaria, quæ minima coram ipso reputantur, nam ea tribuit inimicis abundantiùs, quàm amicis, sicut potens est die ac nocte, momentis singulis ministrare spiritui abundantiam spiritualium donorum, quæ maxima sunt coram Deo, nec ea communicat inimicis.

Matth. 19.

ARGUMENTUM veræ Paupertatis est, nullam solicitudinem habere de transitoriis, sed simpliciter & securè se committere Deo, qui avibus & vermibus semper necessaria largè ministrat, & præcipuè pullis coruorum in nido præ fame vagientibus, quos antiquus coruus propter albedinem, quasi filii sui non sint, farmelicos derelinquit, illi verò ex largitate Dei, vel ex rore aëris pascuntur, donec ipsis nigrescentibus corvus succurrit, vel certè ciniphes & muscas deglutiunt, quæ spumæ rostrorum inhærent, cum famelici adhuc fortiter clamare non cessant.

Matth. 6. ARGUMENTUM falsæ Paupertatis vel avaritiæ est, libenter munera

Psalm. 135. & 156. petere præter necessaria, vel ea libenter accipere. Talis libertatem suam vendit, juxta verbum Philosophi: Munuscula accipere, est libertatem vendere. Quomodò enim Paupertatis Amator est, qui nullum defectum sustinere vult, & munera non necessaria frequenter accipit, imò petit, & cum quadam subtilitate extorquet, & præter necessitatem conservat?

DE



DE CASTITATE.

CAPUT VI.

CASTITAS Virginalis vera & perfecta est, cùm non solum corpus à pollutione carnalis concupiscentiæ custoditur, verùm etiam anima à carnali concupiscentia munda servatur, exemplo Saræ dicentis: Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, sed mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, imò ab eis, quæ præstant occasionem concupiscentiæ. Et hoc est quod sequitur: Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Tob. 3.

ILLE verè castitatem amat, qui potiùs per castitatem virginalem, si possibile esset, modicam eligeret gratiam in præsenti, & gloriam in futuro propter conformitatem JESU Christi, quàm si mereri posset gratiam & gloriam majorem per debitum conjugale.


AD amorem Castitatis inducere nos debet exemplum Castitatis Domini nostri JESU Christi, & Matris ejus, & sanctarum virginum, quæ olim pro con-

Matth. 26. vit per omnia, dicens: Non mea voluntas, sed tua fiat, sed etiam hominibus bonis & malis, immò subditus
Matth. 4. etiam fuit dæmonibus. Item omnia sensibilia & insensibilia obediunt DEO, & illa omnia subjecit homini DEUS, ut se homo cognosceret sub-
Iosue 10. jiciendum esse DEO. Sol & Luna obedierunt Josue, terra Moysi, cùm
Num. 16. absorbuit Datham & Abyron, mare
Matth. 14. Petro ad calcandum, & Moysi, cùm
Exod. 14. submergeret Pharaonem & exercitum
Exod. 7. ejus, serpentes magis in Ægypto; bestiæ Eremitis in Ægypto, ut legitur in in Vitis Patrum, aër & grando Sa-
1. Reg. 12. mueli, pluvia Heliæ, sicut & ignis, qui
3. Reg. 18. devoravit duos quinquagenarios, aves
4. Reg. 1. Sanctissimo Patri Francisco, dæmo-
Exod. 7. 8. 10. & 11. nes Apostolis & sanctis hominibus, & ægritudines, à quibus eos liberaverunt, & multæ creaturæ Moysi in Ægypto. Et quia obediunt DEO omnia sub cœlo, in purgatorio, & in inferno, ideò merito deberet homo obedire DEO Patri in omnibus, ejus præcepta & voluntarem exequendo.

Serm. de virtute Obedientiæ. ARGUMENTUM multiplex veræ Obedientiæ indicat hoc pacto Bernardus: Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus ope-

operi, itineri pedes, & totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Ac iterum Bernardus: Bonus obediens dat suum velle, & suum nolle in manibus sui Prælati, ut possit dicere: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Paratum quæcunque præceperis facere, paratum tibi vacare, & proximis ministrare, meipsum custodire, & in cœlestium contemplatione requiescere. Psalm. 108.

ARGUMENTUM inobedientiæ est, cùm subditus mandatum Prælati injustum reputat, & ex hoc in corde murmurat, deinde, quum se mandatum implere non posse, nec debere excusat, hinc posteà diversas vias evadendi subtiliter excogitat, ad ultimum aliquos inducit, qui suis consiliis & precibus mandatum superioris impediant vel retractent. Sic non fecit Abraham, qui nocte abjit, ut subitò mandatum Domini expleret, relinquens servos in pede montis, ne ipsum in occisione filii charissimi impedirent, ideóque largam benedictionem sibi & suo semini meruit. Gen. 22.







DE PATIENTIA.

CAPUT IV.

PATIENTIA vera & perfecta eſt, cùm quis injurias illatas patienter ſuſtinet, non ſolum cùm reus, ſed etiam cùm innocens eſt, exemplo Job dicentis.
Iob. 17. tis. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Et licet intolerabilior ſit injuria innocenti, quàm culpabili facta, tamen multò ſuaviùs ſufferri poteſt & debet injuria, cùm nihil conſcientiam remordet, ſuaviùs dico, quàm ſi moleſtiam meruiſſet ob
1. Pet. 4. culpam præcedentem. Unde beatus Petrus: Nemo veſtrûm, inquit, patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Me-
1. Pet. 3. liùs eſt enim, ut benefacientes (ſi vo-
1. Petr. 2. luntas DEI velit) pati, quàm malefacientes. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud DEUM. Laudabilis illa patientia eſt, quæ non tantùm à malis, ſed etiam ab eis, qui videntur boni & amici, nec tantùm pro malis operibus, verùm etiam pro benefactis

illatas

illatas patienter sustinet injurias. Tunc enim amica DEI anima inter filias est, sicut lilium inter spinas. Lilium enim, quamvis pungatur à spinis, candorem tamen retinet, fortiorem emittens odorem, quàm si non pungatur. Sic anima Sponsa DEI, quamvis ab eis, qui videntur esse de numero & consortio filiorum, pungatur, non tamen ad impatientiam provocatur, sed candorem bonæ conscientiæ & bonæ famæ odorem diligentissimè servare conatur. Cant. 2.

ILLE verè patiens est, qui non solùm molestias illatas patienter tolerat, sed inferendas etiam desiderat, exemplo Christi dicentis: Improperium exspectavit cor meum & miseriam. Verè patiens inter flagella non murmurat, exemplo Job, qui inter tot pressuras, nec stultum quid contra DEUM locutus est, sed mente gaudens, de illatis molestiis etiam ex corde gratias agit. Psalm. 68.

VERUS patiens pro illata injuria nunquam se excusat, etiam requisitus, fidelissimo se DEO committens in omnibus, qui tempore suo omnem hominum innocentiam excusabit. Sic Dominus JESUS à Pilato interrogatus non respondit. Verus patiens injuriam suam nulli conqueritur, quia ex querela & excusatione quandóque Matth. 27.

mens alleviatur. Quam allevationem minimè curat, sed solus cum solo DEO molestiam suam portat, donec eam pius & fidelis DEUS per internam consolationem repellat.

TRIA sunt, quæ meritò inducunt veram patientiam. Unum est cognoscere, quod peccatis nostris æternam & amarissimam meruimus gehennæ pœnam, pro cujus recompensatione molestiâ temporaliter affligimur. Alterum est, quòd Dominus JESUS longo tempore, multis & magnis injuriis promeruit, ut nos vicem ei rependentes, brevi tempore modicùm molestemur & affligamur. Tertium est, quòd ipse DEUS justus secundum longitudinem, magnitudinem & asperitatem molestiarum reponderabit magnitudinem, diuturnitatem & dulcedinem gaudiorum, teste Apostolo dicente; Id enim, quod in præsenti est, mementaneum & leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimi-
2. Cor. 4. tate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

ARGUMENTUM veræ Patientientiæ est, se non vindicare, cùm homo possit, ac etiam prohibere vindictam ab aliis exerceri, exemplo David, qui prohibuit Semei occidi, qui lapides & lutum contra eum projiciens, vi-

rum ſanguinum eum appellavit. Sed potiùs verè patiens ſupplicat devotè pro injuriantibus, quod fecit Dominus JESUS efficaciter pro ſuis crucifixoribus, & Beatus Stephanus pro lapidantibus. Imò etiam cogit Dominum injuriantibus miſereri, ſicut fecit Moyſes dicens: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti. Tales orationes libenter audit Deus & exaudit. Unde omnes tres ſupradicti fuerunt pro Adverſariis exauditi.

2.Reg. 16. Lucæ 23. Actor. 7. Exod. 32.

ARGUMENTUM Impatientiæ; cùm aliquis propter moleſtiam illatam ex motu interiore ſpontè dimittit bona opera, quæ commodè facere poſſet ac deberet, tunc autem immeritò luit Deus moleſtiam ab homine irrogatam. Item, cùm motus interior vix ſe in homine abſcondere poteſt, quin erumpat vel in vultu, vel in geſtibus, vel in verbis. Hæc eſt periculoſiſſima impatientia, cujus vindicta vergit in Deum innocentem.



DE PAUPERTATE,

CAPUT V.

PAUPERTAS vera perfecta eſt, omnia propter Deum ſpontè & læ-

lætanter relinquere, nihil præter solam necessitatem possidere, eadémque necessitate se indignum sentire, & ipsa necessitate quandóque propter Deum gaudenter carere. Ubi enim plena est necessitas, ibi perpendi non
Matth. 12. potest paupertas vera. Sic Dominus JESUS necessitate cibi caruit, cùm nec sibi, nec discipulis spicas confricantibus panem habere potuit. Qui similiter vestium necessitate caruit, quando ante crucem, teste Bernardo, penitùs nudatus fuit. Qui etiam sitiens in cruce haustum aquæ habere non potuit, lapidem, nec asserem, in quo moriens crucifixum caput inclinaret: Heu! quàm sæpè est ibi superfluitas, ubi creditur vera esse necessitas.

VERUS pauper nulla transitoria concupiscit, imò oblata respuit, ex-
4. Reg. 5. Daniel 5. emplo Helisæi, qui munera Naaman non accepit, & exemplo Danielis, qui dona Balthasar Regis contempsit. Ille paupertatem verè amat, qui mereri vellet parvam gloriam per paupertatem potiùs, quam magnam per divitias, ut JESU Christo fiat conformior.

Bernard. serm. 1. in vigil. natalis Domini. AD AMOREM veræ Paupertatis inducere nos debent tria secundum Bernardum: Nihil enim Deo carius, nihil

hil hominibus fructuosiùs, quàm in paupertate obediendo vitam finire. Quod autem Paupertas Deo placeat, testatur idem Bernardus dicens: In cœlo omnium bonorum affluentia suppetebat, sed Paupertas ibi non inveniebatur. Porrò hæc species abundavit in terris, sed nescivit homo pretium ejus. Hanc itaque Dei filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.

EST est aliud inductivum veræ Paupertatis, scilicet gloria Christo in judicio assidendi, eáque provenit ex eo, quòd pauperes & ignobiles ad latus Christi sedebunt in judicio, nobiles & divites judicantes. Eja! quàm laudabile est, Deo omnia purè propter Matth. 19.
ipsum relinquere, pauperem fieri propter Amorem Dei, Deo confidere super omnia, quòd tam potens sit semel vel bis in die corpori ministrare necessaria, quæ minima coram ipso reputantur, nam ea tribuit inimicis abundantiùs, quàm amicis, sicut potens est die ac nocte, momentis singulis ministrare spiritui abundantiam spiritualium donorum, quæ maxima sunt coram Deo, nec ea communicat inimicis.

ARGUMENTUM veræ Paupertatis eſt, nullam ſolicitudinem habere de tranſitoriis, ſed ſimpliciter & ſecurè ſe committere Deo, qui avibus & vermibus ſemper neceſſaria largè miniſtrat, & præcipuè pullis coruorum in nido præ fame vagientibus, quos antiquus coruus propter albedinem, quaſi filii ſui non ſint, farmelicos derelinquit, illi verò ex largitate Dei, vel ex rore aëris paſcuntur, donec ipſis nigreſcentibus corvus ſuccurrit, vel çertè ciniphes & muſcas deglutiunt, quæ ſpumæ roſtrorum inhærent, cum famelici adhuc fortiter clamare non ceſſant.

Matth. 6. ARGUMENTUM falſæ Paupertatis vel avaritiæ eſt, libenter munera
Pſalm. 135. & 156. petere præter neceſſaria, vel ea libenter accipere. Talis libertatem ſuam vendit, juxta verbum Philoſophi: Munuſcula accipere, eſt libertatem vendere. Quomodò enim Paupertatis Amator eſt, qui nullum defectum ſuſtinere vult, & munera non neceſſaria frequenter accipit, imò petit, & cum quadam ſubtilitate extorquet, & præter neceſſitatem conſervat?



DE CASTITATE.

CAPUT VI.

CASTITAS Virginalis vera & perfecta est, cùm non solum corpus à pollutione carnalis concupiscentiæ custoditur, verùm etiam anima à carnali concupiscentia munda servatur, exemplo Saræ dicentis: Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, sed mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, imò ab eis, quæ præstant occasionem concupiscentiæ. Et hoc est quod sequitur: Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Tob. 3.

ILLE verè castitatem amat, qui potiùs per castitatem virginalem, si possibile esset, modicam eligeret gratiam in præsenti, & gloriam in futuro propter conformitatem JESU Christi, quàm si mereri posset gratiam & gloriam majorem per debitum conjugale.

AD amorem Castitatis inducere nos debet exemplum Castitatis Domini nostri JESU Christi, & Matris ejus, & sanctarum virginum, quæ olim pro

conſervatione Caſtitatis Regna mundi contempſerunt, & vitam ſpontè perdiderunt, ſicut beata Agnes, Catharina, & ſimiles; præcipuè quoque Caſtitas mulierum paganarum & virginum, de quibus dicit Hieronymus, quòd mortem elegerint, ut pudicitiam conſervarent. Item munditiæ & libertates inde ſequentes invitare nos debent ad Caſtitatem, ſicut & gloria Caſtitatis promiſſa à Domino JESU Christo. Sic enim loquitur: Qui vi-
Apoc. 3. cerit (concupiſcentiam Carnis ſcilicet) dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. Nam incorruptio fa-
Sapient. 6. cit eſſe proximum Deo.

CONSERVANT autem Caſtitatem, & inductiva ſunt ejusdem, victûs parcitas, cultûs vilitas, corporalis incommoditas, fugere itidem locum & tempus impudicitiæ opportunum. Quòd ſi Dina filia Jacob fugiſſet, rapta
Gen. 34. non fuiſſet, quando venit videre mulieres regionis illius. Item vitare omnes homines ſuſpectos. Debet autem cuilibet fœminæ quilibet maſculus eſſe
2. Reg. ſuſpectus. Ex hoc Thamar filia David à proprio fratre Amon corrupta fuit, quòd eum ſuſpectum non habuit, quando ei ſoli tanquàm infirmo miniſtravit. Similiter unicuique viro ſu-

ſpecta

ſpecta debet eſſe unaquæque mulier etiam ſancta ſecundum conſilium Hieronymi dicentis: Si caſtitatem ſervare volueris, fœminam, quamvìs benè converſantem videris, mente dilige, non præſentia corporali.

PRÆCIPUUM conſervativum Caſtitatis eſt, delectari in Domino, tunc enim omnia alia viléſcunt. Guſtato enim ſpiritu deſipit omnis caro. Unde Gregorius: Eſſe quidem anima ſine delectatione non poteſt, nam aut delectatur in infimis, aut in ſummis, & quanto altiore ſtudio exercetur ad ſumma, tanto majore faſtidio torpeſcit ad infima, quantóque acriori cura inardeſcit ad infima, tantò tempore damnabili frigeſcit à ſummis. Gregor. in Mor. lib. 18 cap. 6.

ARGUMENTUM veræ Caſtitatis eſt, refrenatio quinque ſenſuum ab illecebris carnis, & ſubtractio cordis à vanitatibus & cogitationibus delectabilibus. Nam ex delectatione viſûs in videndo, guſtûs in guſtando, odoratûs in olfaciendo, tactûs in tangendo, pedum in ambulando, oris in ridendo & loquendo, naſci ſolent carnalia deſideria, quæ animam ad impudicitiam aut emolliunt, aut inclinant.

ARGUMENTUM ſive inductivum impudicitiæ eſt intemperantia potûs, Gen. 9.

Gen. 19. tûs, Ex hoc enim Noë impudicè nudatus fuit, & Loth cum propriis filiabus incestum commisit. Ideóque præ-
Ephes. 5. cepit Apostolus dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, scilicet per occasionem. Item impudicus oculus, teste Augustino, impudici cordis est nuntius. Similiter impudica verba, impudicus incessus, & colloquium mulierum teste Ecclesiastico, quasi ig-
Ecclef. 9. nis inardescit. Similiter colloquium viri mulierem inflammat. Item diligens consideratio incessûs & formæ alterius ad impudicitiam provocat, quod dissuadet Ecclesiasticus dicens:
Ecclef. 9. Ne respicias virginem, ut non scandalizeris in decore ejus. Ideò cavendum est fœminæ à viris, & viro à fœminis. Hoc salubre consilium seque-
Iob. 31. batur Job, cùm pepigit fœdus cum oculis suis, ut non solùm caveret à conspectu virginis, sed etiam, ne cogitaret quidem de virgine, quod plùs est, quàm solùm cavere à conventu virginum.



DE ABSTINENTIA.

CAPUT VII.

ABSTINENTIA vera & perfecta est usus necessarii tantùm victûs &

& veſtitûs, & omnimoda ſubtractio delectabilium & ſuperfluorum, & eorum, quæ multâ diligentiâ fiunt, & magnis ſumptibus comparantur. Exemplo ſit Beatus Joannes Baptiſta, qui locuſtas comedit, & folia arborum lactearum ſaporem mellis habentia, & aquam bibit, & veſtem de pilis camelorum habuit. Unde Apoſtolus: Habentes alimenta & quibus tegamur (non quibus ornemur) his contenti ſimus. Servus enim Dei non debet habere veſtimentum ad decorem, ſed ad tegendam ſuam nuditatem, ſicut dicit gloſſa ſuper Lucam de veſte Joannis.

Matth. 3.

1. Tim. 6.

ILLE verè Abſtinentiam ſervat & amat, qui non ſolùm abſtinet libenter à delectabilibus, quæ non habet, & quæ ipſi ſunt illicita; ſed etiam vitat ſponte & purè propter Deum delectabilia, quæ habet, & quæ habere poſſet, quibus etiam licitè & meritoriè uti liceret, ſive cara, ſive delectabilia ſint, ſive vilia. Nam ſi plûs delectaretur in pultibus, quàm in perdicibus, in aqua plùs, quàm in vino, acceptius eſſet Deo à pultibus, quàm à perdicibus, ab aqua, quàm à vino abſtinere. Dicit enim Auguſtinus: Delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio ſumantur, non officiunt, & cibi viles delectabiliter vel appetenter accepti, pro-

2.Reg.23. profectum impediunt abstinentiæ. David enim aquam malè concupitam effudit, & Helias carnem non cupitam
Gen. 25. comedit à Deo per corvos missam. Hoc testatur Esau, qui non propter gallinam, sed lenticulam irrecuperabiliter benedictionem amisit. Nec solùm abstinendum est à delectabilibus corporis, sed etiam ab eis, quæ delectant animum, sicut à vanis colloquiis, à gaudio temporali, à peccato mortali, ab amicitia carnali. Hæc abstinentia laudabilior est, quàm prima, & habenda est purè propter Deum, non propter aliquam mercedem temporalem vel gratiam.

INDUCTIVA veræ Abstinentiæ duo sunt: Unum, quòd nunquam cum debita gratitudiue dona Dei percipimus, & nunquam ad debitum finem eis, neque secundum ordinationem divinam fruimur, & ex hoc iram Dei graviter incurrimus. Aliud est, quod de omnibus donis perceptis strictam rationem Deus exiget, quo fine ipsa sumpserimus, an pro nostra voluptate, vel pro justa necessitate, vel pro communi utilitate. A quibus autem quísque abstinet, de illis reddere eum rationem non oportebit.

DUPLEX autem utilitas sequitur abstinentiam, scilicet divinorum secreto-

torum cognitio, & bonorum deſideriorum exauditio. Quæ duo patent in Daniele, qui cùm uti nollet cibo & potu regio, ſed aquam cum leguminibus ſumeret, cunctos magos & ariolos tranſcendit in agnitione viſionum atque ſomniorum. Deinde ad preces ejus ſeptem anni, quibus Nabuchodonoſor vivere debuit ut beſtia, mutati ſunt in ſeptem menſes. Idémque cùm impetrâſſet populo à Deo facultatem in Hieruſalem redeundi, impetravit & eidem populo voluntatem eodem redeundi, cùm redire tardaret. Idem Daniel in multis deſideriis ſuis & myſteriis propter abſtinentiam fuit exauditus, ſicut ipſe teſtatur dicens: In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque unguento unctus ſum. Ideóque Angelus dixit ei: Ex die primo, quô poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua. Tertium poteſt eſſe, miſericordiæ Dei impetratio, ut patet de Ninivitis, qui per abſtinentiam miſericordiam Dei impetraverunt Jona prædicante.

Dan. 1. Dan. 4. Dan. 10. Ioan. 3.

MIRARI poſſumus, ſed non imitari abſtinentiam Sacerdotum antiquo-

Hieron. lib. 2. adverſ. Iovin. ante medium.

quorum Ægyptiorum, de quibus ſcribit Hieronymus, quòd à carnibus & vino ſe ſemper abſtinuerint propter tenuitatem ſenſûs, & vertiginem capitis, quam ex parvo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, quæ ex his cibis, & ex vini potione naſci ſolet. Pane rarò veſcebantur, ne onerarent ſtomachum. & ſi quando comedebant, tuſum pariter hyſopum ſumebant in cibo, ut eſcam graviorem illius calore decoquerent. Oleum tantùm in oleribus noverant, verùm ex eo parùm ſumebant propter nauſeam & aſperitatem guſtûs leniendam. Quid loquar de volatilibus? cùm ova propter carnem vitaverint & lac, quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant colore mutato, tum humores corporis, qui naſcuntur ex otio & ex unius loci manſione, nimia victûs caſtigatione ſiccabant.

ARGUMENTUM veræ Abſtinentiæ eſt, cùm non ſolùm cibis pretioſis & delicatis quis in ſanitate uti reſpuit, ſed etiam cùm infirmitas vel alia neceſſitas cogit, cum dolore mentis eos percipit. Item, cùm non ſolùm à pretioſis & delicatis & ſuperfluis alimentis abſtinet, imò ſibi neceſſaria etiam quandóque ſubtrahit, ut aliis indigentibus impartiri poſſit. Juxta illud

illud Hieronymi. Quod manducaturus eras, si non jejunares, da pauperibus, ut jejunium corporis sit sanitas animæ, non marsupii lucrum.

ARGUMENTUM falsæ abstinentiæ est, vitare pretiosa & delicata cibaria tantùm eo tempore, quo non habentur, vel propter vanam gloriam, ut homo laudetur, vel propter parcitatem, ne depauperetur, vel propter avaritîam, ut ditetur, vel ad cavendam corporis infirmitatem, vel ad vitandam infamiam & detractionem, vel ad consequendam dignitatem, vel transitoriam utilitatem, & non ad promerendam gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.

DE PRUDENTIA,

CAPUT VIII.

PRUDENTIA vera & perfecta est, semper niti ad cognitionem divinæ naturæ, & ad profunditatem humanæ miseriæ. Quam prudentiam optavit Augustinus dicens: Noverim te, noverim me! Ille veram prudentiam habet, qui solicitè cognoscere laborat, quid sit optimum,

& hoc toto nisu amplectitur, quid sit etiam pessimum, & hoc toto corde detestatur.

ILLE verè prudens est, qui frequenter pensat, quid bonis, quid malis futurum sit, quanta delectatio sit bonis uniri summo bono æternaliter, quanta amaritudo malis æternaliter à summo bono separari. Ille vera prudentia fruitur, qui summoperè fugit omne illud, quod elongat ad tempus à familiaritate Dei, scilicet peccatum veniale, & quod semper separat à fruitione Dei, scilicet peccatum mortale. Similiter ille vera prudentia fruitur, qui diligit omnia, quæ hominem Deo propinquiorem faciunt, ut sunt opera bona, & quæ æternaliter uniunt Deo, scilicet virtutes & Spiritûs Sancti dona.

INDUCTIVUM veræ Prudentiæ est exemplum Philosophorum, qui tantum pro scientia laborabant, ut scribit Hieronymus, quòd reliquerunt frequentias urbium, & hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, & arborum comæ, & susurrus avium, fontis speculum, rivus immurmurans, & multæ aurium oculorúmque illecebræ, ne luxu & abundantiâ copiarum animæ fortitudo mollesceret, & ejus Prudentia constupraretur. Inutile quippe est, crebrò videre, per quæ aliquando

Hieron. lib. 2. advers. Iovi.

captus

captus ſis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careat. Pythagoræi hujuscèmodi frequentiam declinantes, in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueverunt. Et quoſdam legimus ſibi effodiſſe oculos, ne per viſum ipſum à contemplatione Philoſophiæ avocarentur. Quòd ſi quis exiſtimat, abundantiâ ciborum potionúmque ſe perfrui, & poſſe vacare ſapientiæ, hoc eſt, verſari in delitiis, delitiarúmque vitiis non teneri, ſeipſum decipit. Senſus enim noſter cogitat id, quod videt, audit, odoratur, guſtat & attrectat, & ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur voluptate. Quantò magis nos, qui divinæ ſapientiæ ſtudere debemus, hac in parte Philoſophis ac Ethnicis non decet eſſe inferiores.

AD idem nos inducere debet multorum damnatio ex imprudentia conſequens, juxta illud Iſaiæ: Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Et Baruch aſſerit. Quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. Eſaiæ 5. Baruch 3.

OFFICIUM prudentis eſt ordinare cogitationes cordis, ne extrà Deum vagentur, & affectus mentis, ne circà creaturas nimiùm occupentur, volun-

tates, ne à Deo avertantur, intentiones, ne misceantur, sed purificentur, judicia & suspiciones, ut ad melius convertantur. Similiter omnia verba & facta & incessus ordinare debet, ut ad debitum finem omnia fiant pro communi utilitate & omnium emendatio-
Eccles. 8. ne. Nam sapientia hominis, teste Salomone, relucet in vultu ipsius, hoc est, in conversatione exteriore. Qui sic ordinatus est, habet argumentum veræ prudentiæ. Item dicit Bernardus: De hac quotidiana discussione examina vitam tuam, & attende diligenter, quantùm profeceris, quantùm defeceris, qualis sis in moribus, qualis in affectionibus, quàm similis & dissimilis Deo? Stude teipsum diligentissimè cognoscere, quia multò melior es, si te ipsum cognoveris, quàm si te neglecto cognoscas cursus siderum & vires herbarum.

ARGUMENTUM falsæ prudentiæ est, niti cognoscere cursus siderum, vires herbarum, virtutes gem-
1. Cor. 8. marum propter lucrum tantùm. Talis enim scientia non ædificat, sed inflat. Item astutum esse in negotiis sæcularibus falsam indicat prudentiam, imò stultitiam. Nam testante Apostolo,
1. Cor. 3. Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Tales heu! multi sunt, de qui-

quibus conqueritur Dominus JEſus, Luc. 16.
dicens: Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua. Item alii ſubtiles ſunt ad excogitandum nequitias & novas adinventiones, ſed cæci ad conſiderandam voluntatem Dei. De talibus dicit Jeremias: Sapientes ſunt ut faciant mala; Ierem. 4.
benè autem facere neſcierunt. Tales Rom. 1.
credentes & dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, ut dicit Apoſtolus.

* *
* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

DE FORTITUDINE.

CAPUT IX.

FORTITUDO vera & perfecta eſt dominari animo ſuo, cùm tentatur quis à ſuperbia, invidia, ira, luxuria, avaritia, vana gloria, complacentia vel delectatione carnali, cúmque ratio intelligens nequaquam conſentit, ſed ſtatim reprimit. Unde Salomon: Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Hanc fortitudinem Samſon robuſtiſſimus non habuit, licet Leonem dilaniaverit, & cum mandibula aſini mille viros ſtraverit, qui propter concupiſcentiam mu-

Proverb. 16.
Iud. 14.
Iud. 15.
Iud. 16.

mulieris, omni fortitudine privatus est.

ILLE veram fortitudinem habet, qui ab illicitis membra & sensus suos reprimit. Illam David
1. Reg. 17. 2. Reg. 12. non habuit, qui tametsi Ursum & Leonem occidit, & Goliath interfecit, tamen oculos suos ab illicito usu non cohibuit. Eja! quantæ fortitudinis sunt quidam ad jejunandum, vigilandum, castigandum corpora sua ciliciis & flagellis, nec tamen possunt refrænare pedes suos à viis noxiis, non manus suas ab opere & tactu illicito, non aures ab auditu nocivo, & præcipuè non linguam à verbis damnosis,
Jacob. 3. Beato Jacobo dicente: Omnis igitur bestiarum & volucrum natura domari potest à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest. Est enim lingua malum inquietum, plenum mortifero veneno. Tamen sine hac linguæ refrenatione non est vera religio, sicut dicit idem Apostolus: Si quis putat se religiosum esse,
Jacob. 8. non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.

INDUCTIVUM veræ Fortitudinis est degustatio spiritualis suavitatis. Hæc enim roborat mentem ad faciendum bona, ad tolerandum adversa, ad

vincendum vitia & animæ nociva. 1. Reg. 14
Hoc præfiguravit Jonathas, qui gustans parum mellis, illuminatus & confortatus est ad persequendum inimicos. Sic Moyses percipiens suavitatem Exod. 24.
mentis ex visione & collocutione divina, tantum confortatus est, ut per quadraginta dies alimento corporali non indigeret.

OFFICIUM Fortitudinis est, firmare intellectum in cognitione Dei & affectum in dilectione Dei & proximi. Item roborare mentem inter adversa ne terreatur, inter prospera ne mulceatur. Item mentem animare, ut semper exerceatur in bonis, confortare ipsam, ne unquam vincatur in malis. 2. Cor. 11.
Primam fortitudinem habuerunt Paulus & Stephanus, secundam Matathias & Eleazarus, Job & Daniel, tertiam Tobias. Qui igitur hæc in seipso sentit, de argumento veræ Fortitudinis securus sit. Actor. 7. 2. Mach 6. Iob. 1. Psal. 33. Tob. 1. & 2.

ARGUMENTUM Fortitudinis falsæ, imò pessimæ est, multa & magna posse contra Deum committere. De hac dicit Anselmus: Peccare non est libertas, nec pars libertatis, peccare est potiùs non posse, quàm posse. Quicúnque enim hoc potest, quod sibi non expedit, quantò magis hoc potest, tantò magis adversitas & per-

Esaie 5. versitas possunt in illum. Unde Esaias, Væ! qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Hanc Fortitudinem habuerunt olim persecutores Ecclesiæ Matth. 24. Reges & Principes, & hodiè habent & habebunt in posterum Antichristus & servi ejus.



DE JUSTITIA.

CAPUT X.

JUSTITIA vera & perfecta ad Deum est, laudem naturæ divinæ debitam in omnibus reddere, & bonorum auctori debitam gratiarum actionem pro omnibus donis collatis & malis perpessis tribuere, sicut & pro omnibus commissis & omissis ei satisfactionem offerre, ac rursùs pro gratiis omnibus ab homine neglectis legitimum, ac ferventem dolorem assumere. Ille veram justitiam ergà Deum habet, qui semper & ubique in omnibus præceptis & votis servandis Deo fidelis est, qui præthereà tantam diligentiam singulis operibus peragendis apponit, quasi tota ipsius salus ex unoquóque opere dependeat, tum qui purè

purè propter Deum omnia opera bona facit. non autem propter aliquem favorem, vel utilitatem præsentis vitæ, vel futuræ, vel æternæ, qui demùm cum debita gratitudine singula Dei dona percipit, & eis secundum ordinationem Dei fruitur semper & ubique.

VERA justitia erga proximum est in duobus, ut nunquam facias proximo, quod tibi justè fieri nolis: hoc est, nunquam lædere vel offendere proximum verbo, facto, signo, vel consilio in rebus, corpore & honore, nunquàm de ipso malè suspicari, nunquàm ipsi detrahere, nunquam bonum ejus pervertere vel diminuere, nunquam ipsum in bono impedire. Hæc enim nemo sibi secundum Justitiam vult fieri. Alterum est, ut proximo facias, quod tibi justè velles, hoc est, proximum honorare, bonum de ipso sentire, omnia facta ejus etiam mala in bonum convertere, semper in bono memoriam ejus habere, semper ipsum in bono promovere, semper bono ejus congaudere, & malo rursùs condolere, innocentiam ejus excusare, ipsum absentem propugnare. Hæc enim secundum justitiam, quisque sibi vult fieri. Et ideò dicitur secundùm justitiam, quia judex pro furto nollet suspendi, & tamen furem debet suspen-

Tob. 4.

Matth. 7.

dere, quia illud nolle non habet ſecundùm juſtitiam. Et prædo libenter vellet ſpoliari, ut ſibi liceret ſpoliare, quod tamen facere nõ debet, quia illud velle non habet ſecundùm juſtitiam. Item juſtitiam veram, quoad mortuos, ſervat, quia Teſtamenta ſecundùm ordinationem eorum expedire non tardat, quia jejuniis, orationibus & eleemoſynis ſecundùm eorum confidentiam pœnas ipſorum pro ſuo virili alleviat & abbreviat. Ut enim Bernardus docet, pœnæ illorum qui ſunt in Purgario, per jejunia, orationes & eleemoſynas abbreviantur. Item juſtitiam erga Angelos ſervat, qui ſalutaribus eorum conſiliis acquieſcens, gloriam ipſis ex hoc debitam non retardat, quam ipſi pro impenſo nobis obſequio promerentur.

INDUCTIVUM veræ Juſtitiæ
Pſalm. 10. eſt, quod dicit David: Juſtus Dominus & Juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Item, quia juſto promittitur in præſenti ſpes & lætitia, ſecundùm illud: Lætabitur juſtus in
Pſalm. 36. Domino, & ſperabit in eo. Item
Pſalm. 31. juſtis indicitur exaltatio & laudatio ſecundùm illud: Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio. Item juſtis prædicitur ſecuritas in judicio, ſe-

ſecundùm illud; Stabunt juſti in magna conſtantia &c. Item Juſtis fit æternæ vitæ promiſſio, ſecundùm illud; Juſti in perpetuum vivent, apud Dominum eſt merces eorum. Et quicquid Deus boni pollicetur in ſcriptura, hoc maximè per juſtitiam acquiritur. Sap. 5. Sap. 5.

OFFICIUM veræ Juſtitiæ eſt, rectificare cogitationes & affectiones, ut ſemper in Deo, voluntatem ut conformis ſit divinæ voluntati, intentiones, ut ſemper ad Deum tendant, & ad laudem ejus cuncta conferamus: Similiter omnia verba & facta eò dirigere, ut ſemper ad aliquem ſpiritualem & certum finem fiant, & in his eſt argumentum veræ Juſtitiæ.

ARGUMENTUM Injuſtitiæ eſt, uſurpare ſibi, quæ propria ſunt Dei, ſcilicet amorem, laudem, honorem, vindictam, vel ea, quæ proximi ſunt, propria ſunt, eíque debentur. Vera enim Juſtitia dat unicuíque, quod ſuum eſt.



DE TEMPERANTIA.

CAPUT XI.

TEMPERANTIA vera & perfecta eſt, juſta moderatio motuum interio-

teriorum, & exteriorum operum. Ille veram temperantiam habet, qui non solùm moderatur & refrænat cor suum à pravis cogitationibus & inutilibus, sed etiam modum servat in bonis, ne sæpiùs vel diutiùs cogitationes bonæ inhæreant, quàm justum tempus requirit. Quia officiales cogitationes licet utiles sint, tamen non sunt tractandæ infrà divinum officium. Ut enim dicit Bernardus: Spiritus Sanctus illâ horâ gratum non recipit, quicquid aliud quàm debes, neglecto eo, quæ debes, obtuleris. Similiter verè temperatus moderatur passiones, & affectiones suas, quando aliquid vel nihil sperare debeat vel timere, & quantùm, & quamdiu, & de quo aliquid vel nihil gaudere debeat vel dolere, & quantum & quamdiu, & de quo amorem vel odium, vel pudorem habere vel non habere debeat, & quantum & quamdiu. Similiter qui temperatus est, moderatur intellectum, ne ampliori tempore, quàm oportet, se occupet circa aliquid ad intelligendum. Similiter moderatur voluntatem, & qualis vel quanta illa esse debeat, & intentionem, & qualis vel quanta esse non debeat, & ad quem finem. Similiter liberum arbitrium ponderat, quantum debeat eli-

Bernard. serm. 14. sup. cant.

eligere bonum, & qualiter reprobare malum.

SIMILITER vera Temperantia moderatur linguam, quando nempè loquendum, quando tacendum & quamdiu, hoc est, tempore opportuno, cui loquendum, hominibus scilicet bonis, non suspectis, quando loquendum & ubi, scilicet loco & tempore non suspecto, qualiter & quantum loquendum, scilicet maturè, cum pondere, numero & mensura, & propter quid, scilicet propter necessitatem, vel utilitatem, & pro quibus negotiis, scilicet animæ & corporis. Similiter mensurat facta & mores & motum omnium membrorum, ut secundùm Apostolum omnia ordinatè & justa intentione, & in charitate, & ad debitum finem fiant. 2. Corinth. 14. 16. & 10.

AD veram Temperantiam inducere nos debet ornatissima sapientia divina, quæ omnia disponit in pondere, numero, & mensura. Secundum hanc ordinationem omnis actio nostra, mores & vita nostra debent esse moderata, mensurata, numerata & ponderata, hoc est, in virtute Patris, cui mensura, in virtute Filii, cui numerus, in virtute Spiritûs Sancti, cui pondus ascribitur.

Ad idem inducere nos debet exemplum

plum Temperantiæ Apoſtoli dicentis: Sine offenſione eſtote Judæis & gentibus & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego omnibus per omnia placeo. Verè temperatus ille fuit, qui nullum offendit, & per omnia omnibus placuit.

1. Corinth. 10.

ARGUMENTUM veræ Temperantiæ habet, qui ſe moderatur in victu, veſtitu, ſomno & in omni commodo carnali, & in lætitia temporali nullam ſuperfluitatem, nec inordinatam delectationem, ſed puram neceſſitatem admittit in his omnibus. Verè temperatus in omnibus modum ſervare nititur, præterquàm in amore & laude Dei & gratiarum actione. Nam magnus Dominus & laudabilis nimìs, ideòque ille ſine modo, ſine menſura, ſine fine amandus & laudandus eſt.

Pſal. 42.

ARGUMENTUM Intemperantiæ eſt, cùm aliquis diſtortos habens mores, omnes ſecum commorantes diſturbat & offendit, in nullo cuiquam ſe conformat, ſed quod ſibi ſoli placet, hoc approbat, & hoc perficere contendit, omnibus importabilis, ſibi ipſi intolerabilis. Unde Auguſtinus: juſſiſti Domine & ita factum eſt, ut ſibi ipſi ſit pœna omnis animus inordinatus. Quantò igitur magìs aliis? Talis fuit Iſmaël, de quo ſcriptum eſt. Hic erit ferus homo, manus ejus contra

Gen. 16.

tra omnes, & manus omnium contra eum.



DE COMPASSIONE.

CAPUT XII.

COMPASSIO vera & perfecta ergà Deum est, incessanter in corde tristitiâ vulnerari pro omnibus injuriis Deo illatis, & adhuc inferendis in se & amicis ejus, quos, qui tangit, quasi tangit pupillam oculi ejus. Omnia certè elementa Christo Domino in Cruce morienti quodammodô compassa fuerunt. Zach. 2.

ERGA proximum vera compassio est, intimè condolere aliorum afflictionibus tam corporalibus, quàm spiritualibus, exemplo Apostoli dicentis: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Ubi Glossa dicit: Quis infirmatur in fide & in aliqua virtute, & non Infirmor? id est, non doleo de eo, sicut de meipso? Quis scandalizatur in aliqua molestia, & ego non uror, igne scilicet Compassionis? 2. Corinth. 11.

Erga proximos in purgatorio degentes vera Compassio est, vehementer affli-

affligi ob acerbitatem pœnarum, quas illi sustinent, & præcipuè, quòd à visione & fruitione Dei separentur, quódque Deus interim plenariè ab ipsis non laudetur. Hinc talibus animabus compati, & pro illis affligi debemus, simúlque incessanter & ardenter Deo supplicare, ut eas à tanta acerbitate & asperitate subitò eripere dignetur.

Ad veram Compassionem inducere nos debet abundantissima Christi ergà nos Compassio, qui teste Augustino, sic festinat Peccatorem absolvere à tormento suæ conscientiæ, quasi plùs eum cruciet Compassio miseri, quam ipsum miserum Compassio sui.
Esaiæ 53. Nec solùm compassus est olim, sed & verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Hoc
1. Cor. 12. idem natura membrorum suadet, quia teste Apostolo: Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.

ITEM duplex est utilitas Compassionis, quæ nos allicere debet ad compassionem, scilicet charitatis confir-
Ecclef. 7. matio, & Christi conregnatio. De prima dicitur in Ecclesiastico: Non desis plorantibus in consolatione, nec te pigeat visitare infirmos, cum lugen-
Rom. 8. tibus ambula, ex his enim in dilectione

ne confirmaberis. De ſecunda dicit Apoſtolus: Si compatimur & conregnabimus, ſi commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. Rara eſt virtus Compaſſionis conquerente idcircò Domino JESU; Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit. Pſal. 68.

ARGUMENTUM veræ Compaſſionis eſt, nō tantùm condolere amicis, verùm & inimicis. Sic Joſeph ſuper ſingulos Fratres flevit, qui eum pro triginta denariis vendiderant. Sic David planxit planctu magno ſuper mortem Saul, qui eum ſæpè occidere propoſuerat, imò doceri fecit filios Iſraël carmen planctûs ſuper eundem Saul. Sic mortuo Abſolon, qui eum licèt Patrem extirpare voluit de regno, coopertο capite lugebat eum dicens: Quis mihi det, ut ego moriar pro te fili mi Abſolon? Et ſimiliter Job: Flebam, inquit, quondam ſuper eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima pauperi.

Gen. 48. Gen. 37. 2. Reg. 1. 2. Reg. 18. & 19. 2. Reg. 18. Iob. 30.

ARGUMEMTUM falſæ Compaſſionis habet, qui profert verba Compaſſionis, & multum Compaſſionis exhibet, & tamen de afflictione proximi gaudet in corde ſuo, & afflictionem proximi, cùm poſſet, non alleviat, ſed provocat, vel qui affligen-

tes, quando poteſt, non compeſcit, ſed potiùs alios ad affligendum ſigno verbo, vel facto provocat & confortat.



DE PACE.

CAPUT XIII.

PAX vera ad Deum eſt, cùm quinque ſenſus, & uſus membrorum omnium, & omnia exteriora & interiora ad nutum rationis diſponuntur, cúmque omnes cogitationes, affectiones, voluntates, intentiones & omnia interiora ſecundùm ordinationem rationis fiunt, & ratio, illa primò ſecundum voluntatem Dei penitùs ordinatur. Quotiescúnque verò ſine conſenſu rationis benè diſpoſitæ quidquam agitur, ſtatim pax pectoris conturbatur. Ille veram Pacem cum Deo habet (ut dicit Gloſſa ſuper illud ad Romanos: juſtificati per fidem Pacem habeamus ad Deum) qui adversùm mandata Dei contraria voluntate non litigat, qui ſequitur juſſa Domini, & ad omne præceptum divinum ſuum flectit arbitrium. Pax enim vera eſt, concordare cum moribus probis, & litigare cum vitiis.

Rom. 5.

ILLE veram Pacem cum proximo ha-

habet, qui toto nisu cavet, ne quemquam cum proposito quacunque occasione perturbet. Qui enim ex deliberatione aliquem perturbat, sine turbatione nullatenùs aliquâ horâ esse potest. Aut enim turbatus, si potest, se vindicat, aut si vindicare non potest, dissimulat, ex perturbatione tamen facta stimulum & remorsum conscientiæ semper secum portat.

ILLE veram Pacem quærit, qui continuè semetipsum tantùm considerat, & unumquémque proprio relinquens judicio, omnibus postpositis curis transitoriis in sola Dei contemplatione quiescit. Ibi enim solummodò Pax invenitur. Hinc illud Augustini: Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

AD amorem veræ Pacis inducere nos debet duplex utilitas Pacis, scilicet suavitas & quies mentis, quæ Pacem sequitur. Hæc suavitas est quasi pars & initium æternæ suavitatis & quietis, æternam & continuam habitationem Deo præparans in anima. Deus autem est, qui propter nimiam mansuetudinem suam tantùm in corde quieto locum habet & requiescit, Psalmista teste. Psalm. 4. & 75.
In Pace in idipsum dormiam & requiescam: Et iterum. In Pace factus est locus ejus; quod testatur Apostolus 2. Corinth. 23.

 di-

dicens: Pacem habete, & Deus Pacis erit vobiſcum.

VERAM Pacem conſervat hoc, quod dicit Hieronymus ſuper Epiſtoſtolam ad Epheſios: Si bona noſtra invicem diligamus, ſi peccata, quæ ſine damno tritici, aut cum ſpe ſalutis corrigendorum eradicari non poſſunt, uſque ad meſſem ultimam toleremus, ſi etiam perfectionis opera, quæ fieri & non fieri poſſunt, ne infirmi ſcandalizentur, non facere diſponamus.

ARGUMENTUM veræ Pacis habet, qui omnem locum & omnes homines, omnes actiones vitat, ex quibus probabiliter turbatio ſequi poteſt. Item argumentum certiſſimum veræ Pacis habet, qui præcepta Dei & vota ſemper & ubique tenet. Hinc Pſalmi-
Pſalm. 118. ſta, Pax multa diligentibus legem tuam. Argumentum veriſſimæ Pacis eſt, quando caro in omnibus ſpiritui ſubjugatur.

ARGUMENTUM falſæ Pacis habet, qui non evellit omnes radices turbationis, quæ ſemper in homine pullulare ſolent. Hæ ſunt propria voluntas, animi libertas, morum ſingularitas, appetitus placentiæ, de quibus alibi dictum eſt. Item non eſt vera Pax, quæ non ex propria virtute, ſed ex gratia aliorum habetur. Verbi gra-

gratiâ: Sunt quidam, qui firmam Pacem habent, quamdiu nihil contrarii ſentiunt, ſed quidquid eis placet, hoc in omnibus inveniunt. Cùm verò aliquid fit, quod ipſi non excogitant, vel quod eis minùs placet, ſtatim Pacem cordis amittunt. Tunc non eſt virtus Pacis in eis, ſed potiùs in extraneis, ideóque illam Pacem auferunt extranei, quando volunt.

Sed qui veram Pacem deſiderant, non debent advertere, quid alii faciant, vel loquantur, ſive adulentur, ſive detrahant, ſed ſemper quæ Pacis ſunt cogitent, & ſic virtus Pacis in ipſis veraciter & finaliter permanebit.



DE MISERICORDIA.

CAPUT XIV.

MISERICORDIA vera conſiſtit, in tribus, in dando, in condonando, & ſupererogando. Verè miſericors quamdiu aliquid habet, indigentibus neceſſaria ſubminiſtrat, quod ſi non faceret, veram miſericordiam non compleret, dicente Chryſoſtomo; Quamdiu aliquid habens omnibus non ſubveneris, nondum debitum omne im-

plêsti. Qinque enim fatuæ virgines oleum habuerunt, sed non copiosum usque in finem. Hanc Misericordiam
Iob 31. habuit Job dicens: Foris non mansit peregrinus, & ostium meum Viatori patuit, si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ exspectare feci, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea? quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero Matris meæ egressa est mecum. Sed qui substantiam dat, & injurias non condonat, nullam Misericordiam facit, ut dicit Gregorius.
Gregorius in Moral. lib. 22. cap. 12. Ideò verè Misericors spontè, antequam rogetur, omnem injuriam ex corde remittit, nunquam vindicaturus nec per se, nec per alios, imò verè Misericors ad remittendum injurias, est paratior, quàm alter ad veniam petendam, qui injuriam fecit. Etenim verè Misericors plûs dolet de peccato
2. Reg. 16. lædentis, quàm de afflictione injuriáque sibi illata. Sic David Semei maledicenti, & lapides contra eum mittenti ex corde dimisit etiam non petenti, & ne per amicos suos occideretur, prohibuit dicens: Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & r[...]ddat mihi bonum pro maledictione hac [...]hodierna. Sic Joseph pepercit fra-

fratribus suis, antequam peterent veniam flendo super singulos. Nec hoc sufficit verè Misericordi, nisi injuriantibus etiam suis precibus veniam à Deo obtineat. Ita Moyses Judæis ipsum lapidare volentibus gratiam impetravit, dicens: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti. Sic Stephanus lapidantibus, sic Dominus JESUS crucifigentibus veniam & gratiam obtinuit, cùm uterque dixit; Domine dimitte eis, quia nesciunt, quid faciunt. Ubi aliis injuriam inferentes excusantur, quasi diceretur: Non pollent intellectu, ut scire possint, quid faciant; ideóque ipsis, quod fecerunt, meritò non est imputandum, sed parcendum.

Gen. 48.

Exod. 23.

Luc. 23.
Actor. 7.

AD amorem veræ Misericordiæ inducere nos debet, quòd Deus in sua natura summè Misericors est, & in aliis Misericordiam diligit suprà modum, sicut ipse dixit: Euntes autem discite, quid est? Misericordiam volo, & non Sacrificium.

Matth. 9.

ALIUD inductivum Misericordiæ est, quòd misericors Deus immisericordes homines in Judicio sine Misericordia judicabit. Nam, teste Jacobo, Judicium sine Misericordia fiet ei, qui non fecerit Misericordiam. Item misericordes à Deo copiosè Misericordiam

Jacob 2. Proverb. 19. consequentur. Fœneratur enim Domino, qui miseretur pauperis, id est, cum magna usura & lucro recipiet, quidquid pauperibus elargitur.

OFFICIUM Misericordiæ est, collocare singulos pro meritis apud Deum, juxta illud Ecclesiastici: Omnis Misericordia locum facit unicuíque secundum opera ejus. Eccles. 16.

ARGUMENTUM veræ Misericordiæ est, cùm aliquis sibi de bonis subtrahit, quidquid salvâ vitâ sibi subtrahere potest, insuper & continuè laborat etiam suprà vires, ut possit indigentibus ampliùs subvenire.

ARGUMENTUM falsæ Misericordiæ est, cùm quis necessitatem cujuslibet pro virili sua non sublevat, sed dicit indigentibus illud Jacobi: Ite in Pace, calefaciamini & saturemini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Unde Chrysostomus: Opus est etiam de tuo non tam parcum esse, sed cùm Domini tui tibi creditæ sint facultates, cur tam tenax es? Item si lædentibus remittit, cùm se vindicare non potest, vel si offendentibus non ex puro amore remittit, sed ob hoc, quòd sciat Deum sibi non remittere, nisi priùs remittat ipse, aut si voce tenùs orat pro lædentibus, & tamen de eorum confusione gaudet interiùs. Jacob. 2. Chrysost. hom. 76. sup. 10.

DE

DE CONCORDIA.

CAPUT XV.

VERA cum Deo Concordia est, uniri hominem divinæ voluntati in prosperis & adversis, & quòad possit, divinis moribus & exemplis JESU Christi conformari. Dicit autem Chrysostomus, nihil esse dignius, quàm ut homo sui Auctoris sit Imitator, & secundum modum propriæ facultatis divini operis exequutor. Hanc unionem petivit nobis Dominus in penultimo die mortalis vitæ suæ dicens: Sicut tu Pater in me & ego in te, ita sint unum in nobis & ipsi.

Chrysost. in opere imperfect. Hom. 33.

Ioan. 8.

ITEM vera cum proximis Concordia est, cùm omnibus in omnibus idem sapere, idem sentire in iis, quæ sunt ad Deum. Sicut in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum & anima una in Deum, id est, quòad omnia, quæ spectabant ad Deum. Item aliis conformari in cibo, potu & somno, in moribus & operibus, quæ non sunt contra Deum, nec contra professionem ejus, nec contra perfectionem, ut plures lucrifaciamus. Sic

Actor. 4.

Apostolus factus est infirmis infirmus,
1. Cor. 9. ut infirmos lucrifaceret, imò omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret.

AD amorem veræ Concordiæ inducere nos debet, quòd valdè laudabilis est Deo, & valdè placita Concordia fratrum, sicut ipse dicit per Salomonem: In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo &
Ecclesi. 25. hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes. Ita homines miseri per Concordiam hîc servant in terris, quod Angeli servare voluerunt in Cœlis.

AD idem invitare nos debet diligentia JESU Christi, qui fecit Concordiam inter Deum & homines, sicut & inter Apostolos, cùm esset nata inter
Marc. 9. eos contentio, quis eorum videretur esse major? Cúmque indignati sunt de-
Matth. 20. cem de Jacobo & Joanne, eò quòd volebant sedere ad dexteram & sinistram Christi. In his enim omnibus Christus eos ad Concordiam reduxit.

ARGUMENTUM veræ cum Deo Concordiæ est, si homo testimonium conscientiæ habet, se non esse peccatis gravibus involutum, sicut Apostolus habuit dicens: Nihil mihi conscius
1. Corinth. 4. sum. Et Job de seipso testatur: Nequè

què enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Item fervens desiderium proficiendi in omnibus bonis secundùm Dei ordinationem veræ cum Deo Concordiæ argumentum est. Iob. 27.

ARGUMENTUM veræ cum proximo Concordiæ habet, qui ad omnes tam sanctè se habet, ut nullus de ipso querelam moveat, nec etiam verbum malum de ipso loqui valeat. Utrúmque hoc argumentum parentes Joannis Baptistæ habuerunt. Erant Luc. 1. enim ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Similiter Iud. 18. argumentum habuit de utróque Judith, de qua scriptum est: Erat omnibus famosissima, nec erat qui verbum malum loqueretur de illo, quoniam timebat Deum valdè.

ARGUMENTUM falsæ Concordiæ est inter Deum & hominem, quando aliquis non sollicitè investigat Conscientiam suam, & sic per erroneam Conscientiam credit, se placere Deo, cùm in omnibus ferè displiceat.

ARGUMENTUM falsæ Concordiæ inter Deum & hominem est, cùm homini displicet divina ordinatio circà creaturas, cúmque divini mores & exempla ac sanctissima opera JEsu Christi, displicent. Unde scriptum est, displicet Deo, cui displicet Deus.

AR-

ARGUMENTUM falsæ cum proximo Concordiæ habet, cui bona opera, & sancti mores aliorum in corde displicent, quos tamen verbis quandoque commendat. Argumentum discordiæ cum proximo habet, qui sensum suum aliis præponit, & sensum aliorum semper post se trahere nititur seu disponit, & nunquam aliorum sensui sensum suum coadunare proponit.



DE CONSTANTIA.

CAPUT XVI.

CONSTANTIA vera & perfecta est, cùm homo nec prosperis, nec in adversis à perfectione retrahi potest, sicut Job constans fuit: Donec deficiam, inquit, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Constans homo nec minis, nec blanditiis induci potest ad transgressionem votorum & divinorum præceptorum. Tales erant septem fratres in libro Machabæorum, qui præcisis linguis, & abstracta cutè capitis, & cæsis summitatibus manuum &

Job. 27.

2, Mach. 7.

& pedum, in ollis æneis vivi torquebantur. Et Eleazarus sub simulatione noluit illicitas carnes comedere, sed dixit, se potiùs velle præmitti in infernum.

ILLE veram Constantiam habet, qui nunquam à divina laude cessat juxta illud: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Psalm. 33. Item non cessat à ferventi desiderio proficiendi. Nam teste Leone Papa: Nemo est, qui in hac vita perfectior sanctiórque esse non possit, & ibi quilibet incidit in deficiendi periculum, ubi proficiendi postponit appetitum.

AD veram Constantiam inducere nos debet Constantia Martyrum, & præcipuè Virginum, quæ in sexu fragili æternam gloriam per Constantiam meruerunt. Sed ampliùs nos ad Constantiam movere debet pertinacia Judæorum & Hæreticorum, & temeritas perversorum hominum in malitiis suis, qui pro perfidia & pertinacia iniquitatum suarum grave tormentum habent in Conscientia in præsenti, gravissimam verò pœnam animæ & corporis in futuro exspectant.

ARGUMENTUM veræ Constantiæ est, cùm quis nec pro amissione rerum, neque corporis cessat ab omnibus cavendis & faciendis, quæ Deo pla-

Tob. 1. placent. Sicut Tobias à ſepultura mortuorum non ceſſavit, ob quam Rex Sennacherib omnia ei abſtulit, ac eum inſuper occidi præcepit. Tum Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſti, nec propter flagellationem, nec propter timorem mortis à manifeſtatione

Actor. 5. nominis Chriſti ceſſaverunt liberè dicentes adverſariis. An Deo magìs obedire oportet, an hominibus, vos ipſi judicate ?

ARGUMENTUM Inconſtantiæ eſt, cùm quis propter favorem hominum, vel ob aliquod lucrum obtinendum recedit à via juſtitiæ. Sic Balaam

Num. 22. propter amicitiam & munera Balach contra præceptum Domini maledicere voluit populo Iſraël. Item quùm quis à recto diſcedit propter timorem & amiſſionem rerum temporalium, ſicut ille dives receſſit triſtis à Domino JEſu, cùm ſibi ſuaderi audiret perfe-

Matth. 19. ctionem. Erat enim multas habens poſſeſſiones, quas dilexit: Item faciens malum propter timorem corporis, ſicut Apoſtoli omnes à dilecto Domino JEſu timendo fugerunt. Matathias ve-

Marc. 14. rò contemnens omnes homines, & ho-

1. Mach. 2. norem exhibitum à nuntiis Regis Antiochi, & promiſſa munera relinquens etiam omnia ſua, fugit in montem, ut legem Domini conſervaret. Iſtum nec appe-

appetitus regalis amicitiæ, nec timor rerum temporalium retraxit à via justitiæ. Similiter nec timor corporis retraxit Beatum Stephanum à via justa, sed intuens in Cœlum, inter pressuras lapidum fixus permansit in Christo. Et Paulus verè constans dixit: Non solùm alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Domini JEsu Christi in Jerusalem. Actor. 7. Actor. 21.



DE LARGITATE,

CAPUT XVII.

LARGITAS vera & perfecta est, cùm aliquis hominibus indigentibus res temporales pro virili sua largiter, hilaritérque administrat, imò etiam omnibus indigentibus bona spiritualia requisitus libenter communicat, videlicet in confessionibus, prædicationibus, consiliis & doctrinis, nec solùm desiderantibus in hujusmodi paratus est gratificari, imò etiam non desiderantibus vel non curantibus doctrinam & prædicationem, secundùm consilium Apostoli opportunè & importunè participat, quin etiam 2. Tim. 4. invitis & ignorantibus orationes, gemi-

mitus & fletus coram Domino commu-
Matth. 26. nicat. Nec hoc sufficit verò largo, nisi etiam se totum quoddammodò exhauriat ac eviſceret in ſtudio, in meditationibus, in ſanctis operibus continuè pro salute omnium proximorum.

AD hanc largitatem inducere nos debet deſiderium nos conformandi Deo, qui tam continuè dat omnibus ſua bona temporalia & ſpiritualia etiam non petentibus, & ſuper illa omnia carnem & ſanguinem dilectiſſimi Filii ſui. Nec ſufficit Deo bona ſua dare ſimpliciter, niſi etiam ſeipſum immenſum det nobis in ſingulis donis. Commendat Largitatem ſuam, quod nulli negat dona ſua, quantumcúnque ipſi adverſetur, imò ſæpiùs in nocte & in die dona ſua turbis elargitur, quomodocúnque offendatur.

ITEM in hoc approbat Largitatem ſuam, quòd quandocúnque aliquam opportunitatem invenit in recipiente, ſtatim ab effluxione ſpiritualium donorum nequaquam ſe poteſt continere, licèt ex ſapientia divina prænoſcat, quòd recipiens illa dona brevi poſt debet amittere, vel ea continuè deturpare, & Benefactorem ipſum per eadem impugnare. Ad idem inducere nos debet, quòd aliena ſunt, quæ damus. Et proverbium eſt, quòd latæ

cor-

corrigiæ ſcindantur ex pellibus alienis. Hinc & Chryſoſtomus: Opus eſt etiam de tuo non tam parcum eſſe, ſed cùm Domini tui tibi creditæ ſint facultates, cur tam tenax es? Chryſoſt. hom. ſup. Ioan.

ARGUMENTUM veræ Largitatis eſt, cùm quis dat ſua indigentibus hilariter ſine meritis alicujus, & gratìs ſine ſpe recompenſationis. Sic Dominus JEſus dedit ſe nobis & omnia ſua, hoc maximæ perfectionis eſt.

Nec ſufficit vero largo dare ſua, imò etiam pro ſalute proximorum tempore neceſſitatis uſque ad mortem exhibet ac donat ſemetipſum. Sic docet Beatus Apoſtolus Joannes dicens: In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Ad hoc tamen magìs obligantur Prælati. Hanc largitatem habuit Apoſtolus dicens: Ego autem libentiſſimè impendar, & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris. Et rurſum: Quotidiè morior propter veſtram gloriam fratres, id eſt, pericula mortis ſuſtineo. Verus Largus ſine ſpe recompenſationis dat Domino totum, quod eſt, & quod habet, & quod poteſt, ad æternam divinæ laudis augmentationem, dat ſingulis Angelis & Sanctis ad perpetuam èxultationem, 1. Ioan. 3. 2. Cor. 2. 1. Cor. 15

tum ſingulis Peccatoribus ad converſionem, ſingulis verò juſtis & perfectis ad perfectionis converſationem & confirmationem, demùm ſingulis purgandis ad pœnarum mitigationem & abbreviationem.

ARGUMENTUM falſæ Largitatis eſt, cùm quis dat ſua, ut laudetur ab aliis, ne aliis dantibus vilior reputetur, vel ut à clamore pauperum liberetur, qui tunc rem & meritum perdit. Item falsè Largus eſt, qui dat ſua propter coactionem, vel favorem, vel propter ſpem gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro vel propter timorem judicis, qui dare præcepit, & cujus præcepti transgreſſionem impunè non tranſiret.



DE VERITATE.

CAPUT XVIII.

VERITAS juſta eſt, quando verè concordant mens, & lingua, & opera, ut quod ſentit quis in corde, hoc proferat ore, & perficiat opere.
Philip. 3. Hûc Apoſtolus nos invitans: Eſtote inquit. Imitatores mei, & obſervate, ideſt, imitamini eos, qui ambulant ſecun-

cundùm formam noſtram. Hoc eſt, ut Gloſſa exponit, ſicut ego credo, doceo, & vivo. Ille verax eſt, qui Deo & omnibus hominibus immutabiliter omnia vota ſervat, & omnia verba ſua ſemel dicta opere complet, niſi ea quandóque ſalubriore conſilio mutet juxta illa Iſidori: In malis promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum. Sic Dominus quandóque ſententiam propriam permutavit, ut patet in Ezechia: Nam Ezechiam moriturum per Eſaiam prædixit, & tamen illi quindecim annos poſt fletum adjecit. Et Niniven infrà quadraginta dies ſubvertendam per Jonam prædicavit, quam urbem tamen propter humiliationem Regis & populi ſtare permiſit.

Iſidor. lib. 2. Synod.

Eſaiæ 38.

Jon. 3.

Ad amorem Veritatis inducere nos debet, quòd Chriſtus eſt Veritas, & quia Veritas ſemper in ſe amabilis eſt. Et licet aliquibus quandóque gravis ſit Veritas & intolerabilis, non eſt hoc tamen ex parte Veritatis, ſed ex mala hominum voluntate, quam libenter implerent, ſi Veritatem contrariam non haberent. Caſtis & humilibus amabilis eſt Veritas, quæ commendat Caſtitatem & Humilitatem. Veritas deteſtatur Superbiam & Impudicitiam, quia nimìs contraria eſt Impudi-

Ioan. 14.

cis & Superbis, qui Concupiſcentiam ſuam in oppoſitis firmaverunt. Item Veritas vincit omnia, ſicut probatum

3. Eſd. 3. eſt in Eſdra. Et Veritas immutabilis

Matth. 24. eſt, ſicut dicit Dominus; Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.

ARGUMENTUM Veritatis eſt, cùm quis nec pro favore alicujus, nec pro utilitate propria, nec pro amiſſione rerum vel corporis Veritatem relinquit, nec diſſimulat, nec palliat in aliis, nec unquam ex propoſito aliquod falſum dicit, nec verba ſua ſemel dicta, niſi propter cauſam neceſſariam permutat. Exemplo ſit Balaam, dicens: Si dederit mihi Balach plenam domum

Num. 22. ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plùs, vel minùs loquar. Similiter fecerunt Jeremias, Micheas, Daniel & reliqui Prophetæ, qui nullâ cauſâ vinci poterant, ut à veritate verbis vel factis aliquatenùs deviarent.

ARGUMENTUM Falſitatis eſt unum habere in ore, & aliud in corde, & cùm homo verba ſua facili vel nulla de cauſa utili & neceſſaria permutat: Ille

Chryſoſt. in Matth. hom. 25. in opere imperfect. verè non ſolùm fallax eſt, ſed Proditor Veritatis, ut dicit Chryſoſtomus, qui transgrediens Veritatem, palàm pro Veritate loquitur mendacium. Sed

&

& ille, qui nõ liberè veritatem pronunciat, quam liberè oportet pronunciare, aut qui non liberè Veritatem defendit, quam liberè defendere convenit, Proditor Veritatis eſt. Nam ſicut Sacerdos debitor eſt, ut Veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet: Sic Laicus debitor eſt, ut Veritatem, quam audivit quidem à Sacerdotibus probatam in Scripturis, defendat fiducialiter, quod ſi non fecerit, Proditor eſt & ille Veritatis.



DE MANSUETUDINE.

CAPUT XIX.

MANSUETUDO vera ſivè benignitas eſt, cùm propter illatas injurias mens nequaquam exacerbatur, nec amaritudo cordis exteriùs indicatur, ſed eſt aliquis quaſi homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones. Exemplo ſit JEſus Chriſtus, de quo ſcriptum eſt: Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Unde dicit Gloſſa ſuper Matthæum: Mitis eſt, quem mentis aſperitas ſive amaritudo non afficit, ſed ſim- Pſalm. 37. Eſaiæ 53.

simplicitas fidei ad omnem injustitiam patiendam instruit. Mitis est, quem nec rancor, nec ira afficit, sed qui omnia æquanimiter sustinet. Sic fecit Moyses, quando Maria & Aaron contra ipsum murmuraverunt, ideò scriptum est. Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hujus magnæ virtutis quasi Magistrum se fecit Dominus, quod non fecisset, nisi summæ perfectionis hæc virtus esset. Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Mansuetus non irritat, nec irritatur, non nocet, nec nocere cogitat. Mitis item est, qui malis motibus dominatur, ut Glossa testatur.

Num. 12.

Matth. 11.

Ad amorem Mansuetudinis inducere nos debet beatitudo promissa ex persona Christi dicentis: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Ubi Augustinus: Illam credo terram, quâ pelli non possunt. Et Psalmista: Mansueti, inquit, hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine Pacis. Et B. Petrus: Mansuetis dabit gratiam.

Matt. 5.

Augustin. in Serm. Domini in monte

Psal. 63.

Petr. 5.

Prov. 3.

ARGUMENTUM veræ Mansuetudinis est, cùm mens in afflictione non murmurat, nec mordentes verbis remordet, nec in facie aliquam asperitatem demonstrat, sed quietum animum

mum ad inhabitandum Deo ſemper reſervat.

ARGUMENTUM falſæ Manſuetudinis eſt, cùm homo verba mollia & Manſueta profert, faciem manſuetam exhibet, & tamen gravem amaritudinem in mente portat.



DE

DE FIDE.

CAPUT XX.

FIDES vera eſt, credere Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eſſe unum, verum Deum, & quòd in his tribus Perſonis eſt una & indiviſibilis Deitas, coæqualis gloria, coæterna Majeſtas. Quilibet eorum eſt increatus, immenſus, æternus, ſummè bonus, ſapiens, omnipotens, unus Deus & Dominus. Nec tamen tres ſunt increati, immenſi, æterni, boni, ſapientes, omnipotentes, aut tres Dii, aut Domini, ſed unus eſt increatus, immenſus, &c. Et in his tribus perſonis nullus eſt prior, aut poſterior, quia coæterni ſunt, nec aliquis major aut minor, quia per omnia & in omnibus ſunt coæquales. Differunt tamen Proprietatibus, quia Pater eſt ingenitus, à

nullo habens originem: Filius verò, à Patre est genitus, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Spiritus Sanctus, nec est creatus, nec genitus sed æqualiter procedit ab utróque.

Item vera Fides jubet credere, quòd Dominus noster JEsus Christus est verus Deus & verus homo, æternaliter natus de Patre secundùm Divinitatem, temporaliter natus de Matre secundùm Humanitatem, & per omnia æqualis Patri secundùm Deitatem, qui assumpsit animam ex nihilo, & corpus de purissimis Sanguinibus Beatæ Mariæ Virginis, impassibilis & immortalis secundùm DIVINITATEM, passibilis autem & mortalis secundùm Humanitatem. Item veram fidem habens, credit omnes articulos fidei firmiter & indubitanter, septem videlicet pertinentes ad DIVINITATEM, & septem ad JESU CHRISTI Humanitatem.

Ad veram Fidem inducere nos debet Fides antiquorum fidelium, scilicet Abraham, Isaac & Jacob, Moysis & aliorum Patrum. Itémque Fides gentilium, ut Job, Raab meritricis & similium. Per hanc fidem placuerunt omnes antiqui Deo, quia sine fide impossibile est placere Deo, sicut dicit Apostolus. Ad Fidem inducere nos debet duplex ejus utilitas. Nam vera

Hebr. 1.

Fi-

Fides omnia poteſt, omnia impetrat, teſte Domino JESU Chriſto, qui ait: Omnia poſſibilia ſunt credenti. Et quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis, etiam ſi dixeritis monti huic, tolle te & mitte te in mare. Sic montes Caſpii petente Alexandro adunati ſunt. Matth. 21. Marc. 9.

ARGUMENTUM veræ Fidei eſt frequens exercitatio in bonis operibus. Nam ſicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita Fides ſine operibus mortua eſt, ut dicit Jacobus. Jacob. 2.

ARGUMENTUM falſæ Fidei eſt non credere Scripturæ per omnia, ſed putare, quòd omnia fiant ex fato, vel curſu naturæ, & non ex Dei Providentia. Item dicit Chryſoſtomus, quòd ille Deum eſſe non credit, qui præſente Deo ea facit occultè, quæ publicè præſentibus hominibus facere pertimeſcit. Tum Hieronymus: Non eſt verè Chriſtianus, inquit, qui non audet in eo ſtatu mori, in quo audet vivere. Heu! multæ fuerunt olim hæreſes cum vera Fide pugnantes, de quibus idem ſcribit Hieronymus: Liberum ſic confitemur arbitrium, ut dicamus nos ſemper indigere Dei auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt, hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos, qui cum Joviniano aſſe- Chryſoſtomus. Hieron. in Explanat. Symb.

runt, hominem non peccare posse. Utérque enim aufert arbitrii libertatem. Nos verò dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse.



DE SPE.

CAPUT XXI.

SPES vera & perfecta est, certa exspectatio futuræ beatitudinis, proveniens ex gratia Dei, & meritis præcedentibus. Hæc duo quippe, gratia & merita, ad veram spem sunt necessaria. Gratia enim Dei, non nisi per merita conservatur, meritis autem sine gratia nemo salvatur. Spes ergò sine meritis non est Spes, sed præsumptio dici potest.

Ille veram Spem habet, qui licèt frequenter se in bonis operibus exerceat, nunquam tamen suis meritis, sed solùm in superabundanti bonitate & divina largitate confidit, nesciens utrùm bona sua Deo placeant, cùm omnes Justitiæ nostræ sint sicut pannus menstruatæ. Ille veram Spem habet, qui Deo Sacrificium Justitiæ offert, juxtà
Esaiæ 64. illud. Sacrificate Sacrificium Justitiæ & sperate in Domino. Sacrificium ju-
Psalm. 4. stum est Unigenitus Dei Filius, qui se pro

pro peccatis totius mundi obtulit Deo Patri in Ara crucis, ampliorem emendationem offerens, quàm mundus totus debebat. Suffecisset enim, (ut dicit Ambrosius) una gutta tam pretiosi Sanguinis ad redimendum totum genus humanum, sed abundanter effudit, ut abundantiam dilectionis ostenderet. In hoc cruento Christi Sacrificio est tota salus & Spes nostra juxta illud Bernardi: Peccavi peccatum grande, conscientia turbatur, sed non peturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor: Ego verò, quod mihi deest ex me, fidenter mihi usurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluat misericordia. Ipse enim jejunavit, vigilavit & oravit, sudavit & lassatus est, lachrymatus, flagellatus, passus & crucifixus est, ut in ipso supplementum omnium defectuum habeamus.

Bernard. Serm. 21. super cantica.

Ad veram Spem beatitudinis inducere nos debet excellentissimus amor JEsu Christi, quo cogente cum tanta amaritudine salutem nobis promeruit, & ne obtenta nobis salus deperiret, diligentiam tantam adhibuit, ut conferret nobis Angelos ad Protectionem, scripturam in eruditionem, exempla sua & Sanctorum suorum ad viæ demonstra-

ſtrationem, corpus ſuum & ſanguinem ad confortationem.

ARGUMENTUM veræ Spei habet, qui viriliter reſiſtit malis, & confortatur in bonis, qui virilis eſt in
Pſalm.30. aggreſſu arduorum, & fortis in ipſorum perſeverantia juxta illud: Viriliter agite & confortetur cor veſtrum omnes, qui ſperatis in Domino.

ARGUMENTUM falſæ Spei habet, qui præcepta divina & vota transgreditur, non curans vitam ſuam corrigere ſecundùm ſcripturam, præſumens nimis ſine meritis de bonitate
Sap. 5. Dei. Talis Spes vana eſt, ſicut dicitur in libro Sapientiæ: Spes impii tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.



DE TIMORE.

CAPUT XXII.

TIMOR juſtus eſt in fide & moribus divinorum diligens cuſtodia præceptorum. Item juſtus Timor eſt, anxietas cordis retrahens hominem ab illi-

illicito uſu membrorum, ſenſuúmque exteriorum, & affectionum interiorum, ne anima vel à Deo penitùs ſeparetur. vel à familiaritate ipſius aliquantulùm elongetur, cavens etiam, ne mens vel in cibo, vel in potu, vel in ſomno, vel in aliqua creatura nimiam delectationem quærat, & ſic à fervore Dei tepeſcat. Hanc anxietatem habet ſponſa ad ſponſum chariſſimum, ne ipſum in aliquo motu, inceſſu, verbo vel facto offendat, ac in aliquam erga eum ingratitudinem incurrat, nevè minùs grata ei ſit per culpam aliquam etiam minimam. Juſtus Timor cogit hominem non ſolùm à peccatis gravibus, verùm etiam à venialibus abſtinere. Nam ex conſuetudine venialium delictorum ſecuritas mentis, & familiaritas Dei amittitur, & multiformis gratia negligitur.

Ad juſtum Timorem inducere nos debet multiplex ejus utilitas. Eſt enim initium ſapientiæ. Unde Pſalmiſta: Initium ſapientiæ Timor Domini. Eſt Pſal. 110. etiam initium Juſtitiæ, juxta illud: Eccleſ. 1. Qui ſine Timore eſt, non poteſt juſtificari. Item eſt ſignaculum & concluſio omnium virtutum & gratiarum, juxta illud: Timor Dei ſuper omnibus ſuperpoſuit. Ubi enim non eſt Eccleſ. 27. Timor Domini, omnis gratia ſubitò di-

dispergitur, & conscientia pervertitur, juxta illud: Si non in Timore
Eccl. 27. Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tùa.

Aliam utilitatem Timoris Domini sic ponit Beatus Bernardus: In veritate didici, nil adeò efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, ac recuperandam, quemadmòdum si omni tempore coram Deo invenia-ris non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergò, cùm arriserit gratia, time, cùm abierit, time, cùm denuò reversa fuerit. Cùm adest time, ne non dignè opereris ex ea, time subtractâ gratiâ, tanquam mox casurus. Jam si gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum, ne fortè contingat recidivum pati.

Bernard. Serm. 64. sup. can.

Prov. 28.

Ad Timorem Domini nos inducere debet miserabilis casus Angelorum, de quo Job ait: Ecce! qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quantò magìs hi, qui Inhabitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. Adde casum & lapsum sanctorum virorum ab initio mundi, sicut fuit Adam, Samson, Salomon & omnes Apostoli, & heu hodiè viri sanctissimi prosternuntur,

Job. 4

de

de quibus dici poteſt: Cadent à latere tuo mille, id eſt, qui ſedere deberent ad latus judicis in judicio, & decem millia à dextris tuis, id eſt, qui deberent locari ad dexteram Chriſto. Unde dicit Gloſſa: Sunt multi, qui putans ſe cum Chriſto judicaturos, & ſunt multò plures, qui putant ſe collocandos à dextris inter ſalvandos, ſed quia de ſe præſumunt, non habentes in alto radicem charitatis defixam, decidunt à cogitationibus ſuis. Pſal. 90.

Eòdem inducere nos debent exempla Deum timentium & ſanctorum. Inter quos Job de ſeipſo dixit: Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. Unde & ſuper illud Job: In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea, dicit Gloſſa: Penſate, quis noſtrôm ſecurus ſit de requie, cùm de ea trepidat ipſe, quem Judex laudat. Item Hieronymus de ſeipſo loquitur: Quoties diem judicii cogito, toto corpore contremiſco. Quid igitur nos miſeri acturi ſumus, ubi tanti viri trepidant? Iob. 31. Iob 17.

ARGUMENTUM juſti Timoris habet, qui tam ſollicitus eſt circà omnia, quæ Dei ſunt, ut nullo tempore vel loco, quicquam eorum negligat, quæ ipſi poſſibilia ſunt, imò pro virili om-

omnia ferventer operatur. Unde dicitur in Ecclesiastico: Qui timet Deum, nihil negligit. Et iterum: Qui timet Deum, faciet bona. De hujus boni & salutaris Timoris laude testatur ita Spiritus Sanctus. Timor Domini gloria & gloriatio, ætitia & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudine dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.

Eccles. 7.
Eccles. 15.
Eccles. 1.

ARGUMENTUM injustè Timoris habet, qui pro amissione rerum vel corporis, non propter Deum, bonum facit, aut malum dimittit, vel, qui malum facit, & bonum dimittit. Hunc Timorem prohibet Dominus dicens: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiûs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Tum Esaias: Quis tu, ut timeas ab homine mortali & à filio hominis, qui quasi fœnum, ita arescet? Hinc nimis timentibus homines dicitur: Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

Matth. 20.
Esaiæ 51.
Deut. 32.

DE



DE LÆTITIA,

CAPUT XXIII.

LÆTITIA vera ſive gaudium eſt, conſolari in his, quæ in Deo ſunt. Materia enim omnis gaudii in Deo eſt, ſcilicet potentia, ſapientia, bonitas, largitas, pulchritudo, beatitudo, miſericordia, juſtitia, veritas, nobilitas, ſanctitas, manſuetudo, fidelitas, charitas, humilitas, & ſi quæ ſint ſimilia. Et hæc omnia in Deo immenſa & æterna ſunt.

Ille veram Lætitiam habet, qui ſinceram habet conſcientiam in omnibus factis ſuis, nec unquam ſcienter transgreditur divina præcepta vel vota facta, ſed ſemper intendit proficere, & exemplis JEſu Chriſti & divinis moribus ſe conformare. De hac conſcientia gaudebat & gloriabatur Apoſtolus dicens: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate & ſinceritate Dei, non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo, abundantiùs autem ad vos. 2. Cor. 1.

Ad veram lætitiam inducere nos debet, quòd ſuper omnia bonus Deus in-

ter omnes creaturas ſolam creaturam humanam in tantùm ſibi univit, verè dicatur Deus eſſe homo, & homo eſſe Deus, & quicquid Deus habet per naturam, id homo habeat per gratiam. Nusquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, ut dicit Apoſtolus.
Hebr. 2.
Hinc Gloſſa Chryſoſtomi: Reverà magnum eſt & mirabile, carnem noſtram ſurſum ſedere, & ab Angelis & Arch-Angelis adorari.

Aliud inductivum eſt, quòd Deus nos certificavit de æterna beatitudine promiſſis, legis & Prophetarum Juramento, juxta illud: Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, datarum ſe nobis.
Luc. 1.
Item certificavit nos per privilegia quatuor Evangeliſtarum, per Teſtimonium Apoſtolorum, per pignus Spiritûs Sancti in Baptiſmo, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, per Arram, id eſt, prægustationem in devotione & dulcedine Dei, per obſidem, qui eſt Chriſtus Unigenitus Dei filius.
Epheſ. 1.
Ad hoc duplex gaudium hortatur nos Apoſtolus, dicens: Gaudete in Domino ſemper, (videlicet propter divinam unionem) iterùm dico gaudete, propter æternæ videlicet beatitudinis certitudinem.
Philip. 4.

ARGUMENTUM & materiam veræ Lætitiæ habet, qui per internam inſpi-

inſpirationem certificatus de remiſſione omnium peccatorum, quibus tam graviter Deum, omnémque creaturam offendit, omnémque gratiam collatam amiſit, & conferendam demeruit. Luc. 7.
Hanc certitudinem habuit beata Maria Magdalena, de qua dixit Dominus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et Beatus Franciſcus, de quo dicitur: Quadrans quoque noviſſimus culparum ſibi penitùs dimitti revelatur.

Aliud Argumentum & materia veræ Lætitiæ eſt, ſecuritas in mente, quòd homo ſit filius Dei & hæres Regni cœleſtis. Hanc ſecuritatem dat Spiritus Rom. 8.
Sanctus, ut dicit Apoſtolus: Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Hanc cer- Rom. 8.
titudinem habuit idem Apoſtolus, cùm dixit: Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.

ARGUMENTUM falſæ Lætitiæ eſt, delectari in tranſitoriis, ſive ſint res temporales, ſivè ſint amicitiæ carnales, ſive ſit commoditas corporalis, ſive lætitia temporalis. Hæc lætitia laqueus eſt triſtitiæ. Cùm enim tran-

scunt illa, transit & Lætitia, & sequitur tristitia, & nisi de corde recedat talis lætitia, nunquam intrabit vera lætia, quia simul esse non possunt, sicut ignis & aqua, quæ mutuò se expellunt.

Habetur etiam quandóque Lætitia naturalis, quando homo cogitat, loquitur, vel audit loqui, vel legit de perfectione Dei, vel etiam habetur de appetitu regni cœlestis naturaliter. Omnes enim naturaliter appetunt cœlestem beatitudinem. Hæc Lætitia similiter est vana, & difficulter cognoscitur, quando sit gratuita & à Deo, & quando naturalis. Felix esset, qui dicere posset cum Esaia: Gaudens gaudebo in Domino (Creatore) & exultabit anima mea in Deo meo (Redemptore) quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me.

Esaia 61.

DE TRISTITIA.

CAPUT XXIV.

TRISTITIA vera est dolor proprii cordis pro omnibus injuriis, quas patiens Deus innocenter sustinuit à

crea-

creaturis suis jam inde à principio mundi, & úsque in finem sustinebit tam à spiritualibus, quàm à sæcularibus hominibus. Iste dolor innumerabiles lachrymas sanguineas elicere debet ab oculis singulorum Deum amantium.

Alia pars veræ Tristitiæ est, quòd frequenter homo in tentationibus sine repugnantia superatur. Quando enim aliquid videt, vel audit tam in volatilibus, quàm in reptilibus, quod spectat ad impudicitiam, statim mens impudicis cogitationibus vel affectionibus, vel voluptatibus sordidatur. Quandò verò aliquid percipit anima ex quinque sensibus, quod movere potest ad vanam gloriam, invidiam, iram, rancorem, detractionem, avaritiam, levitatem, vel carnalem amicitiam, vel ad aliquod peccatum, statim sine pugna dejicitur in aliquod prædictorum, dubius interim homo manet, si unquàm à tali casu resurget. Tum si auxilio Dei resurgat, incertus est, si unquàm recuperet gratiam, quam habebat, & tantam, quantam antè habuit. Homo enim per se cadere potest, per se autem nunquam resurgere potest, quia caro est, spiritus autem vadens & non rediens. Psalm. 77.

Alia pars veræ Tristitiæ est, quòd multiplex gratia effluens à fonte divi-

næ pietatis ad nihilum redigitur, eò quòd ad suum principium, unde fluxit, non revertitur cum multiplici fœnore secundùm ordinationem Dei, hoc ipsum omnes creaturæ dignè deflere non possent.

Ad veram Tristitiam inducere nos debet exemplum sanctissimum vitæ
Matth. 26. JEsu Christi, cujus anima tristis fuit usque ad mortem à principio vitæ suæ, qui etiam tristes beatos esse confitetur,
Matth. 5. dicens: Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quia non nisi per Tristitiam gaudia inveniri valent, ut dicit quædam Glossa super Canonicam Jacobi.

Ad idem inducere nos debet utilitas ex ea proveniens. Utilior est enim vera Tristitia, quàm falsa lætitia, jux-
Eccl. 7. ta illud: Meliùs est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii. Frequenter enim ex Tristitia quis deprimitur, qui quandóque ex falsa lætitia elevaretur. Et quod miserabilius est, quandóque fit homo spiritualis post lætitiam, & devotionem mentis liberior illa die, & incautior in factis suis, quàm si nullam lætitiam habuisset.

Alia est utilitas Tristitiæ, quòd cùm oratio & cætera bona opera Deum ungant & mulceant, lachryma, quæ est effe-

effectus Tristitiæ, Deum cogit, sive pungit secundùm Bernardum.

ARGUMENTUM veræ Tristitiæ habet, cujus mens ex dolore non affligitur, sed alleviatur, quique non vult à Tristitia liberari, sed semper eam desiderat ampliorem. Tristitia verò à qua mens affligitur, & à qua quis subitò liberari conatur, injustitia est, de qua scriptum est: Spiritus tristis exsiccat ossa, virtutum scilicet; & Jacobus: Ira viri (veniens ex Tristitia) Justitiam Dei non operatur. Prov. 17. Iacob. 1.

Aliud argumentum veræ Tristitiæ habet, qui à delectamentis cohibet sensus suos, quique non videt, nec audit, nec gustat, nec odoratur aliquid, nec tangit, per quod tristitia mitigari possit. Fugit etiam omnem locum, & omnes homines, per quorum consortium minui potest dolor cordis. Certùs est enim securissimam viam esse in vera Tristitia vitam finire, juxta illud: Cor sapientium, ubi Tristitia, cor stultorum, ubi lætitia. Eccles. 7.

ARGUMENTUM falsæ Tristitiæ hebet, qui non considerans sapientissimam ordinationem Dei, torquetur pro amissione rerum temporalium, vel pro afflictione, vel morte amicorum, vel pro sui corporis infirmitate, vel pro sua correctione. Talis Tristitia nul-

lam gratiam confert, ſed mentem dilaniat, juxta illud: Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita Triſtitia viri nocet cordi. Et alibi: In mœrore animæ dejicitur Spiritus.

Prov. 25.

Prov. 15.

* *
* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

DE GRATITUDINE.

CAPUT XXV.

GRATITUDO vera & perfecta eſt, extollentia donorum Dei in anima cum annihilatione ſui, & debitâ erga Deum cordis reverentiâ. Sic magnificavit David dona mandatorum Dei dicens: Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Et Salomon extollebat donum ſapientiæ Dei dicens: Melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Ille veram Gratitudinem habet, qui ſe omnibus Dei donis indignum ſentit, & quantò ſe indigniorem ſentit, in tantùm Gratitudo mentis ejus magìs excreſcit. Unde Chryſoſtomus: Pro omnibus, inquit, quæ tribuiſti nobis O Chriſte! nihil petis à nobis, niſi ſalvari nos, hoc ipſum tribuens, & accipientibus gratias agis.

Pſal. 118.

Prov. 8.

Ad

Ad veram gratitudinem inducere nos debet consideratio dantis sive datoris, qui est Deus omnipotens, mitissimus, nobilissimus, fidelissimus optimus, beatissimus & perfectissimus. Item inducit donorum magnitudo. Non enim tam parvum donum corporale vel spirituale è Deo fluit, in quo non sit inclusus immensus Deus cum omni divina virtute. Pensandus etiam est affectus Dei dantis. Non enim cum dimidio, vel cum indignatione aliqua tribuit sua, ut absolvatur à nobis, sed ex omni desiderio, ex tota dilectione & bonitate sua tribuit omnia. Item ponderanda est utilitas donorum Dei, quæ singula dantur ad ipsum cognoscendum, amandum, fruendum, & ad nos beatificandos. Item pensandum est, quid cogat Deum ad dandum, non timor quidem alicujus mali, vel spes alicujus boni, nec aliqua virtus nostra, sed ejus æterna & immensa bonitas. Item consideranda est indignitas nostra, qui nec ipsa vita digni sumus, nec meruimus esse vermes inter alias creaturas. Ad idem inducere nos debet utilitas gratitudinis. Nam ipsa aperit fontem divinæ pietatis, & movet Deum ad effundendum rorem misericordiæ; atque ad emittenda fluenta gratiæ. Sicut vi-

cissim ingratitudo exsiccat fontem divinæ pietatis. Quantò enim major est gratitudo in anima, tantò fit habilior ad gratiam recipiendam, & tantò ampliùs largissimus Deus cogitur ad largiendum.

ARGUMENTUM veræ Gratitudinis habet, qui pensatis singulis supradictis, quæ valent ad gratitudinem, pro singulis donis parvis & magnis ex toto corde gratias agit, cùm eas reverenter susceperit, & toto nisu gratias ab amantissimo Domino susceptas etiam impollutas conservare contendit. Quomodò enim amici donum gratum fuit, quod non gratanter suscepit, vel quod subitò spontè deturpat vel amittit? Non solùm Gratitudine indigemus in his, quæ sunt ad nostram consolationem, sed etiam in his, quæ ad nostram faciunt afflictionem. Ex eadem quippe charitate & bonitate dat Deus utrúmque.
Tob. 11. Hinc est quod Tobias ait: Benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigâsti me, & tu salvâsti me. Ad æqualem enim gratiam in præsenti, & gloriam in futuro dat Deus devotionem, & permittit homini evenire tribulationem, ad majorem ejus utilitatem, sicut Job permisit affligi, qui
Iob. 2. ideò dixit: Si bona suscepimus de manu

nu Domini, mala quare non sustineamus? Quasi dicat: Utrúmque, bonum & malum, prosperum & adversum, gratanter suscipere debemus.

ARGUMENTUM Ingratitudinis est, quando aliquis obstruit cor suum aliqua mala voluntate, vel rancore, vel levitate, vel delectatione temporali, vel amicitia carnali, præ quibus non potest spiritualia dona percipere, aut cùm perceptas gratias non curat conservare, aut collatas multiplicare, & rursùs cùm non laborat eis frui secundùm ordinationem Dei pro communi utilitate, aut cùm muneribus à Deo perceptis in corpore & in anima, & in viribus animæ ipsum Deum impugnare non cessat, sicut heu! frequenter contingit. Tunc enim homo omnia meretur amittere, quando eis utitur contra largitorem.



DE ZELO ANIMARUM.

CAPUT XXVI.

ZELUS animarum verus & perfectus est, quando aliquis sanctis meditationibus, ferventibus desi-

de-

deriis, lachrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, consiliis, doctrinis, aliisque bonis operibus pro animarum salute laborat. Quanta hæc gratia sit, Beda describit dicens: Quæ gratia sublimior, & Deo gratior conversatio esse potest, quàm eorum, qui quotidiano exercitio alios ad Auctoris sui gratiam student convertere, & crebra animarum fidelium acquisitione gaudium cœlestis Patriæ semper augere? Item Gregorius super Ezechielem: Nullum omnipotenti Deo tale est Sacrificium, quale est Zelus animarum, & hoc propter Imaginem Trinitatis impressam animabus.

Gregor. lib. 1. sup. Ezech. Hom. 12.

Ad Zelum animarum nos inducere debet exemplum JEsu Christi, qui in omni vita sua tantò fervore conversionem peccatorum & perfectionem bonorum sitivit, ut pro redemptione animarum venditarum singula membra sua ad singularem pœnam, & tandem animam suam ad turpissimam mortem offerret. Et teste Bernardo: Tantum reconciliationis humanæ studium ei fuit, ut ad sua stipendia non attenderet, dummodò erroneum lucraretur. O! quanta dignitas animarum, & quantus Zelus ad animas, pro quarum redemptione pretiosum sanguinem

nem ſuum totum obtulit Filius Deo Patri, cùm tamen ſuffeciſſet una gutta tam pretioſi ſanguinis ad redimendum totum genus humanum, ſicut dicit Ambroſius, & maximè cùm ſibi nihil beatitudinis accreſceret vel decreſceret. Hanc nobilitatem animarùm noverat ſapientia Dei, quæ nobis incognita eſt. Quâ de re conquæritur Bernardus, dicens: Heu! quod tam parùm attendimus animæ nobilitatem, qua præſente corpus vivit, cujus abſentia probat, quid ejus præſentia contulerit, quàm Deus tanti æſtimavit, ut Unigenitum ſuum pro ea daret, quam diabolus tanti reputavit, ut pro ea totum mundum offerret.

ARGUMENTUM veri fervoris habet, qui nec propriam vitam ſive corpus curat, ut plures animas Chriſto lucrifaciat. Hunc Zelum David habuit, cùm dixit: Quis mihi det, ut ego moriar pro te fili mi Abſolon? Et Apoſtolus ex hoc Zelo dicit: Ego ipſe impendar pro animabus veſtris. Et iterum: Quotidiè morior propter gloriam veſtram, id eſt, mortis pericula ſuſtineo. Beatus Dominicus ſe vendere voluit pro quodam captivo, quem detinebant Saraceni. Et iterùm pro alio, qui manſit apud hæreticos propter victum, ſed tamen ſapiens Deus S.

2. Reg. 18.
1. Cor. 12.
1. Corinth. 15.

Do-

Dominicum propter ſalutem plurium animarum invenditum conſervavit.

ARGUMENTUM falſi fervoris habet, qui de ſpiritualibus operibus magìs ſolicitus eſt pro muneribus, quàm pro animabus. Talis pejor eſt diabolo, qui figuratur in Rege Sodomorum dicente ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. (Gen. 16.) Item qui ampliùs laborat pro amicitia hominum vel favore, quàm pro eorum ſanctitate & perfectione. Talis non poteſt dicere cum Apoſtolo: Non quæro veſtra, ſed vos. (2. Cor. 12.)

Notandum autem, quòd ubicunque duo movent ad aliquod opus, ſcilicet, Deus & aliquid aliud, difficulter cognoſcitur, quid plùs moveat. Verbi gratiâ, aliquem movet ad audiendum confeſſiones, vel ad aliquod opus ſpirituale, ſalus animarum & ſpes lucri, & favor, vel placentia, vel libertas, vel alia delectatio. Hic difficulter diſcernitur, quid horum plùs afficiat animum laborantis & operantis. Attamen evidens argumentum eſt, quòd aliquid prædictorum plùs moveat, quàm Deus, vel animarum ſalus, quùm audit libentiùs divites, nobiles, juvenes & formoſos, quàm pauperes, ignobiles, ſenes & deformes, & cùm ſæpiùs & diutiùs delectatur eſſe cum iſtis, quàm cùm

cum illis, & fortè cum minore fructu: cùm tamen illi tam sanctas conscientias habeant, sicut isti, vel sint sanctiores, & tantùm vel ampliùs obediant consiliis sicut isti, & tantùm vel plùs perfectioni studeant, quàm isti, & tantùm vel plùs placeant Deo quàm isti. Unde S. Jacobus: Nonnè pauperes elegit Deus, divites in fide, cohæredes Regni? Et vos inhonorâstis pauperem, ipsum non curantes. In quibus pauperibus Christus vel maximè honoraratur, sicut in Homilia dicitur, super illud: Omnes honorate. Iacob. 2.

Item est satis evidens argumentum, quando in operibus nostris plùs quærimus partem Dei, quàm partem nostram. Nam ad illa opera, quæ laborem habent, & aliquam consolationem, ut sunt prædicatio, confessio, prælaturæ, & similia, licèt magnum sit in eis periculum, tamen ad ea quilibet est paratus. Ab eis verò operibus, quæ continent tantum laborem & non consolationem, ut jejunia, vigiliæ, disciplinæ, similia, licèt nullum sit in eis periculum, quilibet tamen se ab eis abstrahit, quantùm potest.

DE



DE LIBERTATE.

CAPUT XXVII.

LIBERTAS vera eſt, non eſſe ligatum aliquem vinculis peccatorum, quæ verè ligant animam, juxta illud: Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Et verè peccata ſervum faciunt juxta illud verbum Domini: Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Peccare enim non eſt Libertas, nec pars Libertatis, ut dicit Anſelmus, ſed eſt peſſima ſpecies ſervitutis. Ab hac ſervitute nemo liberatur, niſi ſolius filii Dei auxilio, ſicut ipſe teſtatur: Si filius vos liberaverit. tunc verè liberi eritis.

Prov. 15. Ioan. 8. Ioan. 8.

Veram Libertatem habet, qui non eſt captus appetitu rerum temporalium, nec laude, nec favore hominum, nec placentiâ propriâ, nec diſplicentiâ alienâ, nec amicitia carnali, nec timore ſervili, nec delectatione gaudii tranſitorii.

Ad amorem Libertatis inducere nos debet divina ordinatio, quæ vult hominem eſſe liberum, in cujus ſignum dedit homini Deus liberum arbitrium, in

in hoc maximè ipſum ſibi aſſimilans quod à nemine cogi poteſt, ſicut nec Deus in aliquo cogi poteſt. Iſtud liberum arbitrium contulit Deus homini dicens in Eccleſiaſtico: Appoſui tibi ignem & aquam, ad quod vis, mitte manum tuam. Antè hominem vita & mors, bonum & malum, quodcúnque placuerit ei, dabitur ei. Ezech. 15.

Ad veram Libertatem indubitanter inducitur, qui præceptorum divinorum & conſiliorum & votorum ſuorum inviolabili obſervantia ſe ligat, qui mentem ſuam & ſenſus ſuos à voluptatibus refrenat, qui membra ſua nullis illicitis rebus occupat, qui obedientiæ jugum amat, qui toto niſu qualiter Deo placeat, laborat. Quantò ampliùs quis prædictis innititur, tantò citiùs veram Libertatem conſequitur, & in ea fortiùs radicatur. Qui verò in hoc mundo liberè voluntatem ſuam in omnibus, in quantùm poteſt, exequitur, variis diaboli laqueis irretitur, & cùm liberior eſſe videtur, tunc in ſervitute & captivitate diaboli fortiùs & certiùs detinetur.

ARGUMENTUM veræ Libertatis habet, qui nihil eorum deſiderat, quæ à familiaritate Dei mentem alienant vel elongant, ſicut eſt prælatio, circà exteriora frequens occupatio, de

commodo carnis nimia ſollicitudo, mentis diſſolutio, ad diverſa negotia diſtractio, alienæ vitæ vel conſcientiæ temeraria diſcuſſio, propriorum defectuum excuſatio, ſive extenuatio, defectuum proximorum manifeſtatio, vel aggravatio.

Aliud argumentum veræ Libertatis eſt, ſecuritas mentis de remiſſione peccatorum, pœnæ & totius culpæ, quæ ex fervore cordis provenit. Hic fervor quandóque circuit in corde, ſicut ignis in fornace, & hominem antè frigidum & pallidum in oratione, facit calidum, & rursùs hic fervor omnem maculam & pœnam conſumit, ſicut ignis rubiginem ferri exurit.

ARGUMENTUM ſervitutis & captivitatis habet, qui jugum obedientiæ deteſtatur, qui correptionem charitativam & fraternam abominatur, qui vindictam injuriarum ſuarum quotidiè meditatur, qui laude & favore hominum afficitur, qui ſcienter & pertinaciter in aliquo, quod eſt contra Deum & conſcientiam, vel contra voluntatem prælatorum occupatur, qui in receptione, vel collatione munuſculorum, vel litterarum amicabilium delectatur. Unde ſapiens quidam dixit: Munuſcula accipere, eſt liberta-
Iob. 17. tem vendere. Et Job aſſerit: Ignis de-

devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt, id est, ignis falſi amoris, & per conſequens, illum amorem ſequitur vinculum ſervitutis. De dante verò munera dicit Salomon: Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera, animam autem aufert accipientium. Singula horum auferunt homini Libertatem, & redigunt eum in miſerabilem ſervitutem. Non enim poteſt in Libertate Spiritûs Deo vacare, qui hujusmodi occupatur.



DE RELIGIONE.

CAPUT XXVIII.

RELIGIO vera, ſive ſpiritualis vita eſt, ſicut dicit Beatus Jacobus, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Ille immaculatum ſe ab hoc ſæculo cuſtodit, qui moribus ſæcularibus omninò renunciat, & tam carnalia, quàm ſpiritualia peccata, quantùm poteſt, devitat. Iacob. 1.

Ad veram vitam ſpiritualem inducere nos debet utilitas, de qua ſcriptura dixit: Spiritus eſt, qui vivificat, caro Ioan. 6.

Rom. 8. non prodest quidquam. Et Apostolus: Qui in carne sunt, inquit, Deo placere non possunt. Porrô, qui vult verè fieri spiritualis, debet fugere & odisse carnale commodum, & hoc fugat carnalia desideria, quæ militant adversùs
1.Petr. 2. animam, sicut dicit B. Petrus. Debet etiam appetere asperitatem vitæ, sive carnale incommodum, hoc enim conservat gratiam, sicut spinæ custodiunt herbas in horto. Nam gratia effluit per oculos, aures & os. Sicut autem ignis & aqua simul stare non possunt, ita nec carnalis & spiritualis voluptas secundùm Bernardum. Item debet cognoscere, quòd homo nihil boni possit ex se, sicut dicit Apostolus: Non
2.Cor. 3. quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, hoc verò auffert præsumptionem. Et rursùs intelligat, quòd omnia per Christum possit ampliùs & perfectiùs, quàm per semetipsum, eodem Apostolo testan-
Philipp.4. te: Omnia possum in eo, qui me confortat, hócque aufert desperationem. Quæ duo valdè sunt spiritualibus nociva, & eos sæpè impugnant, scilicet præsumptio & desperatio. Item huc pertinet coram Deo se reputare, non solùm, quàm vilis homo sit, sed etiam quàm vilis esse potuisset, nisi Deus

præcavisset, & hoc homini auffert timorem. Eodem spectat, quod Deus exiget ab homine rationem de omnibus malis commissis, & bonis omissis, & gratiis neglectis sibi & universitati, hoc infert utique justum timorem. Prodest etiam notare, quod omne bonum tanquam à Deo dante accipiat homo, idque falsum amorem excludit, commendat debitam Deo gratititudinem. Rursùs attende, omne malum tanquam à Deo pro utilitate nostra benignè permitti, hoc enim ad patientiam excitat. Jam quantò magìs in his suprà dictis quisque proficit, tantò magìs ad spiritualem vitam inducitur, & in ea crescit & confirmatur.

ARGUMENTUM veræ vitæ spiritualis habet, cujus spirttus carni penitùs dominatur, qui præthereà tam citò & tantùm sentit incommodum spirituale, sicut corporale, qui tantùm etiam fugit incommodum Spiritûs sicut corporis, & tantùm vitat locum, tempus & homines, ubi & per quos lædi potest in spiritu, sicut ubi offendi potest in corpore, & qui tam citò studet mederi spiritui, sicut carni, & tantò magis cavet spiritui, quàm carni vel corpori, quantò dignior est Spiritus & præstantiot corpore.

Item Argumentum veræ vitæ spiritua-

tualis habet, qui tantùm delectatur in cibis ſpiritualibus, quàm in corporalibus, & tam invitè negligit aliquâ horâ cibum ſpiritualem, ſicut corporalem, qui tam ordinatè ſumit cibos ſpirituales. quàm carnales, quíque tantùm ſe cogit ad cibos ſpirituales, cùm eos non appetit, ſicut infirmus cogitur ad cibos corporales, cùm eos faſtidit.

Item aliiud argumentum vitæ ſpiritualis eſt, ſi homo tam diligens eſt circà ſpiritum, ſicut circà carnem, ſi tam paratus eſt in omnibus obedire ſpirituali medico pro ſalute ſpiritûs, ſicut carnali medico pro ſalute corporis. Rursùm ſi ſollicitus eſt acquirere gratiam, quâ indiget tum in adverſitate, tum in proſperitate, apud amicos & inimicos, ſive laudetur, ſive vituperetur, ſi ſolus cum Deo, vel ſi cum hominibus agat, & ſi de acquirenda gratia tam ſit ſollicitus, ſicut de habendis cibis carnalibus, vel quadrageſimalibus, de veſtibus hyemalibus & æſtivalibus. Ad hæc ſi bona ſpiritualia tantùm ſtudet acquirere, multiplicare, conſervare & utiliter expendere, quantùm ſæcularis bona temporalia, ſi inſuper de ſpiritu tantò magis curat, magis curat, quàm de corpore, quantò
Rom. 8. dignior Spiritus eſt corpore. Hûc enim verè ſpectat, quod dicit Apoſtolus: Qui

Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, qui verò ſecundùm Spiritum ſunt, quæ Spiritûs ſunt, ſapiunt.

ARGUMENTUM carnalis vitæ eſt ſecundùm carnis regulas vivere. Et ſecundum Auguſtinum: Ille ſecundùm carnem vivit, qui pergit, quò vult, dormit, quando vult, quamdiu vult, loquitur, quæ vult & cui vult, ubi & quamdiu vult, manducat & bibit, quando & quantum vult, ridet & jucundatur turpiter, inter quos vult. Poſtremò quidquid naribus eſt ſuave, quærit, quidquid tactui blandum, quidquid oculis delectabile, quidquid corpori jucundum, qualiter vult exercet & quando vult. Deinde delectatur in pulchris veſtibus, equis & armis, quando vult & ſicut vult, & ſic non ſecundùm Deum, ſed carnaliter vivit & delectatur, & omnia deſideria carnis ſuæ perficit, ſicut vult & quando vult. August. in lib. de ſalutar. documentis cap. 17.

Aliud Argumentum vitæ carnalis eſt, libertas linguæ, quam ſequitur diſtractio cordis, juxta illud Jacobi: Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Ideò ſcriptum eſt: Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit Iacob. 1. Prov. 22.

inam ſuam: Et alibi: In manibus linguæ mors & vita.



DE MATURITATE.

CAPUT XXIX.

MATURITAS vera & perfecta eſt, cùm omnes affectiones & vires animæ unanimiter colliguntur in Deum. Ex hoc verè reſtringitur mens à vanitate, & deinde quinque ſenſus ab illecebris compeſcuntur. Sed quandocúnque anima beata illa unione recedit, diverſis mox vanitatibus irretitur. Nam omnia quæ ſub cœlo ſunt, vana ſunt, ut dicit Eccleſiaſtes. Eccleſ. 1.

Ad veram Maturitatem inducere nos debet ſanctiſſimum exemplum JEſu Chriſti, de cujus ſerioſitate ſic dicit Auguſtinus: Et quidem legimus Dominum JEſum doluiſſe, fleviſſe, & ex itinere defatigatum fuiſſe, opprobria & injurias ſuſtinuiſſe, ſputa, flagella, crucem ſuſcepiſſe, nunquam tamen legimus eum riſiſſe, nec in præſenti proſperatum fuiſſe: Hinc planè in ſpe gaudent omnes electi, cùm cæperint adverſitatibus mundi fatigari, & nullis ejus proſperitatibus fallaciter decipi,

August. in serm. de Sanct. ser. 35.

decipi, ſcientes aliam vitam ſupereſſe. Item ad Maturitatem præſtandam nos admonet, quod ſcriptura multùm vituperat diſſolutionem & riſum, juxta illud: Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtrà deciperis? Et alibi: Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat. Tum Pſalmiſta loquitur ad Dominum: Odiſti obſervantes vanitates ſupervacuè. Ac præcipuè nos movere debet comminatio JEſu Chriſti dicentis: Væ vobis! qui ridetis nunc, quia lugebitis. Item diſſoluta vita, morúmque levitas multùm abſtrahit à familiaritate Dei unumquémque & perceptione gratiarum.

Eccl. 2.
Prov. 14.
Pſalm. 30.
Luc. 2.

ARGUMENTUM veræ Maturitatis habet, qui nec verbis jocoſis, nec factis, nec ſignis, nec inceſſu diſſoluto, nec aliqua occaſione quemquam ad levitatem provocat, ſed ſemper in ſe & in aliis diſſolutionem ex corde deteſtatur, omnia loca vitat, in quibus diſſolvi & vanus eſſe poteſt, fugítque omnes homines diſſolutos, ut Maturitatem conſervet, ſciens, quòd qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat ſe diſſolutis, diſſolutionem non effugiet. Talis fuit beatus Job planè gravis & maturus, ut etiam diſſoluti ejus præſentiam fugerent, ſicut ipſe declarat

Iob. 29.

cens: Videbant me juvenes & abſcondebantur. Qui & tantam habuit conſuetudinem Maturitatis, ut ſi quid leviuſculi in eo viſum fuiſſet, nemo id facilè pro vitio habuiſſet, ſi quando, inquit ridebam ad eos, non credebant, & lux vultûs mei non cadebat in terram.

ARGUMENTUM Levitatis habet, qui pronus eſt ad riſum, jocoſus in verbis, diſſolutus in moribus, diſſoluta loca frequentans, cum diſſolutis habitans & ambulans, qui fugit maturos homines, cui gravis eſt aliorum Maturitas ad videndum, qui credit demùm ex Maturitate infirmitatem corporis ſibi provenire. Hujusmodi levitatis notam tenet juvenis ita deſcriptus in Eccleſiaſtico: Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ. Et ambula in viis cordis tui, & intuitu oculorum tuorum, & ſcito, quòd pro omnibus adducet te Deus in judicium. Tum Ambroſius dicit: Soliciti debemus eſſe, ne quid temerè aut curioſè geramus, aut quidquam omninò agamus, cujus probabilem non poſſimus reddere rationem.

Lætare 11.

DE



DE SIMPLICITATE.

CAPUT XXX.

SIMPLICITAS vera & perfecta est, neminem lædere, sed omnibus proficere, sicut Glossa declarat. Hæc est prima virtus, de qua commendatur Job dicente scriptura: Et erat Job vir simplex, quasi hæc virtus omnes alias in eo præcelluerit. Iob. 1. Eandem præcepit Dominus noster JEsus, cùm mitteret Apostolos in universum mundum, ut incredulos ad unitatem catholicæ fidei convocarent. Estote inquit, prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Matth. 10. Ubi prudentiam simplicitati conjungit, quoniam prudentia sine simplicitate calliditas est, simplicitas verò sine prudentia, stultitia est. Columba quidem nec ungue, nec rostro lædit, ita verè simplex, nec verbo, nec opere nocet. Verè Simplicitatem diligit, qui non occupatur sicut Martha circà multa, nam ibi plicæ sunt & distrahitur animus, sed tantùm unum quærit; de quo dicit ibidem Dominus: Porrò unum est necessarium, Luc. 10. & ob hoc laudatur Maria Magdalena,

quæ

quæ optimam partem elegit, ab ea nunquam auferendam. Hoc eſt unum bonum, in quo omnia bona æterna & immenſa conſiſtunt.

Ad amorem Simplicitatis inducere nos debet ingens utilitas ex ea proveniens. Scriptum eſt enim, quòd cum
Prov. 3. ſimplicibus eſt ſermocinatio Domini: Familiaris eſt utique Dominus ſimplicibus, quibus arcana ſua revelare non
Matth. 10. dedignatur. Unde Dominus Apoſtolis prohibentibus pueros venire ad præſentiam ſuam, reſpondit: Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Hæc eſt illa virtus, ſine qua homini ſalus non contingit. Dicit enim Dominus JEſus: Niſi effi-
Matth. 18. ciamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Ubi non dicit: efficiamini parvuli, ſed ſicut parvuli, id eſt, ſimplices & innocentes.

Alia eſt utilitas Simplicitatis, de qua
Prov. 10. in ſcriptura dicitur: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: Nam ad regnum cœlorum via ſecuriſſima eſt via Simplicitatis. Unde ſcriptum
Prov. 28. eſt in Proverbiis, quòd ipſe Deus protegit ambulantes ſimpliciter. Similiter non habet ſimplex cor & mundum, ut Auguſtinus dicit, niſi qui tranſcendit laudes humanas, & illum ſolum intuetur, qui rectè vivit & ei placere nititur,

tur, qui conſcientiæ ſolus inſpector, de cujus conſcientiæ puritate quidquid procedit, tantò eſt laudabiliùs, quantò humanas laudes minùs deſiderat.

ARGUMENTUM veræ Simplicatis habet, qui nullius facta pervertit, ſed bonum de omnibus præſumit, qui nullius bonum depravat, nullius bonum diminuit, omnium ſalutem deſiderat, nulli malum optat, & qui bona facit & benè, quíque bona ſentit de Domino, & in Simplicitate cordis quærit illum, qui voluntati ejus ſe ſubjicit, & mandata ejus cuſtodit.

ARGUMENTUM duplicitatis habet, qui unum gerit in ore, & aliud in corde, vel aliud in opere, ſicut Joab tenens mentum Amazæ dixit: Salve mi frater, & interim occultè educens gladium, occidit eum. Contra hoc dicit Dominus: Sit ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non, id eſt: quæ habetis in corde, proferte ore, & exhibete opere. Et B. Jacobus: Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Et duplicibus Deus maledicit, ſicut & illis, qui ſervire volunt Deo & diabolo, hoc eſt, in peccatis & bonis operibus ſimul exerceri. Contrà hoc namque dicit Dominus: Non poteſtis duobus Dominis ſervire, contrariis ſcilicet, Nam virtus & vitium, bonum

Matt. 5.
Iacob. 1.
Matth. 6.

num & malum, penitùs adversantur. Contra hos verò, qui intendunt Deo placere & mundo, dicit Beatus Jacobus. Qui voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.

Iacob.4.

ARGUMENTUM falsæ Simplicitatis habet, qui Simplicitatem exhibet in exteriori conversatione, & tamèn dolum gestat in corde. Cùm verò multi tales existant, monet Dominus in Jeremia: Unusqúisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedit.

Ierem.9.



DE TACITURNITATE.

CAPUT XXXI.

TACITURNITAS vera & perfecta est, moderari linguam non solùm à sermonibus illicitis, ut sunt detractiones, mendacia, perjuria, verba impudica, levia, iracunda, nociva, maledica, otiosa & similia, sed etiam ab utilibus & licitis, juxta illud Prophetæ: Obmutui & humiliatus sum, &

Psal.38.

filui à bonis, ſcilicet annunciandis. Rectè autem Gloſſa docet: Ille ſolus non cadit ad illicita, qui ſe cautè reſtringit à licitis. Neque ſolùm per verba inutilia & nociva, ſed etiam per verba utilia gratia ſpiritualis effunditur, cùm in loquendo modus non ſervatur. Rara eſt virtus moderatio linguæ, ſicut & Beatus Jacobus Apoſtolus aſſerit: Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentum cœterorum, inquit, domantur, & domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare poteſt. Inquietum malum, plenum veneno mortifero. Ubi Gloſſa notat: Lingua pravorum, beſtiis ferocitate, volucribus levitate, ſerpentibus virulentia antecellit. Sunt Pſalm.63.
beſtiales, qui exacuerunt ut gladium Pſal. 163.
linguas ſuas. Sunt volucres, qui poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Sunt ſerpentes, Pſal. 13.
de quibus dicitur: Venenum aſpidum ſub labiis eorum.

Ad amorem Taciturnitatis inducere nos debet ſuaviſſimum exemplum Domini noſtri JEſu Chriſti, quia Taci- Ioan. 19.
turnitatem commendans de impoſitione criminum interrogatus, nec ſe quidem excuſare dignatus eſt, nec per reſpon-

ſponſionem ſuam differre mortem acerbam voluit. Ad idem inducere nos debet exemplum cujuſdam Heremitæ, qui tribus annis lapidem in ore geſtabat, ut ſervare ſilentium diſceret. Citiùs enim addiſceret aliquis loqui, quàm tacere. Unde Ambroſius: Complures vidi loquendo in peccatum incidiſſe, vix quemquam tacendo. Scio loqui pleróſque, cùm tacere neſciant. Sapiens eſt ergo, qui novit tacere. Unde benè ait ſcriptura: Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus, laſcivus autem & imprudens non ſervabunt tempus.

Heremitæ exemplum

Eccl. 20.

Ad idem inducere nos debet utilitas proveniens ex Taciturnitate. Nam cor diſtractum componit, conſcientiæ ſerenitatem inducit, & ad recipiendam gratiam divinam habilem mentem facit. Ubi autem non eſt Taciturnitas, ibi homo facilè ab adverſario ſuperatur, juxta illud: Sicut urbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum: Ubi etiam non eſt moderatio linguæ, ibi nunquam erit perfectio, juxta illud: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Hinc & Gloſſa docet: Ubi eſt cuſtodia linguæ, ibi eſt beatitudo, ſecundùm illud. Beatus qui non eſt lapſus in

Prov. 25.

Iacob. 3.

Eccleſ. 14.
Prov. 21.

in verbo. Qui enim custodit os suum, custodit animam suam.

ARGUMENTUM veræ Taciturnitatis, qui cum liberè & licitè & sine observatione loqui potest, & qui novit, verba sua cum magno desiderio recipi, tamen nullo modo aut rarò inducitur ad loquendum. Recogitat enim illud Gregorii: Si sanctus Propheta Ezechiel missus ad loquendum fuerat, & septem diebus sedens mœrénsque tacebat, pensandum nobis est, quanta culpa sit ei, non tacere, quem nulla necessitas cogit loqui. Tum illud verbum Christi perpendit: Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die judicii.

Gregor. Ezech. 3. Hom. 11. sup. Ezech.

Matth. 12.

ARGUMENTUM loquacitatis est protervè loqui & clamorosè, vel cum elatione & arrogantia, vel tempore non opportuno, cùm tamen sermo opportunus sit optimus. Et scriptum est: Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus & impudens non servabunt tempus. Item vitiosum est loqui, ubi nemo audire curat vel auscultat. Unde scriptura præcipit: Ubi non est auditus, non effundas sermonem. Peccat insuper linguâ, qui antequàm interrogatur, ad respondendum prorumpit, non observans illud:

Eccles. 20.

Eccles. 32

Qui priùs respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Peccat etiam, qui non interrogatus ultrò respondet pro altero, cùm tamen scriptum sit: Adolescens loquere in tua causa vix, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.

Prov. 18.

Eccles. 32.

ARGUMENTUM falsæ Taciturnitatis est, tacere non propter virtutem, sed ne quis ab audientibus confundatur, vel ut propter Taciturnitatem laudetur, vel cùm nesciens utiliter loqui verecundatur, vel, ut per silentium stultitia ejus pallietur, secundùm illud: Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.

Prov. 17.



DE SOLITUDINE.

CAPUT XXXII.

SOLITUDO vera est, abstrahere mentem à solicitudine & occupatione actionum exteriorum, & ab omni delectatione creaturarum, omnes etiam affectiones, voluntates, intentiones unanimiter, quantùm potest, dirigere in Deum, ut fiat unus spiritus cum

cō.

eo. Ad hoc hortatur nos Esaias dicens: Ingredere in petram, (id est, in Divinitatem Christi) & abscondere in fossa humo (id est, in vulneribus Christi) à facie timoris Domini, & à gloria Majestatis ejus. Qui in hac petra est, solus est, qui extrà hanc petram est, in multitudine est. In hac Solitudine tanta gratia & illuminatio mentis percipitur, ut percipiens sit gravis aliis ad videndum. Sicut Moyses solus manens in monte cum Deo quadraginta diebus ac noctibus tantùm illuminatus fuerat, ut lux de vultu ejus erumperet, & de claritate vultûs, quasi radii solis procederent, quos filii Israël non poterant intueri, donec faciem suam velaret. Esaiæ 2. Exod. 34.

Ad amorem Solitudinis inducere nos debet sanctissimum exemplum Domini nostri JEsu Christi, qui licèt ex nullius consortio seu negotio unquam impediri posset in spirituali negotio, sæpè tamen declinavit à turba propter amorem solitudinis, & quandóque cum ampliùs non posset, à charissimis Apostolis suis ad orandum secessit, quantùm jactus est lapidis, sicut dicit Evangelista, per hoc innuens, quòd etiam viri sancti in multitudine familiariter Deo vacare non possunt, & modicam vel nullam gratiam efficacem Luc. 22.

inter homines consequantur. Hinc est quod Zachæus Dominum JEsum
Luc. 19. in turba videre non potuit, sed postmodùm vidit ipsum, & Salvatoris vocem audivit, quùm solus arborem ascendisset.


Ad idem nos inducere debet utilitas Solitudinis, de qua Dominus de sponsa
Oseæ 2. sa dicit: Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. O! quàm felix est; qui vel semel audit Dominum intùs loquentem. Locutio autem Domini in corde hominis est de arduis gratiis securitatem menti præstare. Unde dicit Propheta: Audiam, quid
Psal. 84. loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.

Ad idem nos inducere debet, quòd sancti Heremitæ olim concurrerunt & erraverunt in solitudine, in montibus, in speluncis & in cavernis terræ, ut Deo continuè vacare possent, & quandóque in triginta vel quadraginta annis hominem non viderunt.

ARGUMENTUM Solitudinis habet, cui gravis pœna est esse cum hominibus, & ab eis se abstrahit, quacúnque occasione potest secundùm
Psal. 54. illud: Ecce elongavi fugiens, & mansi in Solitudine. Sic B. Mariæ Magda-

dalenæ pœna fuit, videre homines, postquam Dominum JEsum ampliùs videre non potuit: imò etiam videre Angelos ei pœna fuit. Unde Angelis volentibus eam consolari de recessu Domini de Sepulchro ait: Quæro Creatorem, & ideò gravis est mihi ad videndum omnis creatura. Ideóque fugit in eremum præ amore Domini nostri JEsu Christi, triginta annis, carens omni cibo & potu corporali, quam Angeli levabant in aëra singulis horis ad orandum deputatis, in qua oratione sumpsit corporis & animæ nutrimentum.

ARGUMEMTUM falsæ Solitudinis habet, qui licet solus sit corporaliter coram Deo, anima tamen ejus est in diversis mundi finibus, variis negotiis occupata. Hæc duo, scilicet taciturnitas & solitudo efficaciter mentem hominis elevant ad contemplationem. Unde est illud Threnorum: Sedebit solitarius & tacebit, quia levavit se super se. Thren.3.



DE CONTEMPLATIONE.

CAPUT XXXIII.

CONTEMPLATIO vera est, collectio affectionum & omnium virium animæ ad cognoscendum cum delectatione & admiratione mentis aliquid de divina natura, scilicet ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, charitatem, nobilitatem, largitatem; tum occulta Dei judicia, sive sacratissimam ejus voluntatem, aut aliquam perfectionem, quæ tendit in Deum. In hac Contemplatione fuerunt Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli Sancti. Nam Patriarchis & Prophetis occulta sua Deus per Spiritum Sanctum revelavit, ut Noë de diluvio, Abrahæ de subversione Sodomorum, Joseph de fame Ægypti, Hieremiæ de transmigratione & captivitate Judæorum, Danieli de statua Nabuchodonosoris, & sic de aliis Prophetis & Patriarchis, quibus alia secreta revelavit, ut Ezechieli diversas visiones. Unde Amos: Non faciet Dominus verbum, nisi secretum suum revelet servis suis Pro-

Gen. 6. Gen. 18. Gen. 47. Hierem. 27. Dan. 4. Ezech. 1. Amos 3.

Prophetis. Apostolis verò per Unigenitum Filium suum omnem voluntatem suam & omnem perfectionem indicavit, sicut ipse dicit: Omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis, nimirùm, ut & ipsi posteris suis eadem revelarent, quod & fideliter fecerunt. Nam in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed inter alios Apostolos B. Joanni Evangelistæ & B. Paulo occultissima revelavit & indicavit. Inter alia octo beatitudines eis revelavit dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, & cætera sequentia, quæ magnam continent in se perfectionem, perfectámque indicant Dei voluntatem.

Joan. 15.

Psalm. 18.

Matth. 5.

Differunt autem Contemplatio, & meditatio & cogitatio. Nam in cogitatione, mentis est evagatio, in meditatione investigatio, in Contemplatione mentis admiratio. Cogitatio est sine labore & sine fructu, meditatio est cum labore & fructu, Contemplatio est sine labore & cum fructu.

Ad Contemplationem Dei inducere nos debent tres gradus, de quibus dicit Gregorius: Ad Contemplationem necessarii sunt gradus animæ tres. Primus est, ut se anima ad se colligat.

Gregorius Hom. 17. super Ezech.

Secundus, ut videat, qualis eſt collecta. Tertius, ut ſuper ſemetipſam ſurgat, ac ſe Contemplationi auctoris inviſibilis intendendo ſubjiciat. Sed ſe nullatenùs colligit, niſi priùs didicerit, terrenarum atque cœleſtium imaginum phantaſmata ab oculis mentis reducere, quidquid de viſu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu & guſtu corporeo cogitationi ejus occurrerit, reſpuere atque calcare, quatenùs talem ſe quærat intùs, qualis ſine iſtis eſt. Nam hæc quando cogitat, quaſi quaſdam umbras corporum introrſùs verſat: Abigenda ſunt ergò omnia manu diſcretionis ab oculis mentis, quatenùs talem ſe eſſe anima conſideret, qualis ſub Deo ſuper corpus creata eſt.

Ad idem inducere nos debet ineffabilis ſuavitas, quæ ibi percipitur, admirabilis perfectio, quæ ibi addiſcitur, principium omnis beatitudinis, quod ibi reperitur. Fons enim omnis beatitudinis ſummus Deus ibi cognoſcitur, & quod verè cognoſcitur, hoc amatur, & quod verè amatur, hoc deſideratur, & pro eo obtinendo laboratur, & pro quo ſtudioſè laboratur, hoc tandem acquiritur, cumquè acquiſitum fuerit, cum delectatione interminabili poſſidetur. De hac Contem-

templatione dicit Bernardus: Quæ enim anima semel à Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper (spiritus enim est Deus, & qui quærunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, & non in carne, ut secundùm carnem vivant) talis inquam, anima nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribiliùs, pœnaliúsve, quàm post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem, exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis, sensuúmque inexplebilem repetere curiositatem, dicente Ecclesiaste: Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Audi enim hominem expertum, quæ loquitur. Bonus est (inquit) Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Ab hoc bono, si quis avertere sanctam illam animam conaretur, hæc puto haud secùs id acciperet, quàm si se de paradiso & ab ipso introitu gloriæ conspiceret deturbari. Audi adhuc & alium similem huic: Tibi dixit cor meum (ait) exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Unde & rursùs dicebat: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Et item loquens ad animam suam dicit: Convertere anima mea in requiem tuam, quia Do-

Bernard. serm. 35. sup. cantica

Ioan. 4.

Eccles. 1.

Tren. 3.

Psalm. 28.

Psal. 72.

Psalm. 114.

minus benefecit tibi. Dico ergò vobis, nil est quod in tantùm formidet, quisquis hoc beneficium semel accepit, quàm ne à gratia derelictus, necessè habeat denuò egredi ad carnis consolationes, rursúmque carnalium sensuum sustinere tumultus. In hac Contemplatione fuit S. Augustinus, cùm dixit: Mihi autem displicebat, quod agebam in sæculo, & oneri mihi erat valdè, non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris & pecuniæ; Jam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua, & decore domûs tuæ, quam dilexi.

ARGUMENTUM veræ Contemplationis habet, quem in miseria hujus mundi vivere tædet cum B. Job dicen-
Iob. 10. te: Tædet animam meam vitæ meæ.
Rom. 7. Et cum B. Paulo exclamante: Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Talis erat & B. Tobias
Tob. 3. dicens: Meliùs est mihi mori, quàm vivere. Talis etiam ad fontes vitæ sitit cum Psalmista decantans: Quem-
Psalm. 41. admodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Unde Gregorius: Contem-
Gregor. Hom. 14 super Ezech. plativa vita est, charitatem quidem Dei & proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, ut nihil jam

age-

agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam sui Creatoris faciem animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totísque desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, & de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

ARGUMENTUM falsæ Contemplationis habet, qui aliquid de Deo, vel aliqua perfectione cognoscit, cui veritas Sacræ Scriptura contradicit, & hoc tamen temerè per rationes defendit. Ex hoc fonte olim hæreses processerunt, scilicet Arrii, qui proprium sensum sequens, filium coæternum, consubstantialémque Patri negavit, & Sabellii, qui personas in Trinitate confudit, ponens nominalem tantùm differentiam, cùm verè differant proprietatibus. Pater enim propriè habet innascibilitatem, Filius propriè nascibilitatem, Spiritus Sanctus processionem.



DE DISCRETIONE.

CAPUT XXXIV.

DISCRETIO vera est, prudenter di-

dijudicare inter Creatorem & creaturam, quid ſit Creator, & quid creatura, & quantùm Creator differat à creatura? Item dijudicare quid ſit bonum, quid melius, quid optimum, quid malum, quid pejus, quid peſſimum? quantum bonum ſit appetendum, quantum malum deteſtandum? Item, quantam reverentiam debeat homo ſuperiori, quantam clementiam inferiori & compaſſionem, qualem ſocietatem æquali, qualiter debeat ſe habere ergà mortuos, qualiter ergà vivos, qualiter ergà prædeceſſores, qualiter ergà ſucceſſores, qualiter in amicos, ut nimirùm diligantur in Deo, qualiter ergà inimicos, ut diligantur propter Deum, qualiter coram Deo occultè, qualiter coràm hominibus manifeſtè? quæ refectio carni, quæ ſpiritui impendenda ſit? quibus veſtibus induendum? quando comedendum, quando bibendum, quando abſtinendum, & quantum, & à quibus cibis? quando vigilandum, quando dormiendum, & quantum & quamdiu? quando orandum, quando flendum, quando aliquod opus faciendum? quomodo ſe quis gerat in laudando aut reprehendendo alio? quando loquendum, quando tacendum, & quantum & de quibus cauſis, cum quibus, quo loco, quo tem-

tempore? quando accipiendum, quando retinendum, quando largiendum, & quantum & quibus & quo tempore? De omnibus his ordinatè & prudenter dijudicare, est vera discretio.

Hæc virtus est Magistra omnium virtutum, statuens omnibus modum & & ordinem. Ubi autem discretio non est, ibi charitas non servat ordinem, quid primò, quid postremò diligendum sit, nec modum, quid minùs, quid ampliùs diligendum sit novit. Ibi humilitas nimìs dejicitur, & fit secundum Augustinum, ut ubi nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Ibi obedientia cæca & stulta fit, cùm etiam in malis credit obediendum esse. Ibi etiam largitas nimiùm se effundit, cùm histrionibus sine necessitate datur. Ibi timor in desperationem dejicitur, spes in præsumptionem convertitur. Ibi justitia nimiam severitatem demonstrat, ibi patientia, misericordia, mansuetudo, bonitas, injusta dissimulat. Ibi religio dissolvitur, veritas falsificatur, castitas violatur, maturitas levis efficitur, constantia permutatur. Hæc discretionis virtus ex defectu aliarum virtutum crescit. Cùm enim sæpè homo cadit de humilitate in superbiam, vel vanam gloriam, de charitate in invidiam, de

pa-

patientia in iram, de mansuetudine in rancorem, de fervore in teporem, de castitate in carnalem concupiscentiam, de amore paupertatis in avaritiam, de pace in turbationem, de unione in discordiam, de obedientia in rebellionem, de maturitate in levitatem, de religione in dissolutionem, de taciturnitate in loquacitatem vel detractionem, de spirituali amore in carnalem, de spe in præsumptionem, de justo timore in metum humanum vel servilem, de justitia in severitatem, de misericordia in mollitiem, de constantia in mutabilitatem, de veritate in falsitatem, tunc primùm fit cautior, & ad cavendum solicitior, & in omnibus discretior redditur.

Ad veram discretionem nos inducere debet & potest, assidua lectio & meditatio in scripturis, continua investigatio de sanctorum exemplis, frequens consilium à viris discretis, juxta illud: Consilium semper à Sapiente perquire. Unde Dominus ad Paulum: Ingredere, inquit, in civitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Similiter Christus Dominus misit leprosos ad superiores dicens: Ite ostendite vos Sacerdotibus, videlicèt non tantùm uni, sed pluribus, ut

Tob. 4. Actor. 9. Luc. 17.

unus

unus eorum minùs discretus sit, alter discretior requiratur.

ARGUMENTUM veræ discretionis habet, qui omnia facta sua cum consilio discretorum pertractat, quos si semper ad manum habere non potest, singula opera sua & negotia in conscientia sua coram Deo cum vera discretione & matura deliberatione discutit, juxta illud: Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Ecel. 32. Nec tamen quis in hoc conscientiæ suæ semper credat, nisi scripturæ manifestum testimonium habeat, nec scripturam ad sensum suum aliquatenùs torqueat, sed sensum suum scripturæ sacræ conformet.

ARGUMENTUM indiscretionis habet, qui jejuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis & lachrymis suprà vires vacat & intendit, brevi tempore se destruens, ut pluribus annis in servitio Dei inutilis fiat. Sed heu! pauci sunt homines hujus temporis, qui in hujusmodi rebus excedant.

ARGUMENTUM falsæ discretionis habet, qui volens cavere destructionem sui corporis nihil eorum negligit, quæ commoda sunt corpori, dicens Domino: Fortitudinem meam Psal. 58. ad te custodiam, & Spiritus interim sine spirituali cibo in eo deficit & tabescit,

qui

qui ſine labore nullatenùs haberi poteſt. Unde Auguſtinus: Dum infirmitatem noſtræ carnis timemus, ſalutem animæ negligimus, quia caro ſi delicatè nutritur, occidit Spiritum. Et ſecundúm eundem Auguſtinum: Sicut tinea lanam devorat, & ignis lignum, fœnum & ſtipulam comburit, ita delicata caro animam concremat & conſumit. Talis non cogitat, quòd tandem caro deſtruetur, etiamſi omni commodo frueretur. Ita ſæculares omnem corpori voluptatem impendentes, non ob hoc magìs Deo ſerviunt, ſed frequentiùs etiam infirmantur. Meliùs eſt autem viventem Spiritum gratiâ repletum eſſe in corpore languido, quàm Spiritum languidum vel mortuum eſſe in corpore ſano.



DE CONGRATULATIONE.

CAPUT XXXVI.

CONGRATULATIO vera ergà Deum eſt, congaudere Deo in omni beatitudine & perfectione innata ipſi æternaliter, videlicet de

de omni ejus potentia, ſapientia, bonitate, & quòd nullius indigeat, ſed quod ipſe ſibi & omnibus creaturis ſufficiat. Item congaudere Deo de ordinatione cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, & de operibus ejus uſque ad finem ſæculi, præcipuè autem de operibus Incarnationis ejus & Circumciſionis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Spiritûs ſancti miſſionis, & de omnibus ejusdem judicis, manifeſtis & occultis circà dæmones, circà animas in inferno, in limbo, in Purgatorio, & circà malos homines in mundo. Item congaudere Deo, quidquid demùm laudis & reverentiæ habet ab Angelis & à Sanctis in cœlo, & ab hominibus in terra.

Item vera Congratulatio ergà proximos eſt, congaudere ſingulis Angelis de gloria, quam habent in cœlo. Item peccatoribus de ipſorum converſione, juſtis ob eorum in bono confortationem, & gratiarum conſervationem Eccleſiæ de collatis ei Sacramentis & donis Spiritûs Sancti. Prætereà congaudere ſingulis hominibus non ſolum in terra, ſed & in Eccleſia triumphante, videlicet Beatæ MARIÆ Virgini, Patriarchis & Prophetis, Apoſtolis &c. Tum ſingulis electis de do-

nis à Deo perceptis & percipiendis singulis congaudere.

Ad veram Congratulationem inducere nos debet maxima utilitas ex ea proveniens. Nam quidquid Deus omnipotens perfectionis, bonitatis & beatitudinis in se naturaliter habet, quidquid gloriæ Angeli & Sancti in cœlo, quidquid gratiæ & virtutis Ecclesia, & in ea fideles habent, hoc totum unicuique per Congratulationem fit proprium.

Ad idem nos inducere debet, quòd Congratulatio Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, origo est omnium creaturarum, & fuit semper, & nunc est principium omnium operum divinorum.

ARGUMENTUM veræ Congratulationis habet, qui per omnia delectatur in omnibus, quæ in Deo sunt, cui ordinatio Ecclesiæ & omnia opera Dei, & judicia & mores divini, & sanctissima exempla Domini nostri JESU Christi, omniúmque amicorum ejus ex corde placent, qui & omnia ea verbis commendat & aliis manifestat. Item cui de singulis donis naturalibus, spiritualibus, gratuitis Angelorum & Sanctorum in cœlo, & singulorum hominum in terra generatur gaudium speciale, & ad hæc omnia semper & ubique pro sua virili cooperatur.

AR-

ARGUMENTUM falsæ Congratulationis habet, qui omnem ordinationem divinam in cœlo & in terra, opera quoque justorum & virtutes, & sanctam eorum vitam ore quidem commendat, sed in corde vituperat. Talibus improperat Dominus per Esaiam dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Tales de corpore Ecclesiæ præcisi sunt, qui bona corporis non participant. Esai. 29. Matt. 15.

DE CONFIDENTIA.

CAPUT XXXVI.

CONFIDENTIA vera & perfecta est, mentis securiras, quòd omnipotens & fidelis Deus nunquam amicos suos derelinquit, juxtà illud Ecclesiastici: Scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Ecel. 22. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est?

Ille veram Confidentiam habet, qui certns est, quòd super omnia bonus Deus suis semper præsens est in tribulationibus, & semper paratus est, ut

eos à tentationibus liberet, & liberatos glorificet. Hoc Deus ipse testatur dicens: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et sic fuit cum Daniele in lacu Leonum, sic cum Noë in arca, cum Joseph in cisterna & carcere, cum tribus pueris in camino ignis, eósque omnes benignissimè liberavit. Unde Beatus Petrus affirmat: Novit Dominus pios eripere de tentationibus. Et in Tobia dicit Sara: Hoc pro certo habet omnis, qui colit te, quòd vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.

Psalm. 90. Dan. 24. Gen. 7. Gen. 37. Daniel. 3. 2. Pet. 2. Tob. 3.

Ille veram habet Confidentiam, qui omnes preces suas, & omnia desideria sua justa non dubitat exaudiri. Nam Chrysostomus dicit: Si cum hoc studio mentis accesseris & dixeris: Nisi accepero, non recedam, prorsùs accipies, si modò talia postulaveris, quæ & illum, qui petitur, dare deceat, & accipere tibi, qui precaris expediat. Hæc virtus valdè laudabilis est, magni meriti coram Deo, ad quam hortatur Apo-

Chrysost. hom. 14. in Matth.

Apoſtolus dicens: Nolite amittere Confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Hebr. 10.

Ad veram Confidentiam inducere nos debet, quòd largiſſimus Deus absque deſiderio noſtro ſæpè majora nobis dedit, ex ſua mera & incomprehenſibili liberalitate & bonitate, quam auderemus deſiderare. Creavit enim nos Deus Pater ad imaginem ſanctæ Trinitatis, & ſanctiſſimus Filius ejus JEſus dedit nobis carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum, quin & animam ſuam in pretium redemptionis. Quis enim unquam vel ſemel auderet de hujusmodi petendis & obtinendis cogitare? Gen. 2. Matth. 26

Ad eandem Confidentiam nos inducere debet Chriſti in cruce diſpoſitio. De hac ita docet Bernardus: Quis enim non raperetur ad ſpem, & ad impetrandi fiduciam, ſi attenderet in cruce Chriſti corporis diſpoſitionem? Vide caput inclinatum ad oſculandum, brachia extenſa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extenſionem ad ſe totum impendendum.

ARGUMENTUM veræ Confidentiæ habet, quem de peccatis mortalibus conſcientia non mordet. Nam

teste B. Joanne: Si cor nostrum non
1. Joan. 3. reprehenderit nos, fiduciam habemus
ad Deum, & quidquid petierimus, ac-
1. Joan. 5. cipiemus ab eo. Et iterum: Hæc est,
inquit, fiducia, quam habemus ad
eum: Quia, quodcúnque petierimus se-
cundùm voluntatem ejus, audit nos.
Dan. 13. Unde legitur de Susanna: Erat cor
ejus fiduciam habens in Domino, quia
scilicet se cognovit de objecto crimine
innocentem.

Aliud Argumentum veræ Confidentiæ habet, qui in bonis operibus continuè se exercet, & præcipuè in spirituali eleemosyna, quæ est remittere injurias, & supererogare orationes.
Tob. 4. Unde dicitur in Tobia: Eleemosyna
ab omni peccato, & à morte liberat, &
non patietur animam ire in tenebras.
Fiducia enim magna erit coram summo
Deo eleemosyna omnibus facientibus
eam. Tum certa est Christi promis-
Luc. 6. sio: Dimittite & dimittemini. Date,
Matt. 11. & dabitur vobis. Petite, & accipietis,
quærite, & invenietis.

Aliud Argumentum veræ Confidentiæ habet de remissione peccatorum, qui in juventute & sanitate sua veram
August. pœnitentiam pro peccatis exercet. Nam
Hom. 4. ut Augustinus docet: Si quis positus
in ultima necessitate ægritudinis suæ,
voluerit accipere pœnitentiam & acci-
pit,

pit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quia benè hinc exit. Fidelis benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus, cùm sanus est, & posteà benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus, si securus hinc exit; ego non sum securus. Nunquid dico, damnabitur? Non dico. Sed dico, etiam liberatur? Non. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum est, evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, curre ut reconcilieris; si sic agis, securus es. Quare securus es? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam ipsam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Ergò tene certum, & dimitte incertum. Qui ergò veram volunt obtinere pœnitentiam, oportet, quòd convertant vires suas ad opera spiritualia, juxtà illud Esaiæ: Qui Esa. 40.
sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Unde qui antè fuerunt fortes ad labores corpo-

rales; posteà fortes etiam erunt ad labores spirituales.

ARGUMENTUM diffidentiæ habet, qui vilipendens gratiam Redemptoris, sciens & volens in peccatis jacet.
Ioan. 9. Unde in Evangelio legitur: Scimus quia Deus peccatores non exaudit, sed si quis Dei cultor est, voluntatem ejus
Psal. 65. facit, hunc exaudit. Et Psalmographus de seipso testatur: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Domi-
Esa. 59. nus. Tum prædicat Esaias: Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.

ARGUMENTUM falsæ Confidentiæ habet, qui putat justissimum Deum in tantùm superari misericordiâ & pietate, ut tam bonos, quàm malos in die judicii salvet, eò quòd pro om-
Matt. 25. nibus mortuus est Christus. At apertè scriptum est: Ibunt hi (injusti) in supplicium æternum. Sic & Athanasius affirmat: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum.

ARGUMENTUM falsæ Confidentiæ habet, qui putat peccatorum primam gratiam promereri posse, quando ipsi placuerit, quùm solus Deus det hanc gratiam sine meritis, cui & quando ipsi visum est. Item si quis credit, quòd

quòd qui hîc abundat in temporalibus bonis, etiam in futuro abundet gaudiis sempiternis. Contra hoc dicit Psalmista: Videbunt justi, scilicet divitem in inferno, & super eum videbunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum Adjutorum suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua. Psalm. 51.



DE CONTEMPTU MUNDI.

CAPUT XXXVII.

VERUS Contemptus mundi est, abrenunciare rebus temporalibus, pompis sæculi, dignitatibus & prælaturis spiritualibus & sæcularibus, & abstrahere se ab amicis carnalibus, & moribus sæcularibus propter spem beatitudinis æternæ. Ad hoc monet B. Joannes in Canonica sua dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Hunc Contemptum habuit B. Augustinus, cui displicebat, quidquid agebatur in sæculo, cúmque colloqueretur cum matre sua valdè dulciter, displicebat & vilescebat ei mundus cum delectationibus suis. Simi-

1. Joan. 2.

August. lib. 9. con. cap. 10.

militer Beata Agnes, Catharina, Cæcilia & aliæ Virgines regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempserunt propter amorem Domini nostri JEsu Christi.

Ad Contemptum & odium mundi inducere nos debet, quòd ille tantam infidelitatem exhibet in fine suis dilectoribus. Idem quoque factum est Creatori mundi à mundanis, quem in die Palmarum gloriosè susceperunt,
Matth. 21. exeuntes obviam ei & cantantes: Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israël, postmodùm verò feriâ sextâ processerunt clamantes coram Pila-
Ioan. 18. to: Crucifige, crucifige eum. Reus est mortis. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Et cùm
Matth. 27. penderet Dominus in cruce, deridebant eum dicentes: Si Filius Dei es, salva temetipsum. Et eundem quem cum palmis, floribus & frondibus anteà susceperant, posteà virentibus spinis coronaverunt, virgisque & flagellis cæciderunt. Tum, cui vestimenta in via straverant, eundem ante crucem omnibus vestibus spoliaverunt, & demùm gloriam priùs exhibitam omninò in contumeliam suo Messiæ mutaverunt.

Ad ejusdem mundi Contemptum & odium nos debet inducere periculum

ex amore mundi proveniens. Fit enim id, quod Salomon dicit: Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. Tum teste beato Jacobo Amicitia hujus mundi inimica est Deo, & qui voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. Præterea mundus odio habuit Dominum JEsum & omnes amicos ejus, sicut ipse Apostolis ad consolationem dixit: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Prov. 14. Jacob. 4. Joan. 15.

ARGUMENTUM veri Contemptûs mundi habet, qui non curat generis nobilitatem, nec quærit carnis voluptatem, nec divitias, nec culmen honoris appetit. Talis fuit Moyses, de quo scribit Apostolus: Fide Moyses grandis factus, negavit se esse Filium filiæ Pharaonis (Contemptor scilicet nobilitatis) eligens magìs affligi cum populo Dei, quàm peccati temporalis habere jucunditatem (contemptor scilicet voluptatis) majores æstimans divitias thesauro Ægyptiorum, improperium Christi (spernens scilicet divitias) aspiciebat enim in Remuneratorem. Hebr. 11.

Aliud Argumentum veri Contemptûs mundi habet, qui nec sæculi blanditiis mulcetur, nec minis terretur, nec

vitu-

vituperio, nec laude humana move-
tur, nec odio, nec favore hominum
ad amorem mundi inclinatur. Ita
mundum contempſit Apoſtolus, quan-
Philip. 3. do dixit: Omnia arbitratus ſum ut
ſtercora, ut Chriſtum lucrifacerem.

ARGUMENTUM falſi Con-
temptûs mundi habet, qui ab amore
ſæculi & illecebris mundi tunc primò
ſe abſtrahit, quando ſe præ ſenectute,
debilitate, & paupertate in ipſis exer-
cere non valet. Tunc verò non re-
linquit ille mundum, ſed à mundo re-
linquitur, ſicut heu! quàm plurimi
ſunt, qui tunc peccare deſiſtunt, quan-
do ampliùs peccare non poſſunt.

DE MACERATIONE CARNIS.

CAPUT XXXVIII.

MACERATIO Carnis vera eſt, cùm quis ſponte caſtigat corpus ſuum jejuniis, vigiliis, orationibus, ciliciis, diſciplinis, abſtinentiâ cibi & potûs delectabilis, ut in omnibus caro ſpiritui ſubjiciatur. Hoc fecit Apoſtolus ſic inquiens: Caſtigo corpus meum

meum & in servitutem redigo. Fecit & Judith, quæ pulchra & juvenis erat vidua & dives, postquam manserat cum vi.o suo tribus annis à virginitate sua & sex mensibus, habúitque cilicium super lumbos suos, & jejunavit omnibus diebus præter dies solemnes in Jerusalem. 1. Cor. 9. Judith. 8.

Ad amorem Macerationis Carnis inducere nos debet magna Utilitas ex ea proveniens. Nam ex Maceratione carnis, spiritus in negotiis spiritualibus roboratur, juxta illud Apostoli: Cùm infirmor(in carne) tunc fortior sum (in spiritu.) Contrà verò ex mollitie carnis vigor spiritûs in spiritualibus hebetatur, juxtà illud Augustini: Delicata caro animam concremat & consumit, sicut ignis stipulam. 1. Corint. 22.

ARGUMENTUM veræ Macerationis est, cùm carni nulla voluptas, sed sola necessitas impenditur, juxtà illud Apostoli dicentis: Debitores sumus non carnis, ut secundùm carnem vivamus. Voluptas multò plura & delicatoria exigit, quàm necessitas requirit, sed necessitas paucis & vilibus est contenta. Et subjungit Apostolus malum, quod consequitur voluptatem, dicens: Si secundùm carnem vixeritis, moriemini, sed si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Et alibi: Rom. 8.

Ma-

Galat. 5. Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Aliud argumentum est Maceratæ carnis, quandò aliquis secundùm consilium JEsu Christi odit animam suam in hoc mundo. Nam ipse Dominus dicit: Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quod exponens Beatus Gregorius ait: Gregor. Hom. 37. sup. Evang. Tunc benè animam nostram odimus, cùm ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, cùm ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur. Qui autem animam suam à concupiscentiis non refrenat, in laqueos diaboli se præcipitat, secundùm illud Ecclesiastici: Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis, sicut improba Dalila tradidit Samsonem fortissimum Philistæis hostibus illudendum.

AR:

ARGUMENTUM falsæ Macerationis habet, qui tantùm ventrem & os suum coërcet à cibi & potûs voluptate, & linguam tamen suam non compescit à verbis illicitis, nec visum, auditum, gustum, odoratum & tactum refrœnat à delectationibus, neque cor suum à cogitationibus & affectionibus voluptuosis. Parùm est enim os & ventrem restringere à cibis, ubi cor & omnes sensus delitiis pascuntur. Unde Chrysostomus: Qui à cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus non esca, sed nequitia semper adest.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

DE CONTRITIONE,

CAPUT XXXIX.

CONTRITIO vera, est dolor pro peccatis voluntariè assumptus pro quantitate & qualitate criminum, unà cum proposito confitendi & satisfaciendi, ex gratia gratuita proveniens: Dolor enim naturalis, vel dolor sine gratia nil prodest peccatori. Qantitatem doloris pro peccato debiti exprimit Jeremias, cùm dicit: Luctum unigeniti fac tibi. Hanc contritionem Jer. 6.

præ-

cepit Dominus in Joële, dicens: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ad quam scissionem spiritualem valent spinæ, clavi, virgæ, flagella, crux, lancea, quæ scindebant Corpus Christi Domini nostri. Vera Contritio rara est, unde Gregorius: Sciendum, quod sunt quidam, qui etiam sæculum relinquentes, totum quidem quod haqent offerunt, & tamen in bonis, quæ agunt minimè compunguntur. Nec semper credendum est veram compunctionem esse, ubi gemitus apparent & lachrymæ. Nam ex timore inferni, vel ex consideratione alicujus damni, vel ex naturali dolore, vel ex naturali compassione sæpè solent talia provenire, cùm recordatur aliquis enormitatem scelerum suorum, vel acerrimam Passionem JESU Christi.

Joel 2.

Ad veram Contritionem exigitur dolor de omnibus peccatis commissis, & de omnibus bonis omissis, & de omnibus gratiis neglectis, sibi & universitati, & similiter, quæ occasione sui committi, vel omitti, vel negligi per aliquos potuerunt.

Ad veram Contritionem inducere nos potest, si fideliter cogitamus, quid per peccatum amisimus, scililet Spiritum sanctum unsi cum omnibus donis suis,

ſuis, omnésque virtutes gratuitas, amicitiam Trinitatis, ſocietatémque cœleſtis curiæ. Item cogitandum, quid acquiſivimus per peccatum; æternam ſcilicet mortem, maledictionem Dei Patris. Nam teſte Pſalmiſta. Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Psalm. 5. Psal. 118. Tum ad Contritionem excitat conſideratum odium Domini noſtri JESU Chriſti, qui odit omnes operantes iniquitatem, & quòd Spiritus ſanctus auffert ſe à cogitationibus etiam, quæ ſunt ſine intellectu, multóque magis ab operibus malis. Hæc enim pejora ſunt & horribiliora, quàm ipſa pœna gehennæ, ut dicit Chryſoſtomus.

Ad idem nos inducere debet utilitas maxima, proveniens ex vera contritione. Nam minima contritio omnes animæ maculas delet, mortem æternam occidit, benedictionem Dei Patris confert, amicitiam Filii Dei reddit, familiaritatem Spiritûs ſancti, ſocietatémque civium ſupernorum reſtituit. Et quantumcunque ſit parva contritio, magis coram Deo ſatisfacit, quàm maxima eleemoſynarum largitio. Hæc omnia ſæpè ponderata in ſtatera cordis, inductiva ſunt veræ Contritionis.

ARGUMENTUM veræ Contritionis habet, qui in tantùm deteſtatur

peccati immunditiam, quòd omnem pœnam purgatorii libentiùs eligeret, quàm, quòd contrà benignissimum Deum unquam peccatum aliquod commisisset, qui prætereà ad pœnam infernalem se potiùs exhiberet; sicut Eleazarus, quàm quòd unquam de cæ-
2.Mach. 6. tero ex proposito aliquod peccatum committeret, id quod etiam eligendum esse dicit Augustinus. Item, qui pœnam omnium Martyrum libentissimè sustineret, ut per hoc mereri posset, ne de cætero aliquod peccatum unquàm perpetraret. Et qui demùm omnem afflictionem ad infirmorum & pauperum sustinendam se libenter offertet, ut pro offensa Deo dignè satisfacere possit.

ARGUMENTUM falsæ Contritionis habet, qui quamvìs peccata commissa vehementer defleat, tamen continuò post dolorem eadem vel alia committere non cessat. Contrà hoc
Eccl. 34. dicitur in Ecclesiastico: Qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit mortuum, quid prodest lotio ejus? Similiter qui de peccatis præteritis dolet, & de cætero peccata dimittere non proponit, videlicet superbiam, invidiam,
August. Epist. 54. ad Maced. carnalem amicitiam, carnis delectationem, injustam possessionem. De hac dicit Augustinus: Non dimittitur pec-

ca-

catum, nisi restituatur ablatum. Quare in Ecclesiastico legimus: Unus destruens, & alter ædificans, quid prodest eis nisi labor? Destruit autem, qui de peccatis dolet, ædificat, qui in voluntate peccandi manet. De hac mala ædificatione dicit idem Augustinus: Ex mala voluntate facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Eccl. 34. Augus. in Conf.



DE CONFESSIONE.

CAPUT XL.

CONFESSIO vera est, sincera peccatorum absque velamine coram Sacerdote legitimo manifestatio. Hanc præcipit Dominus, quando leprosis dixit: Iste, ostendite vos Sacerdotibus. Consonat B. Jacobus inquiens: Confitemini alterutrum peccata vestra. Tum Joannes Apostolus in Canonica Epistola scribit: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Luc. 17. 1. Ioan. 1.

Ad veram Confessionem exigitur, quòd

quòd sit pura, integra, discreta, fidelis & perfecta juxta illud Threnorum: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Ubi in effusione notatur integritas Confessionis. Non enim ex proposito dicenda sunt guttatim peccata, de quibus nunquam facta est Confessio, sed quidquid potest simul cogitari, id totum coram uno Sacerdote simul debet effundi. Additur, effunde sicut aquam, ad notandum, quòd Confessio & simplex debet esse & pura. Non enim ex timore servili, vel coactione facienda est Confessio, sed purè & simpliciter propter Deum. Effunde, inquit, cor tuum, ubi notatur discretio. Non enim confitenda sunt solùm verba & facta, commissiones, omissiones, atque excessus, sed etiam cogitationes immundæ, morosæ affectiones, inspectiones impudicæ, inordinatæ intentiones, mixtæ voluntates, perversa judicia & suspiciones temerariæ. Nam, ut dicit Origenes, in extremo judicii die cogitationes accusabunt animas, vel defendent, non cogitationes quidem, quæ tunc erunt, sed quæ nunc sunt in nobis, quarum quædam notæ relinquentur in corde, velut in cera. Unde Salomon admonet: Revela Domino opera tua & dirigentur cogitationes tuæ.

Thren. 2.

Prov. 16.

Rur-

Rursùs Confessionis fidelitas & perfectio verbis illis notatur, cùm dicitur, cor ante conspectum Domini effundendum esse. Siquidem secundùm agnitionem Dei omnia confitenda sunt: Ubi enim nos unum peccatum agnoscimus, omnipotens in sapientia divina mille cognoscit.

Ad Confessionem veram inducere nos debet certa remissio peccatorum, & mundatio animæ juxta illud Joannis jam antè citatum: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Inducit etiam ad Confessionem, quòd ad remissionem & propitiationem confitenti peccatori donandam astringitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, secundùm illam sententiam: Etsi omnia novit Deus, vocem tuam Confessionis exspectat. Habet enim causam, ut pro te interveniat Christus, habet & causam ignoscendi Pater, quia quidquid vult Filius, vult & Pater & Spiritus Sanctus. 1.Ioan.1.

ARGUMENTUM veræ Confessionis habet, qui omnia peccata sicut aquam effundit, non ut remaneat color, sicut in effusione lactis, nec pinguedo, nec sapor, ut in effusione olei vel sanguinis, nec odor, ut in effusione

ne vini vel aceti. Color autem quodammodò in confitente remanet, quùm dicitur peccatum, & tamen reticetur occaſio, vel provocatio ad peccatum, ut fit in gula vel fornicatione. Pinguedo vel ſapor remanet, cùm dicitur peccatum, & reticetur quantitas vel diuturnitas delectationis, in qua penitùs ratio abſorbetur, juxta illud:
Pſal. 108. *Intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus.* Rursùs odor confitenti manet, cùm dicitur peccatum, & tacetur infamia, vel malum exemplum & ſcandalum aliorum. Sed verè confitens manifeſtat ipſum peccatum, & antecedentia peccatum, & ſubſequentia.

Aliud argumentum veræ Confeſſionis eſt, cùm confitetur quis peccata ſua in numero, pondere & menſura. In numero quidem confitendum, id eſt, vices peccatorum recenſendæ ſunt, quia vulnus ſæpiùs renovatum tardiùs ſanatur. Item in menſura, ut diuturnitatem peccati confitearis, qui enim diutiùs infirmatur, citiùs moritur. Sed & in pondere, id eſt, in gravitate crimen confitendum eſt. Aggravatur enim peccatum ex loco ſacro, ut eſt Eccleſia, Cœmiterium, vel ex ſacro tempore, vel ex perſona, ut ſi

est Clericus, Canonicus, Monialis vel conjugata, cum qua peccatur.

ARGUMENTUM falsæ Confessionis est, cùm propter hoc aliquis confitetur, ne infidelis dicatur, vel ut sanctior reputetur, vel ne ipsi Sacra Communio cum confusione negetur. Sic ferè confitebatur Saul, ne à Propheta Samuele coràm populo confunderetur. 1. Reg. 15.



DE POENITENTIA.

CAPUT XLII.

POENITENTIA vera exterior est abstinentia à licitis, cùm de illicitis venia postulatur. Sic pœnitentes & claustrales à carnibus abstinent, delicatas vestes abjiciunt, jejunia servant, vigiliis insistunt, disciplinis se affligunt, silentium tenent, propriam voluntatem frangunt, & à multis delectationibus abstinent, cujusmodi licita eis essent, si nunquàm illicita commisissent. Hanc pœnitentiam præcepit Dominus JEsus, sicut & B. Joannes Baptista prædicavit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum. Matth. 4. & 3.

Ad veram pœnitentiam nos inducere debet necessitas, quoniam absque ipsa non est salus, testante Domino: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Et Augustinus affirmat: Peccata sive parva, sive magna sint, impunita esse non possunt. Unde Dominus indixit Regi David pœnitentiam pro peccato ejus, quia populum numeraverat, ut nempè vel sustineret septem annis famem super terram, vel tribus mensibus vindictam inimicorum, vel tribus diebus pestilentiam ferret. Elegit autem David sibi & populo communem plagam mortis. Per hoc significatur, quòd necessariò quilibet pro peccatis suis, vel punietur in inferno, id quod septem anni famis designant, vel in purgatorio, per tres menses hostilis violentiæ significatur, vel ut temporali pœna puniatur, quàm pestilentia trium dierum ostendit. Sic utile est nobis etiam, si sapimus, pœnitentiam levissimam & subitò transeuntem eligere Davidis exemplo.

Luc. 13.
August. in sent. 210.
2. Reg. 24.

ARGUMENTUM veræ Pœnitentiæ est, observatâ debitâ pœnæ contra culpam commensuratione, ut secundùm quantitatem culpæ sit quantitas & gravitas pœnæ, utque secundùm delectationem culpæ sit diuturni-

nitas pœnæ, & rursùm, ut secundùm multiplicitatem culpæ sit multiplicitas pœnæ. Hoc est, quod Joannes Baptista docet: Facite dignos fructus Pœnitentiæ. Sicut enim singulæ infirmitates corporis habent necessariò singulas medicinas, & nulla tam efficax est, ut sanet omnes ægritudines, ita & singulorum Peccatorum genera specialem habent Pœnitentiam, quâ debeant expiari. Non enim directè emendatur superbia per eleemosynam, rancor & invidia per orationem, avaritia per jejunium, impudicitia per vigilias, &c. Sed superbiæ directè satisfit per humilitatem, avaritiæ per eleemosynarum largitionem, impudicitiæ per carnis macerationem, gulæ per jejunium, loquacitati per orationem, invidiæ per charitatem, injuriæ proximo factæ per remissionem, rapinæ & injustæ possessioni per restitutionem. Si verò quis non potest (sicut dicit Chrysostomus) explere omnem satisfaciendi ordinem, tunc benignus Deus qualemcúnque suscipit emendationem, tunc pro injustis rebus valet jejunium, si non potest restituere. Ita si non potest jejunare, valet oratio, & si non potest orare præ infirmitate, sufficit Deo bona voluntas.

Luc. 3. Matth. 3.

ARGUMENTUM falsæ Pœnitentiæ est, sicut dicit Innocentius, cùm pœnitens ab Officio curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato nullatenùs agi potest, aut si odium in corde gesserit. Tum si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offensus offendenti non indulgeat, aut si arma contra justitiam gerat. Item falsa est Pœnitentia, quando unum peccatum emendatur, & de alio non curatur.



DE PERSEVERANTIA.

CAPUT XLII.

PERSEVERANTIA vera est, in bonis operibus frequens exercitatio, continuum studium ad perfectionem, ac spiritualium gratiarum & virtutum diligentissima usque ad mortem conservatio. Ad hanc perseverantiam invitat nos Dominus in Apocalypsi dicens: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Hanc perseverantiam habuit Job, ideóque dixit: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Habuit eam & To-

Apoc. 2.

Iob. 27.

Tobias, qui occisorum corpora occultavit in domo sua, & mediis noctibus ea sepelivit. Et licet eum Rex propter hoc spoliari jusserit & occidi, non tamen idcircò pium opus intermisit. Tob. 1.

Ad amorem Perseverantiæ inducere nos debet maxima utilitas ex ea proveniens. Nam indè omne opus bonum & omnis virtus coronatur, & tota salus hominis in ea consistit secundùm illud Domini nostri JEsu Christi: Qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit. Matt. 24. Matt. 10. Sine hac perseverantia nulla virtus meretur præmium cœleste, nullum opus bonum est remunerabile, sine illa demum omnis perfectio in nihilum redigitur. Quid enim profuit Apostolo & traditori Judæ, quòd ipsum Dominus de mundo elegerat? Quid ei profuit diuturna familiaritas JESU Christi? quid sancta prædicatio, quam sæpè ab ipso audierat? Quid exempla mirabilia? Quid virtutes, quas in Christo viderat? Quid societas Apostolorum? Quid gratia illi collata ad Evangelium prædicandum, & ad miracula facienda? Nam & Dominus illi sicut & aliis Apostolis dixit: Euntes prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Matt. 10.

AR-

ARGUMENTUM veræ Perseverantiæ habet, qui nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissis à rectitudine justitiæ flecti potest.
Dan. 13. Hoc pacto Susanna mortem non timens dixit: Si hoc egero, scilicèt peccatum, mors mihi est, si autem non egero, non evadam manus vestras. Sed meliùs est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Sic & Ma-
1. Mach. 2. thathias magna voce dixit. Et si omnes gentes obediant Regi Antiocho, ut discedant unusquisque à servitute legis patrum suorum, & consentiant mandatis ejus, ego & filii mei, fratres mei obediemus legi Patrum nostrorum. Propitiùs sit nobis Deus. Non est nobis utile relinquere legem & justitiam Dei. Non audiemus verba Regis Antiochi.

ARGUMENTUM falsæ Perseverantiæ habet, qui de sua sanctitate falsò præsumit, quòd in peccatum cadere non possit. Ex hoc fonte præsumptionis nascitur animi libertas, ac homo deinde non habet custodiam sui, ut sit ei impossibile in sanctitate perseverare. Nam & si Apostoli essent in mundo, nec haberent custodiam sui, ca-
2. Reg. 11. dere possent, sicut David, qui adulterium

rium & homicidium perpetravit, quia in custodia oculorum negligens fuit.



B. ALBERTI CONFESSIO RPO HUJUS OPERIS CONCLUSIONE.

CONQUEROR tibi Deus sanctissime! cum omnibus lachrymis & guttis sanguineis dilectissimi Filii tui, quòd adhuc non perveni ad principium alicujus virtutis in ea perfectione, sicut hîc scriptum est. Gaudeo tamen, quòd omnes virtutes perfectiùs habebimus, quàm humanus valeat apprehendere intellectus. Confiteor tibi Domine, quòd beatus est in præsenti, & beatior erit in futuro, qui has virtutes habet in ea perfectione, sicut hîc scriptæ sunt, licèt fortè minùs ad salutem sufficiant.

Peto etiam Domine! cum omni desiderio Filii tui, & Spiritûs Sancti, & omnium creaturarum, ut des mihi discretionem inter virtutes gratuitas, & naturales, & similitudines virtutum.

Et

Et quicunque legerit hanc materiam, vel de ipsa audierit, vel cogitaverit, tu omnipotens Deus confer ei saltem unicam veram & perfectam virtutem. Certus sum, qui habuerit unam à te Domine, omnes simul habet, & qui crescit in una, simul crescit in omnibus, & qui in una decrescit, in omnibus simul decrescit, & qui unà caruerit, nullam habet, quia omnes unitæ sunt in gratia.

O. A. M. D. G.






)(o)(



INDEX Capitum hujus Opusculi.

Tri-








B.
ALBERTI MAGNI ORD. PRÆD.

De

ADHÆRENDO DEO LIBELLUS.

Omni homini Christiano, præcipuè tamen Clerico, Religiosóque apprimè necessarius.





CAPUT I.

De ultima & summa perfectione hominis, quantùm in hac vita possibile est.



OGITAVI mihi aliquid ultimatè (in quantùm possibile est in hujus exilii & peregrinationis immoratione) depingere, scriptitando de & super ab omnibus plenâ & possibili abstractione, & cum solo Domino Deo expeditâ, securâ, & nudâ firmáque adhæsione: præsertim cùm ipsius Christianæ perfectionis finis sit charitas, quâ Domino Deo adhæretur. Ad quam quidem adhæsionem charitativam omnis homo de necessitate salutis tenetur, quod fit præceptorum observantiâ, & divinæ voluntatis conformitate, quorum observantia excludit omne, quod repugnat charitatis essentiæ & habitui; cujusmodi sunt peccata mortalia. Religiosi verò adstrinxerunt se etiam ad Evangelicam perfectionem, atque ad ea, quæ su-

ſupererorgationis & conſilii ſunt, per quæ expeditiùs ad ultimum finem, qui Deus eſt, pervenitur, per quorum obſervantiam excluduntur ea etiam, quæ impediunt actum ſeu fervorem charitatis, quò minùs poſſit quis in Dominum Deum ferri; cujusmodi ſunt abrenuntiatio omnium rerum, corporis inſuper & animæ, profeſſionis duntaxat voto excepto. Quoniam quidem
Joan. 4. *ſpiritus* cùm ſit Dominus *Deus*, *& eos qui adorant eum*, *in ſpiritu & veritate oportet adorare*; id eſt, cognitione & amore, intellectu & affectu, ab omnibus phantaſmatibus nudis. Hinc eſt illud
Matth. 6. Matth. 6. *Cùm oraveris*, *intra in cubiculum tuum*, id eſt, cordis tui intima, *& clauſo oſtio*, ſcilicet ſenſuum tuorum, & inibi corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non ficta *Patrem tuum* in ſpiritu & veritate *in abſconſo*. Quod tunc congruè fit, cùm homo ab omnibus aliis fuerit exoccupatus & exutus, & totus intra ſe receptus: ubi univerſis & ſingulis excluſis & oblitis, coram JEſu Chriſto, tacito ore, ſola mens deſideria ſua ſecurè Domino Deo ſuo fiducialiter pandit, ac per hoc toto cordis & amoris affectu ſe in eum intiſſimis medullis omnium virium ſuarum ſinceriſſimè ac pleniſſimè diffundit & immergit, dilatat & inflammat, & reſolvit in ſe.

CA-

CAPUT II.

Qualiter quis omnibus aliis ſpretis ſoli Chriſto inhæreat & intendat?

VERUMTAMEN quicúmque talem ſtatum aggredi & ingredi deſiderat & ſatagit, opus eſt omninò, ut velut clauſis oculis & ſenſibus, de nullo ſe penitùs implicet aut perturbet, ſollicitus ſit, aut curet; ſed cuncta tanquam impertinentia & noxia ac pernicioſa funditùs excutiat, deinde ſe totum intra ſe recipiat, nec aliud unquam objectum in ibi mente attendat, quàm ſolùm JEſum Chriſtum vulneratum, ſícque per eum in eum, id eſt, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima divinitatis ſuæ ſedulò & obnixè intendat, ibíque ſe, ſuáque ſingula ac cuncta, indiſcuſsè ſuæ infatigabili providentiæ committat expeditè & ſecurè, juxta illud Petri: *Omnem* 1. Pet. 5. *ſollicitudinem projicientes in eum*, qui poteſt omnia. Et iterùm: *Nihil ſolliciti* Philip. 4. *ſitis.* Et rursùs: *Jacta cogitatum tuum* Pſal. 14. *in Dominum, & ipſe te enutriet.* Et iterùm: *Mihi adhærere Deo, bonum eſt.* Pſal. 74. Pſal. 15. Et: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Et Sponſa in Canticis: Cant. 3. *Inveni, quem diligit anima mea.* Quippe Sap. 7. *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Nempè hic eſt theſaurus ille cœleſtis abſconditus, nec non margarita pretio-

tiosa, quæ præ omnibus comparata fiduciâ humili, conatu instantissimo, taciturnitate tranquilla, etiam usque ad corporalis commodi, laudis vel honoris jacturam, in fortitudine spiritûs quæritur. Alioquin quid proficit Religiosus, si totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Aut quid relevat status, professionis sanctitas, perfectionis habitus, tonsura, & exterioris dispositio conversationis sine vita in spiritu humilitatis & veritatis, ubi Christus habitat per fidem charitate formatam? Hinc
Luc. 17. est illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est*, quod est Chtistus JEsus.

CAPUT III.

Quæ sit conformitas perfectionis hominis in hac vita.

PORRO quantò plùs mens sollicita est ad ista inferiora & humana cogitanda & tractanda, tantò plùs à superioribus & cœlestibus per devotionis intima elongatur, & quantò ferventiùs ab inferiorum memoria, affectu & intellectu ad superiora sensus colligitur, tantò perfectior erit oratio, & purior contemplatio, quia simul perfectè non potest esse utrisque intenta, quæ sicut lux & tenebræ sunt divisa. Quippe, qui Deo adhæret, ver-

versatur in lumine, qui verò mundo adhæret, in tenebris est. Qua ex re, est hominis in hac vita sublimior perfectio; ita Deo unir, ut tota anima cum omnibus potentiis suis & viribus in Dominum Deum suum sit collecta, ut unus fiat spiritus cum eo, & nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat, vel intelligat nisi Deum, & omnes affectiones in amoris gaudio unitæ, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant. Imago enim Dei in his tribus potentiis in anima expressa consistit, videlicet, ratione, memoriâ, & voluntate. Et quamdiu illæ ex toto Deo impressæ non sunt, non est anima deiformis juxtà primariam animæ creationem. Forma nempè animæ Deus est, cui debet imprimi, sicut cera sigillo, & signatum signo signatur. Hoc autem numquam plenè fit, nisi cùm ratio perfectè juxta capacitatem suam illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas, & voluntas perfectè afficitur ad amandam summam bonitatem, & & memoria plenè absorbetur, ad intuendum & fruendum æterna felicitate, & ad suaviter & delectabiliter in ea quiescendum. Et quia in horum consummata adeptione consistit gloria beatitudinis, quæ perficietur in Pa-

tria, liquet, quòd istorum perfecta inchoatio est perfectio in hac vita.

CAPUT IV.

Qualiter operatio humana debeat esse in solo intellectu, & non in sensibus.

FELIX ergò, qui per abstersionem continuam phantasmatum & imaginum, ac per introversionem & inibi per sursum ductionem mentis in Deum, tandem aliquando obliviscitur phantasmatum quodammodò, ac per hoc consequenter operatur interiùs nudo ac simplici ac puro intellectu & affectu circa objectum simplicissimum Deum. Omnia igitur phantasmata, species, imagines, ac formas rerum omnium citra Deum à mente rejicias, ut in solo nudo intellectu & affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circà Deum intra te. Nempè finis omnium exercitiorum hic est, scilicet intendere & quiescere in Domino Deo intra te per purissimum intellectum, & devotissimum affectum sine phantasmatibus & implicationibus. Hujusmodi autem exercitium non fit in organis carneis, & sensibus exterioribus, sed per quod quis homo est, homo verò quis est intellectu & affectu. Et idcircò, quamdiù homo cum phantas-

tasmatibus & ſenſibus ludit, & eis inſiſtit, videtur nondum exiiſſe motus & limites beſtialitatis ſuæ, hoc eſt, illius, quod cum beſtiis habet commune. Quia illæ per phantaſmata & per tales ſenſitivas ſeu ſenſibiles ſpecies cognoſcunt & afficiuntur, & non aliter, eò quòd altiorem vim animæ non habeant. Secùs eſt de homine, ſecundùm intellectum & affectum & liberum arbitrium, ad Dei imaginem, & ſimilitudinem creato, quibus debet Deo immediatè, purè & nudè imprimi, & uniri, firmitérque inhærere. Quamobrem diabolus diligentiſſimè & maximè conatur impedire illud exercitium, quantùm poteſt, ex quo eſt quodammodò præambulum & initium vitæ æternæ, invidens ſuper hoc homini. Idcircò nititur ſemper mentem hominis alienare à Domino Deo, nunc per iſtas, nunc per illas tentationes ſeu paſſiones, nunc ſollicitudine ſuperflua & curâ indiſcretâ, nunc turbatione, & converſatione diſſoluta, curioſitatéque irrationabili, nunc per ſtudia librorum ſubtilium, colloquia aliena, rumores & novitatem, nunc per aſpera, nunc per contraria, &c. Quæ tamen etſi nonnunquam levia & tamquam nulla videantur peccata, tamen magna ſunt impedimenta hujus ſan-

sancti exercitii & operis. Et ideò, etiam si utilia & necessaria visa fuerint, sive magna sive parva, ut noxia & perniciosa illicò sunt rejicienda penitùs, & à sensibus propellenda. Summoperè igitur necessarium est, ut audita, visa, facta, & dicta, & cætera similia sine phantasmatibus, imaginibus & occupationibus recipiantur, nec etiam ex consequenti vel anteà vel tunc super hoc phantasmata & implicationes formentur & nutriantur. Et ita quandò phantasma non venit ad memoriam & mentem, tunc non impedit hominem, sive in oratione, meditatione, & psalmodia, sive in alia quacúmque operatione & exercitatione spirituali, nec rursùm iteratò occurret ei. Et sic expeditè, securéque te totum, etiam plenè omnia & singula committe infallibili & certissimæ divinæ Providentiæ cum silentio & quiete, & ipsa pugnabit pro te, & meliùs, honestiùs, ac dulciùs liberabit te & consolabitur, quàm si tu semper die noctúque de hoc continuè phantasiareris, & vana, vagâque ac captiva mente fatuè sic & sic, hinc & inde discurreres errabundus, nec non mente & corpore deficiens tempus perderes, & vires stultè ac irrationabiliter consumeres. Cuncta ergò & singula un-

decúmque & qualitercúmque occurrentia ortum habeant, sic accipe cum taciturnitate & tranquillitate æquanimiter, quemadmodùm de manu Paternæ, divinæque providentiæ tibi venirent. Nuda igitur te à phantasmatibus omnibus rerum corporearum, juxta tui statûs & professionis exigentiam, ut nuda mente & sincerè inhæreas ei, cui te simpliciter & totaliter devovisti, ut nihil quodammodò possibile sit medii inter animam tuam & ipsum, ut purè, fixéque fluere possis à vulneribus humanitatis in lumen suæ divinitatis.

CAPUT V.

De cordis puritate, quæ est præ omnibus sectanda.

SI igitur recto & securo tramite ac breviter ad finem beatitudinis viæ & patriæ, gratiæ & gloriæ, pervenire desideras & satagis, tunc intenta mente sedulò aspira ad perpetuam cordis munditiam, & puritatem mentis, ac sensuum tranquillitatem, atque cordis affectum recollige, & jugiter defige sursùm in Dominum Deum, & inter hæc abstrahe te à familiaribus tuis, & ab omnibus hominibus, in quantùm in te est, & negotiis hujusmodi propositum tuum impedientibus semper

ca-

captans opportunitatem, ubi & quando possis locum, tempus, & modum reperire quietis ac contemplationis, carpens silentii secreta, præsentísque sæculi vitare naufragia, nec non perstrepentis mundi fugere perturbationes. Qua de re omni tempore puritati, munditiæ, ac quieti cordis principaliter stude, ut videlicet continuè, velut clausis carnalibus sensibus, in temetipsum convertaris, & cordis ostia à formis & phantasmatibus sensibilium, & imaginationibus terrenorum, quantùm possibile est, habeas diligenter serata. Nempè cordis puritas inter omnia exercitia spiritualia quodammodò (tamquàm finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quàm in hac vita spiritualis quísque & verè religiosus recipere consuevit) sibi vendicat principatum. Idcircò cor tuum, sensus & affectum, cum omni diligentia, solertia & conatu absolvas ab his omnibus, quæ libertatem ipsius possent impedire, insuper ab omni re mundi possibilitatem habente alligandi & vincendi te. Sícque cunctas dispersiones cordis, & affectiones mentis in unum verum, simplex, & principalissimum bonum recolligere, & intra te tamquam in uno loco recollectas habere agoniza, ac per hoc rebus di-

divinis, Deóque mente ſemper inhærere, atque dereliсta fragilitate terrena cor ad ſuperna in intimis tuis in JEſu Chriſto jugiter transformare conare. Quapropter incipis te nudare & purificare à phantaſmatibus & imaginibus, & ſimplificare & tranquillare fiducialiter in Domino Deo cor tuum & mentem tuam, ut haurias & ſentias fontem divini beneplaciti in omnibus interioribus tuis, & per bonam voluntatem ſis Deo unitus in intellectu, ſufficit tibi hoc pro omni ſtudio & lectione Sacræ Scripturæ, & ad dilectionem Dei & proximi, ut Unctio docet. Omni igitur ſtudio, conatu, & labore ſimplifica cor tuum, ut à phantaſmatibus immobilis & tranquillus convertatis, & ſtes in Domino ſemper intrà te, tamquam ſi anima tua ſit in illo NUNC æternitatis, id eſt, divinitatis, taliter ſcilicet, ut amore JEſu Chriſti de corde puro, conſcientia bona, & fidè non ficta teipſum deſeras, & totum te Deo in omni tribulatione & eventu totaliter plenè committas, ejúsque voluntati & beneplacito parêre ſemper & patienter affectes. Quod ut fiat, neceſſè eſt, ut frequenter ad cor redeas, & in eo perſiſtas, & ab omnibus, quantùm poſſibile eſt, teipſum abſolvas, mentis oculum ſemper in puritate & tran-

quil-

quilitate custodias, intellectum à phan-phantasmatibus & formis rerum infimarum præserves, voluntatis affectum à curis terrenorum penitùs absolvas, & summo vero bono amore fervido radicitùs inhæreas, memoriam quoque jugiter habeas sursùm elevatam, & in ipso eodem vero, summo bono, ac solo essentiali & increato firmiter stabilitam; ita duntaxat, ut tota anima cum omnibus potentiis & viribus suis in Deum recollecta, unus fiat spiritus cum eo, in quo summa perfectio viæ consistere cognoscitur. Hæc verò unitas spiritûs & amoris est, quô homo omnibus votis supernæ & æternæ voluntati conformis efficitur, ut sit per gratiam, quod Deus est per naturam. Intereà animadvertendum, quòd in eo ipso momento, quô quis suam Dei auxilio potest vincere voluntatem, id est, inordinatum amorem aut zelum à seipso abjicere, sic scilicet, ut Domino Deo de omni sua necessitate audeat planè totaliter confidere, hoc ipso facto in tantùm Deo complacet, ut suam ei gratiam largiatur, & per ipsam gratiam veram sentiat charitatem & dilectionem, omnem ambiguitatem & timorem expellentem, in Deóque confidenter sperantem. Itáque nihil beatius esse potest, quàm omnia in

in illo ponere, in quo nullus est defectus. Proindè quamdiu stas in te, & non stas, projice te totum in Deum securè, & suscipiet te, sanabit & salvabit te. Hæc si continuè intrà te veraciter revolveris, plùs tibi ad beatam vitam conferent, quàm omnes divitiæ, deliciæ, honores, insuper & omnis sapientia & scientia hujus sæculi fallacis & corruptibilis Mundi & vitæ, etiamsi in his excelleres omnes, qui unquam fuerunt.

CAPUT VI.

Quòd adhærere debet homo devotus Deo, nudato intellectu & affectu.

ET quia quantò magìs te nudaveris à phantasmatibus & implicationibus exterioribus mundanis & sensibilibus, tantò magìs anima tua recuperabit vires & interiores sensus suos, ut sapiant ei, quæ sursùm sunt; disce ergò abstinere à phantasmatibus & imaginibus rerum corporalium, quia super omnia placet Deo mens nuda ab hujusmodi formis & speciebus, cujus etiam deliciæ sunt esse cum filiis hominum, videlicet, qui à talibus occupationibus & distractionibus & passionibus tranquillâ, purâ & simplici mente sibi intendunt, vacant & adhærent. Alioquin

quin si in talibus memoria, imaginatio & cogitatio tua sæpè vacat, necesse est, vel rebus novis, vel reliquiis antiquorum deliniri, vel secundùm alia objecta variè qualificari. Unde Spiritus sanctus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Verus itaque JEsu Christi amator sic debet esse unitus intellectu per bonam voluntatem divinæ voluntati & bonitati, & nudus ab omnibus phantasmatibus & passionibus, ut non advertat, si derideatur, diligatur, vel quidquid sibi inferatur. Voluntas námque bona omnia complet, super omnia est. Unde si voluntas adsit bona, & Deo in intellectu purè conformis & unita fuerit, non nocet, si caro & sensualitas & exterior homo moveatur ad malum, & torpeat ad bonum, aut etiam si interior homo torpet devotionem affectare, sed tantùm fide & bona voluntate adhærere debet Deo in intellectu nudè. Et hoc facit, si omnem imperfectionem & nihileitatem suam animadvertat, & cognoscat bonum suum in solo Creatore consistere, & cum suis potentiis & viribus se, ac cunctas creaturas relinquit, atque ex toto & totum se in Creatorem suum immergit; ita quòd omnes operationes suas dirigit purè ex toto in Dominum Deum suum, nec extrà eum quid-

quidquam quærit, in quo percipit invenisse omne bonum, & omnem felicitatem perfectionis. Et sic transformatur quodammodò in Deum, quod nec cogitare, nec intelligere, nec amare, nec memorare potest, nisi Deum pariter & de Deo, creaturas autem alias & seipsum non videt, nisi tantùm in Deo, nec diligit nisi solum Deum, nec memoratur de eis vel de se, nisi in Deo. Hæc verò cognitio veritatis semper facit animam humilem, seipsam, non alium judicantem, sed econtrà mundana sapientia facit animam superbam, vanam, turgidam, & vento inflatam. Sit itáque hæc spiritualis & fundamentalis doctrina, quòd accedens ad Dei notitiam, servitium & familiaritatem, & si vis Deum veraciter possidere, necessè est, quòd cor tuum denudes omni amore sensibili, non tantùm cujuscúmque personæ, sed etiam cujuscúmque creaturæ, ut simplici ac toto corde, secundùm omne tuum posse tendas in Dominum Deum tuum Creatorem, liberè, absque omni duplicitate, curâ & sollicitudine, plenâ fiduciâ in sola ejus providentia de omnibus.

CAPUT VII.

Qualiter cor ſit recolligendum intra ſe.

PRÆTEREA, ſicut dicitur in libro de ſpiritu & anima cap. 21. aſcendere ad Deum, hoc eſt, intrare in ſeipſum. Qui enim interiùs intrans, & intrinſecùs penetrans ſeipſum tranſcendit, ille veraciter ad Deum aſcendit. Ab hujus ergò mundi diſtractionibus cor noſtrum colligamus, & ad interiora gaudia revocemus, ut aliquando in divinæ contemplationis lumine hoc figere valeamus. Nam hæc eſt vita & requies cordis noſtri, cùm in Dei amore per deſiderium figitur, & ejus conſolatione ſuaviter reficitur. Sed quòd in hujus rei experimentali deguſtatione multipliciter impedimur, & nequáquam ad ipſum pertingere ſufficiamus, ratio in promptu eſt, quia mens humana ſollicitudinibus diſtracta, non intrat ſe per memoriam phantaſmatibus obumbrata, non redit ad ſe per intellectum concupiſcentiis illecta, ad ſeipſam nequáquam revertitur per deſiderium ſuavitatis internæ & lætitiæ ſpiritualis, ita totaliter in his ſenſibilibus & præſentibus jacens, non poteſt ad ſe tamquam ad imaginem Dei intrare. Oportet ergò, & neceſsè eſt, ut

ut cum humilitatis reverentia, ac fiduciâ nimiâ mens elevet se suprà se & omne creatum per abnegationem omnium, & ut dicat intra se: Quem ex omnibus, & præ omnibus, & super omnia quæro, diligo, appeto, & desidero, non est sensibilis, neque imaginabilis, sed super omne sensibile & intelligibile, nullo unquam sensu est perceptibilis, sed pleno desiderio totus desiderabilis, non insuper est figurabilis, sed intimo affectu perfectissimè appetibilis, non est æstimabilis, sed mundo corde totus affectibilis, quia super omnia amabilis & delectabilis, infinitæque bonitatis & perfectionis. Et tunc fertur in mentis caliginem, & altiùs intra se elevatur, & profundiùs ingreditur. Et hic modus ascendendi usque ad ænigmaticum contuitum sanctissimæ Trinitatis in Unitate, Unitatis in Trinitate, in JEsu Christo, tantò est ardentior, & tantò fructuosior, quantò affectu proximior. Quippè in spiritualibus illa sunt superiora, quæ intimiora, quò ad experientias spirituales. Quapropter nunquam desistas, nunquam quiescas, donec futuræ illius plenitudinis aliquas (ut ita dicam) arrhas seu experientias degustes, & donec divinæ suavitatis dulcedinem per quantulascúmque primitias obtineas,

& in odorem ipsius post eam currere non desinas, donec videas Deum Deorùm in Sion. In spirituali enim profectu, & cum Dei intra te Unione & adhæresione non quiescas, nec retrocedas, donec assecutus fueris quod intendis. Exemplum hujus accipe in simili ab ascendentibus montem naturalem. Si enim spiritus noster, in his, quæ deorsum transeunt, se per cupidinem immerserit, statim per infinitas distractiones & itinera obliqua rapitur, & à se quodammodò divisus dissipatur, & quasi in tot spargitur, quot ea sunt, quæ per desideria concupiscit. Hinc motus sine stabilitate, cursus sine perventione, labor sine requie. Si verò cor & spiritus noster ab hac infimorum infinita distractione, quæ deorsùm est, per desiderium & amorem se traxerit, & hæc infima deserens paulatim se intrà se in unum immutabile sufficiens bonum colligens, secùm esse didicerit, & ei inseparabiliter quodam affectu inhæserit, tantò ampliùs in unum colligitur & fortificatur, quantò magìs agnitione & desiderio sursùm elevatur, & in ipso vero summo bono intrà se habituatur, donec tandem omninò immutabilis fiat, & ad illam veram vitam, quæ ipse Dominus Deus est, immutabiliter perveniat, ut perpe-

petuò ſine omni mutabilitatis & temporis viciſſitudine requieſcat jam in illo intrinſeco, & quieto, ac ſecreto divinitatis manerio, perfectè collocatus intra ſe in Chriſto JEſu, qui eſt Via ad ſe Venientibus, Veritas, & Vita.

CAPUT VIII.

Quomodo in quolibet eventu homo devotus ſe debeat Deo committere.

CREDO jam & arbitror, quòd ex hucûſque deductis cognoſcas, quòd, quantò magìs magíſque te nudaveris à phantaſmatibus, & omnibus rebus mundialibus & creatis, ac per bonam voluntatem intellectu Deo unitus fueris, tantò magìs ad ſtatum innocentiæ & perfectionis appropinquas. Quô quid meliùs? Quídve feliciùs ac jucundiùs? Super omnia ergò valet, ut teneas mentem nudam ſine phantaſmatibus & imaginibus, & à quibuſcúmque implicationibus, ut nec de mundo, nec de amicis, nec de proſperis, nec de adverſis, præſentibus, præteritis, vel futuris, in te nec in aliis, nec etiam nimìs de propriis peccatis ſolliciteris, ſed cum quadam puritatis ſimplicitate te eſſe cum Deo extrà mundum nudè cogita, ac ſi anima tua jam eſſet in æternitate extrà corpus ſepara-

parata, utique non tractaret sæcularia, nec curaret de statu mundi, nec de pace, nec de guerra, nec de sereno, nec de pluvia, & planè nec de aliquo hujus sæculi, sed soli Deo conformiter totaliter intenderet, vacaret, & inhæreret. Sic suo modo vel nunc relinque corpus tuum, & omnia præsentia & futura creata, & defige aciem mentis ac spiritûs tui fixè, secundùm omne tuum posse, nudè & expeditè in illud increatum lumen. Et sic ab omnibus phantasmatibus & involutionibus ac obnubilationibus depuratus sit spiritus tuus, tamquam angelus corpori alligatus, qui per operationem carnis non impeditur, nec cogitationibus vanis ac vagis implicatur. Fortificet ergò se spiritus contrà quascúmque tentationes, vexationes, injurias, ut æquanimiter, inconcussè in utraque fortuna perseveret in Deo. Et cùm adest turbatio, aut acedia, vel mentis confusio, non propterea insolescas, aut pusillanimis sis, nec propter hoc curras ad orationes vocales, aut alias consolationes, sed hoc solùm, ut resuscites te per voluntatem bonam in intellectu, ut adhæreas Deo mente, velit nolit sensualitas corporis. Devota námque anima sic debet esse cum Deo unita, & suam voluntatem divinæ vo-

voluntati tam conformem habere & facere, quòd se cum nulla creatura occupet, seu adhæreat, sicut dum non erat creata, ac si nihil sit præter solumDeum, & ipsam animam. Et sic universa & singula æquanimiter de manu divinæ providentiæ securè & infallibiliter accipiat, sustinens uniformiter in omnibus Dominum in patientia, tranquillitate, & silentio. Qua de re nudare mentem ab omnibus phantasmatibus super omnia valet ad vitam spiritualem, ut sis per bonam voluntatem unitus Deo in intellectu & conformis. Præterea nihil erit medium inter te & Deum, quod sic patet, quia nec res aliqua ab extrà erit medium, cùm per votum voluntariæ paupertatis ablata sit omnis rei possessio usque ad ultimum, & per castitatis votum corpus, & per obedientiam voluntas & ipsa anima, & sic quodammodò nihil relinquitur, quod mediat inter te & Deum. Quòd autem Religiosus sis, probat professio ipsa, status tuus, & nunc habitus tuus, & tonsura, & similia hujusmodi, sed an fictus, an verus Religiosus sis, tu videris. Animadverte ergò, quàm graviter degeneres & pecces in Domiminum Deum tuum, & in omnem ejus justitiam, si secùs egeris, & creaturæ potiùs quàm Creatori ipsi voluntate & amo-

amore inhæseris, creaturam præponens Creatori.

CAPUT IX.

Contemplatio in Deo, quatenùs omnibus aliis exercitiis est præponenda.

ET quia omnia citrà Deum sunt effectus & opus ipsius Creatoris, habentia posse & esse, & quidquid sunt & possunt, limitatum, & ut ex nihilo producta nihileitatibus circumdata, & ex se ad nihilum tendentia, necessariò momentis singulis suum existere, conservari, operari, & si quid in eis est, & sic per omnia ab ipso summo opifice Deo recipiunt, tamquam verè ex seipsis sibi & aliis insufficientia, ad cujus operationem sunt, sicut nihil ad aliquid, finitum ad infinitum. Quapropter in solo eo, & circa eum, & propter eum, & in eum sit omnis recta nostra contemplatio, vita, & operatio, qui etiam uno voluntatis nutu posset & sciret in infinitum omnibus modò creatis perfectiora producere. Nulla ergò, sive secundùm intellectum, sive secundùm affectum contemplatio & amoris fruitio utilior, perfectior, & felicior, quàm in ipso Deo Creatore summo & vero bono, à quo, in quo, per quem, & ad quem om-

omnia, ſibi & omnibus ſufficiens eſt in infinitum, qui omnium in ſe continet perfectiones ſimpliciſſimè ab æterno, in quo nihil, quod non ſit ipſe, apud quem, & per quem, omnium inſtabilium ſtant cauſæ, in quo omnium mutabilium immutabiles manent origines, nec non omnium rationabilium, irrationabiliúmque, atque temporalium in eo ſempiternæ vivunt rationes, qui omnia complet, univerſa ſingulá-que ſe toto eſſentialiter implet, cuique rei intimior eſt & præſentialior per eſſentiam, quàm res ſibi ipſi, in quo omnia ſimul ſunt unita, & in eo ſempiternè vivunt. Præterea ſi ex infirmitate, aut inuſitatione intellectûs quis magis tenetur in creaturis contemplari, tunc hæc optima, vera, & fructuoſa contemplatio videtur homini mortali poſſibilis, ut ſaltem in cunctis ſuis contemplationibus & meditationibus, ſive circa creaturas, ſive circa Creatorem fiunt, conſurgat delectatio in ipſo Creatore Deo uno & trino intrà ſe, ut intrà ſe, ut inardeſcat, ignis divini amoris, & veræ vitæ in ſe, & in aliis, ad meritum felicitatis æternæ vitæ. Animadvertenda eſt etiam in hoc differentia inter contemplationem Catholicorum fidelium, & Philoſophorum gentilium, quia contempla-

tio

tio Philoſophorum eſt propter perfectionem contemplantis, & ideò ſiſtit in intellectu, & ita finis eorum in hoc eſt cognitio intellectûs. Sed contemplatio Sanctorum, quæ eſt Catholicorum, eſt propter amorem ipſius, ſcilicet contemplati Dei, idcircò non ſiſtit in fine ultimo in intellectu per cognitionem, ſed tranſit ad affectum per amorem. Unde Sancti in contemplatione ſua habent amorem Dei tamquam principaliter intentum, quia feliciùs eſt etiam Dominum JESUM Chriſtum agnoſcere, & habere ſpiritualiter per gratiam, quàm ſine gratia corporaliter, vel etiam eſſentialiter. Porrò dum anima ab omnibus abſtrahitur, & in ſeipſam reflectitur, contemplationis oculus dilatatur, & ſe ſcalam erigit, per quam tranſeat ad contemplandum Deum. Ex qua contemplatione anima inardeſcit ad bona cœleſtia divina, & ad æterna, & omnia temporalia à longè proſpicit tamquam nihil ſint. Undè quando in Deum procedimus per viam remotionis, primò negamus ab eo omnia corporalia & ſenſibilia & imaginabilia; ſecundò, etiam intelligibilia, ad ultimum, hoc ipſum eſſe ſecundùm quod in creaturis remanet. Sic quantùm ad ſtatum viæ pertinet, optimè Deo con-

conjungimur, secundùm Dionysium. Et hæc est caligo, quam Deus inhabitare dicitur, quam Moyses intravit, ac per hanc ad lucem inaccessibilem. Verùm non priùs quod spirituale, sed quod animale: ideò consueto ordine procedendum est à labore actionis ad quietem contemplationis, à virtutibus moralibus ad theoricas & speculativas. Denique, O anima mea! quid occuparis circà plurima supervacuè, & semper in his eges? Intende & ama hoc Unum optimum bonum, in quo omne bonum, & sufficit. Infelix ergò, qui omnia scit præter ipsum & habet, ipsum autem nescit. Et sic hæc omnia & ipsum sciat, non propter hoc, sed propter ipsum beatior. Unde Joannis 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te &c.* Joan. 17.
Et Propheta: *Satiabor, cùm apparuerit* Psal. 16.
gloria tua.

CAPUT X.

Actualis devotio & sensibilis non tantùm curanda est, sicut voluntate Deo adhærere.

PRÆTEREA non multùm cures actualem devotionem, aut sensibilem dulcedinem, vel lachrymas, sed tantùm per bonam voluntatem in intellectu sis mente cum Deo intrà te unitus. Quippe super omnia pla-

cet Deo mens nuda à phantaſmatibus, id eſt, imaginibus, ſpeciebus, ac ſimilitudinibus rerum creatarum. Decet námque monachum eſſe alienum ab omni creatura, ut ſoli Deo intra ſe nudè & expeditè intendat, vacet, & adhæreat. Quamobrem abneges temetipſum, ut nudè ſequaris Chriſtum Dominum Deum tuum, qui verè pauper, obediens, caſtus, humiliatus eſt, & paſſus, in cujus etiam vita & morte multi ſcandalizati fuerunt, ut liquet ex decurſu Evangelii. Præterea, anima ſeparata à corpore non advertit, quomodò, aut quid agatur de ſuo corpore derelicto, ſive comburatur, ſive ſuſpendatur, ſive maledicatur, & nihil propter has injurias corpori illatas contriſtatur, ſed ſolùm cogitat illud NUNC æternitatis, & illud Unum, quod dixit Dominus in Evangelio neceſſarium. Sic & tu te habeas ad corpus tuum, quaſi jam non ſis in corpore, & cogita ſemper de æternitate animæ tuæ in Deo, & dirige ſedulò cogitatum tuum in illud Unum de quo Chriſtus dixit: *Porrò vanum eſt neceſſarium*, & ſenties ex hoc magnam gratiam, ad mentis nuditatem & cordis ſimplificationem acquirendam. Verumtamen iſtud Unum eſt tibi præſentiſſimum, ſi te nudaveris à phantaſmatibus, & quibus-

Luc. 10.

buſcúmque aliis implicationibus, moxque ſenties ſic eſſe, videlicet te nuda & expedita mente vacare & adhærere Deo, & ſic eris invictus etiam in omnibus qualitercúmque inferri poſſunt, ſicut & ſancti Martyres, Patres, & electi, beatíque omnes, qui, deſpectis omnibus ſolùm cogitabant animæ ſecuritatem & æternitatem in Deo, & ita armati intùs, & per bonam voluntatem Deo uniti omnia mundi ſpreverunt, ac ſi omninò anima jam diviſa eſſet à corpore. Ex his ergò perpende, quantùm poteſt bona voluntas cum Deo unita, imò per illam animæ impreſſionem in Deo, ut per ejus à carne virtualem & ſpiritualem diviſionem anima quodammodò reſpiciat à longè hominem exteriorem ſuum tamquam non ſuum, & ſic vilipendit omnia, quæ inferuntur ſibi vel carni ſuæ, ac ſi fierent alteri, vel non homini. Qui enim adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo. Numquam ergò audeas omninò coram Domino Deo tuo intrà te aliquid cogitare, vel imaginari, quod coram hominibus erubeſceres vel audiri, vel videri, propter Dei reverentiam principalem. Eſt etiam hoc juſtum, omnem tuum cogitatum & cogitationem ad ſolum Deum erigere, eúmque tamquam nihil aliud præter ipſum

ipſum ſit, ſola mentis acie intueri, ſicque inhærendo frui, quod eſt perfecta inchoatio vitæ futuræ.

CAPUT XI.

Qualiter tentationibus ſit reſiſtendum, & tribulationes qualiter ſuſtinendæ?

PROINDE nemo accedens ad Deum vero & integro corde eſt, quin vexationibus & tentationibus probetur. Idcircò in omnibus tentationibus vel hoc obſervetur, ut ſi ſentiatur, non conſentiatur, & patienter ac æquanimiter cum humilitate & longanimitate portetur. Si verò blaſphemiæ ſint & turpiſſimæ, hoc omninò firmiter teneas, quòd nihil meliùs aut veriùs contra eaſdem facere potes, quàm omninò hujuſmodi phantaſias pro nihilo reputare, quamquàm blaſphemiæ nequiſſimæ & fœdiſſimæ & horribiles ſint, ſolûm non cura eas, ſed pro nihilo reputa & contemne, & tibi non imputa, nec velis tibi ſuper hujuſmodi conſcientiam formare. Fugiet procul dubiò inimicus, ſi eum ſic & ſuas factiones contempſeris. Superbus enim eſt valdè, non patitur ſe contemni & ſperni. Omninò ergo talia penitùs non curare, ſummum eſt reme-

medium, ſicut de muſcis volantibus coram oculis contra voluntatem. Provideat ergò ſervus JESU Chriſti, tam facilè non importunè fugere à facie Domini, & hinc indè indignari, murmurare, & querulari ſuper unius muſcæ vexatione, videlicet levis tentationis, ſuſpicionis, triſtitiæ, & detractionis, inſufficientiæ, & cujuſcúmque adverſitatis, cùm ſolâ manu bonæ voluntatis in Deum erectæ poſſunt omnia hæc fugari. Nempè per bonam voluntatem habet homo Deum in poſſeſſorem, ſanctos Angelos cuſtodes in protectores. Inſuper & per bonam voluntatem omnis tentatio ſuperatur, ſicut muſca manu de calvitie capitis fugatur. Pax ergò hominibus bonæ voluntatis. Proindè ergò nec aliquid ditius offertur Deo bona voluntate. Quippè bona voluntas in anima, eſt origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum, quam qui habere incipit, ſecurè habet quidquid ei ad benè vivendum opus eſt. Si ergò volueris bonum, & non potes, factum Deus compenſat. Igitur ſecundùm hoc æterna lex incommutabili ſtabilitate firmavit, ut in voluntate meritum ſit, in beatitudine aut in miſeria præmium, atque ſupplicium. Dilectio enim eſt magna voluntas Deo ſerviendi,

di, dulcis affectus Deo placendi, ferventissimum desiderium Deo fruendi. Demum tentari non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis, ut homo ad multa bona proficiat tentatione, cùm tota vita hominis super terram tentatio censeatur.

CAPUT XII.

De amore Dei, quàm efficax sit.

ENIMVERO omnia supradicta, & quæcúmque saluti necessaria, non meliùs, nec propinquiùs, nec salubriùs perfici possunt, nisi per amorem, per quem suppleri potest omnis necessarii ad salutem indigentia, & in eo habetur omnis boni abundantia, nec deest summi desiderii præsentia. Quippe solus amor est, quô convertimur ad Deum, transformamur in Deum, adhæremus Deo, unimur Deo, ut simus unus spiritus cum eo, & beatificemur hîc in gratia, & ibi in gloria ab eo, & per eum. Amor enim ipse non quiescit, nisi in amato, quod fit, cùm obtinet ipsum possessione plenaria atque pacifica. Nempe amor ipse, qui & charitas, est via Dei ad homines, & via hominis ad Deum, & mansionem Deus habere non potest, ubi charitas non

non est. Si igitur charitatem habemus, Deum habemus, quia Deus charitas est. Proinde nihil amore acutiùs, nihil subtiliùs aut penetrabiliùs, nec quiescit, donec naturaliter totam amabilis penetraverit virtutem & profunditatem ac totalitatem, & unum se vult facere cum amato, & si fieri potest, ut hoc idem ipse sit, quod amatum. Et ita nullum patitur medium inter se & objectum dilectum, quod amat, quod est Deus, sed vehementer tendit in eum, & ideò numquam quiescit, donec omnia transeat, & ad ipsum in ipsum veniat. Est enim amor ipse virtutis unitivæ & transformativæ, transformans amantem in amatum, & econtrà, ut sit unum amatorum in altero, & econversò, in quantùm intimiùs potest. Quod liquet primò, quantum ad vires apprehensivas, qualiter amatum sit in amante, videlicet in quantùm dulciter & delectabiliter revocatur in apprehensione amantis, & è regione, prout scilicet amans nititur singula, quæ ad amatum pertinent, non superficialiter, sed intrinsecùs discerne, & quasi ad interiora ejus ingredi. Sed quantùm ad vires appetitivas & affectivas, amatum dicitur in amante, prout videlicet est in affectuosa ejus complacentia, & in jucun-

da ejus delectatione interiùs radicata, econversò amans est in amato, toto desiderio & conformitate secundùm idem velle & nolle, & in eodem gaudere & tristari, tamquàm idem ipse. Cant. 8. Trahit enim amor (*quia fortis est ut mors dilectio*) amantem extrà se, & collocat eum in amato, faciens ei intimissimè inhærere. Plùs enim est anima, ubi amat, quàm ubi animat, quia sic est in amato secundùm propriam naturam, rationem, & voluntatem, sed in eo, quod animat, tantùm est secundùm quod est forma, quod etiam brutis convenit. Non est ergò aliud, quod nos ab exterioribus sensibilibus intra nos, & exindè in JEsu Christi intima & divina trahit, quàm amor Christi, quàm desiderium dulcedinis Christi, ad sentiendum, percipiendum, & degustandum præsentiam Divinitatis Christi. Non itaquè aliud est, quàm amoris vis, quæ etiam animam de terris ad fastigia cœli celsa perducit. Nec ad summam beatitudinem quis pervenire potest, nisi amore & desiderio provocante. Ipse etiam amor est vita animæ, vestis nuptialis, & perfectio ipsius, in quo omnis lex & Prophetæ, juxta Domini edictum pendet. Unde Apostolus ad Romanos: *Plenitudo legis est dilectio.*

lectio. Et primâ ad Timotheum: *Finis præcepti est charitas.* Rom. 13. 1. Tim. 1.

CAPUT XIII.

Orationis qualitas & utilitas, & quomodo cor sit colligendum intra se.

PRÆTEREA, cùm ad hæc & ad quæcúmque alia bona omninò simus ex nobis insufficientes, nec aliquid de nobis ipsi Domino Deo (à quo solo omne bonum) exhibere possumus, quod non sit priùs suum, solô unò exceptô, quod superest, quemadmodùm ipse per se benedicto suo ore etiam & exemplo nos instruere dignatus est, ut videlicet in omni casu & eventu ad ipsám orationem recurramus, sicut rei, miseri, pauperes, mendici, infirmi, inopes, subditi, servi, & filii, ac totaliter in nobis ipsis desolati, humillima mentis prostratione, in timore & amore, recollectè & compositè, maturo, vero, nudóque affectu erubescentiæ, cum magnitudine desiderii & ardore, nec non in gemitu cordis, & simplicitate & sinceritate mentis, supplicemus & exponamus ipsi plena cum fiducia undique nobis imminentia pericula, ita duntaxat, ut expeditè, securè, & nudè nos ei totaliter

usque ad ultimum fideliter committamus, & offeramus, tamquam verè & per omnia sui, nihil nobis ipsis reservantes, ut impleatur in nobis illud beati Patris Isaac, qui loquitur de hac ipsa oratione, dicens: Tunc erimus unum in Deo, & Dominus Deus erit in nobis omnia in omnibus & solus, quando illa sua perfecta dilectio, quâ prior ille nos dilexit, in nostri quoque cordis transierit affectum. Quod ita fiet, cùm nobis omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, deníque omnis cogitatio nostra, omnéque quod videmus, loquimur, quódque speramus, Deus erit, illáque unitas, quæ nunc est Patris cum Filio, & Filii cum Patre, in nostrum fuerit sensum, mentémque transfusa, ut quemadmodùm ille nos sincera & pura atque indissolubili charitate diligit, nos quóque ei perpetua & inseparabili dilectione jungamur, ita scilicet eidem copulati, ut quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur & oramus, Deus sit. Hæc ergò intentio, hic conatus, & finis spiritualis hominis esse debet, ut imaginem futuræ beatitudinis in hoc corruptibili corpore possidere mereatur, & quodammodò arrham illius cœlestis beatitu-

titudinis & conversationis gloriæ incipiat in hoc sæculo prægustare. Hic inquam finis totius perfectionis est, ut eò usquè extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritualia quotidiè sublimetur, donec omnis conversatio, omnisque voluntas cordis, una & jugis efficiatur oratio. Cúmque ita mens, deposita fæce terrena, ad Deum, in quo solo semper defixa debet esse intentio spiritualis hominis, respiraverit (cui ab illo summo bono vel parva separatio mors præsens, ac perniciosissimus interitus est credendus) præmissáque fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, & illi uni summóque bono tenacissima adhæserit intentione, Apostolicum illud implebit: *Sine intermissione orate*, & *in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione.* Hac enim puritate (si dici potest) sensu mentis absorpto, ac de terreno situ ad spiritualem sive angelicam similitudinem transformato, quidquid in se receperit, quidquid tractaverit, quidquid egerit, purissima atque sincerissima oratio erit. Hæc proindè si continuaveris indisruptè, quemadmodùm usque ab initio disseruimus, erit tibi in tua introversione

1. Thess. 5.

1. Tim. 2.

& recollectione jam facilè ac promptum contemplari ac frui, ſicut vivere in natura.

CAPUT XIV.

Conſcientiæ atteſtatio in omni judicio requirenda eſt.

DEMUM ad ſpiritualem mentis perfectionem, puritatem, & tranquillitatem in Deo conſequendam, non mediocriter ad hoc proficere videtur, ut in omni, quod de nobis dicitur, ſentitur, & agitur, ſemper tacitè ad interiora mentis arcana recurramus, & inibi ab omnibus aliis abſtracti, & intrà nos totaliter recollecti, ſtatuamus nos in cognitionem veritatis ante nos, & utique inveniemus atque videbimus penitùs nihil proficere nobis, ſed plurimùm obeſſe, ſi laudati vel honorati ab extrà fuerimus, & ab intrà in veritatis cognitione de nobis culpabiles & rei exiſtimus. Et ſicut tunc nihil prodeſt, ſi quempiam ab extrà homines laudant, & conſcientia ab intrà accuſat, ita è regione nihil obeſt, ſi ab extrà quis contemptus, vituperatus, & perſecutus fuerit, ab intrà tantùm innocens, irreprehenſibilis, & innoxius exiſtat; imò quàm plurimum ſu-

ſuper hæc cum patientia, & ſilentio, & quiete, non immeritò in Domino gratulari habet, ſiquidem nulla nocebit adverſitas, ubi non dominatur iniquitas. Et ſicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Neque cum hypocritis velimus mercedem & prœmium exſpectare, vel recipere ab hominibus, ſed ſolùm à Domino Deo, non in præſenti, ſed in futuro, non tranſitorio in tempore, ſed in æternitate. Liquet ergò, quòd nec majus aliquid, nec meliùs, quàm ſemper in omni tribulatione & eventu ire ad interiora mentis ſecreta, & ibi invocare ipſum Dominum JEſum Chriſtum, adjutorem in tentationibus & tribulationibus, ac inibi humiliari in confeſſione peccati, & laudare ipſum Deum & Patrem, corripientem & conſolantem, inſuper & omnia & ſingula in ſe vel in aliis, proſpera, ſive adverſa, æquanimiter accipere, expeditè & ſecurè de manu ſuæ infallibilis providentiæ aut diſpoſitionis ordinatæ. Ex quibus ſequitur etiam peccatorum remiſſio, amaritudinis expreſſio, collatio dulcedinis & ſecuritatis, infuſio gratiæ & miſericordiæ, attractio & corroboratio familiaritatis, atque abundans in ipſo conſolatio, firmáque

adhæsio & unio. Sed nec velimus imitari eos, qui per hypocrisim, & more Pharisaico, seipsos cariùs & aliter videri, haberi & apparree ab extrà coram hominibus satagunt, quàm ab intrà in veritate de se didicerunt, quod quidem extremæ dementiæ est, sic videlicet quærere, appetere aut expetere laudem humanam vel gloriam à se vel ab aliis, cùm nihilominùs interiùs repletus sit illecebris & peccatis gravissimis. Et certè, qui post hujusmodi vanissima currit, fugient ab eo prædicta bona, & dedecus incurret. Semper ergò præ oculis tuis habeas mala tua, & inidoneitatem tuam, & cognosce te, ut humiliêris, & tanquam peripsema indignissimum, vilissimum, abjectissimúmque ab omnibus haberi non refugias propter gravissima peccata & maxima mala tua. Qua de re reputa te inter alios, ut scoriam inter aurum, zizaniam inter triticum, paleam inter grana, lupum inter oves, sathan inter filios Dei. Sed nec velis revereri ab aliis, aliísque præferri, imò potiùs toto corde & spiritu fuge virus hujus pestilentiæ, venenum laudis, reputationem jactantiæ & ostentationis, ne videlicet juxta Prophetam
Psalm.9. laudetur *Peccator in desideriis animæ suæ.*
Isaiæ 3. Et Isaiæ tertio; *Qui beatum te dicunt, ipsi*

te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Et Dominus Lucæ sexto: *Væ, cùm benedixerint vobis homines.* Luc. 6.

CAPUT XV.

Contemptus sui, qualiter causetur in homine, & quàm utilis sit.

PROINDE quantò quis vilitatis suæ Cognitor est, tantò plùs & limpidiùs divinæ Majestatis est Inspector, & quantò aliquis propter Deum veritatem, & justitiam sibi ipsi in oculis suis est vilior, tantò in oculis Dei est pretiosior. Quapropter studeamus toto desiderii conatu nos vilissimos reputare, & credere indignos omni beneficio, nobis displicere, soli Deo placere, ab aliis indignissimi & vilissimi reputari, insuper super tribulationibus, afflictionibus, & injuriis non moveri, nec super hujusmodi inferentes conturbari, nec cogitationibus contrà eos involvi, vel indignari, sed æquo animo credere velis, te cunctis injuriis, vilipensionibus, flagellis, & derelictionibus esse dignum. Nam reverà, qui verè secundùm Deum pœnitet & luget, ille ab omnibus honorari ac diligi abhorret, nec subterfugit nec renuit se quodammodò odiri,

conculcari, deſpici, uſque in finem, ut verè humilietur, & puro corde ſoli Domino Deo ſincerè adhæreat. Verùmtamen ad Dominum Deum ſolùm diligendum, & ſeipſum ſuper omnia abhorrendum, & ab aliis appetere vilipendi, non requiritur labor extrinſecùs, nec corporis valetudo, ſed potiùs ſolitudo corporis, labor cordis, & quies mentis, ut ſcilicet labore cordis, & affectione mentis intimæ ſurgat, & corporaliter ſe ab illis infimis evellat, & ſic ad cœleſtia & divina ſurgat & aſcendat. Nempè hoc facientes, mutamus nos in Deum, & præcipuè tunc fit, quando ex corde eligimus, ſine judicio, damnatione & contemptu proximi, nos ut peripſema & opprobrium ab omnibus æſtimari, imò ab omnibus tanquam lutum fœdum abhorreri, quàm quibuscúmque deliciis abundare, vel ab hominibus honorari aut elevari, ſeu qualicúmque corporali & tranſitoria ſoſpitate vel commodo perfrui, nec aliam præſentis hujus mortalitatis & corporalis vitæ conſolationem deſiderare, quàm noſtras offenſiones, culpas, & peccata ſine intermiſſione lugere, deplangere, & plorare, perfectè nos vilipendere & annihilare, & de die in diem ab aliis ma-

gisque

gísque viliores haberi, & in omni vilitate indigni in noſtris oculis quotidiè fieri, ut ſoli Deo placeamus, eúmque ſolùm diligamus, ſícque ei adhæreamus, nec circà aliquid velimus affici, niſi ſolùm circà ipſum Dominum JEſum Chriſtum, qui ſolus jaceat in noſtro affectu, nec de ullo ſollicitari & curare, niſi de ipſo, in cujus ditione & providentia univerſa & ſingula currunt & ſubſiſtunt. Non ergò tuum erit amodò deliciari, ſed verè toto corde lugere. Quamobrem, ſi non luges, propter hoc luge, ſi verò luges, propter hoc magìs lamentare, quia doloris cauſam tibi ſuperinduxiſti propter tuas offenſiones maximas & peccata infinita. Sicut ergò non ſollicitudinem gerit ſuper ſpiculatorum diſpoſitionem, qui ſententiam ſuſcipit condemnatus, ſic qui lamentatur, & efficaciter luget, neque deliciis, neque iræ, aut gloriæ, vel indignationi, vel hujusmodi aliquandò attendat. Et ſicut alia civium, alia ſunt damnatorum habitacula, ita lugentium, & habentium ad pœnam obligantia delicta, ſtatio & inſtitutio ab innoxiis & non obligatis aliena penitùs debet eſſe & remota. Alioquin non eſſet differentia rei obnoxii & innocentis, in compenſatione

ne & satisfactionis pœna, quæ tamen magna erat in prævaricationis culpa, & liberior esset injustitia, quàm innocentia. Omnia ergò abneganda, omnia contemnenda, omnia excutienda & vitanda, ut plena fide bonum luctui pœnitentiæ jaciatur fundamentum. Igitur in veritate JEsum Christum diligens, & post eum lugens, & eum in corde & in corpore portans, in veritate dolorem de suis peccatis & offensionibus habens, in veritate futurum regnum percipere inquirens, nec non in vera fide memoriam tormentorum & judicii æterni possidens, & sui exitûs timorem & memoriam firmiter perfectéque reassumens, non ulteriùs conabitur, nec curabit, nec sollicitus erit de aliquo alio. Propter quod, qui ad beatam impassibilitatem & ad Deum currere festinat, omni die, in qua non maledicitur & contemnitur, se multum damnum arbitretur sustinuisse. Impassibilitas autẽ est, à vitiis & passionibus libertas, cordis munditia, & virtutum ornatus. Æstima igitur te jam mortuum, quem non ambigis de necessitate moriturum. Et postremum argumentum omnium cogitationum, locutionum, operum tuorum, an secundùm Deum sint, sit tibi indicium

hoc

hoc, videlicet si his magìs humilis, & intrà te, & in Deo plùs recollectus & confortatus fueris. Si autem aliter in te repereris, suspectum tibi sit, ne non sit secundùm Deum, nec sibi acceptum, nec tibi proficuum.

CAPUT XVI.

Providentia Dei, qualiter ad omnia se extendat.

VERUMTAMEN, ut juxtà præfata sine impedimento, expeditè, securè & nudè in Dominum Deum nostrum liberè & tranquillè feramur, conjungamur & uniamur, eique firmiter adhæreamus, æquanimiter in prosperis & adversis, in vita sive in morte, opus est, ut cuncta & singula indiscussæ suæ infallibili providentiæ indubiè committamus & certissimè. Nec mirum, cùm ipse solus sit, qui omnibus dat esse, posse, & operari, id est, substantiam, virtutem, & operationem, speciem, modum, & ordinem in numero, pondere, & mensura. Præsertim, cùm sicut opus artis præsupponit opus naturæ, ita opus naturæ præsupponit opus Dei creantis, conservantis, ordinantis, & administrantis, eò, quòd ipsius solius sit infinita potentia,

tia, ſapientia, bonitas, & eſſentialis miſericordia, juſtitia, & veritas, charitáſque, immutabilis æternitas & immenſitas. Nulla ergò res poteſt propria virtute ſubſiſtere, nec agere, niſi agat in virtute ipſius Dei, ſcilicet primi moventis, primi principii, qui eſt cauſa omnis actionis, & operatur in omni agente. Quippè, quantùm ad rationem ordinis pertinet, Deus immediatè omnibus providet, & uſque ad ultima ſingularia. Nihil igitur à maximo uſque ad minimum ſempiternam Dei providentiam effugit, nec declinat etiam, ſive in naturalibus, ſive in voluntariis, ſive in caſualibus, ſive in fortuitis, nec de ſe intentis. Sed nec aliquid Deus facere poteſt, quin ſub ordinem ſuæ providentiæ cadat, ſicut non poteſt facere aliquid, quod ejus operationi non ſubdatur. Extendit igitur ſe providentia divina ad omnia & ſingula, etiam uſque ad hominum cogitata. Qua de re Scriptura, juxta

1. Petr. 5. illud primæ Petri 5. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Et rursùm Prophe-

Pſal. 54. ta: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Et Eccleſiaſtici ſecun-

Eccli. 2. do: *Reſpicite filii hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus*

eſt,

est, permansit in mandatis ejus, & derelictus est. Et Dominus ait: *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus?* Quidquid ergò, & quantumcúmque magnum à Deo sperare possumus, erimus sine dubio accepturi, secundùm illud Deuteronomii: *Omnem locum, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Quia quantumcúmque desiderare quis potuerit, tantùm est accepturus, & quatenùs fiduciæ pedem porrexerit, eatenùs possidebit. Unde Bernardus: *Auctor omnium Deus tantæ abundat visceribus pietatis, ut ad quantumcúmque gratiam fiduciæ sinum extendere poterimus, tantùm erimns sine dubio accepturi.* Unde Marci 11. *Quæcúmque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Porrò quantò hæc fiducia in Deum fortior est & instantior, & quantò in Deo cum humilitate & reverentia se violentiûs erigit, tantò securiùs, & abundantiùs, & citiùs, quod sperabat, impetrabit ac obtinebit. At verò, si inter hæc propter multitudinem & magnitudinem peccatorum fiducia in Deum se erigere tependo retardat, animadvertat, qui hujusmodi est, quòd omnia possibilia sunt apud Deum, & quod vult, necesse est quòd fiat, & quòd

Matth. 6.

Deut. 11.

Marc. 11.

quod non vult, impossibile est ut fiat, & quòd tam facilè est ei, tam innumerabilia peccata, quantumcúmque enormia remittere & delere, sicut unum peccatum. Et sicut peccator non potest, quantùm in se est, ab innumerabilibus peccatis surgere, & se ab eis excutere & absolvere, sic nec ab uno peccato. Non enim possumus non solùm facere, sed nec cogitare bonum à nobis, quasi ex nobis, sed hoc ex Deo est. Attamen utique multò periculosiùs est, pluribus irretitum esse peccatis, cæteris paribus, quàm uno solo, quia nullum malum impunitum, & cuique peccato mortali debetur infinita pœna; & hoc de rigore justitiæ, eò quòd quodlibet tale peccatum sit contrâ Deum, qui est actu infinitæ reverentiæ, dignitatis, & honorificentiæ. Præterea, secundùm Apostolum scit Dominus qui sunt ejus, & impossibile est aliquem illorum perire inter quoscúmque anfractus & fluctus errorum, scandalorum, schismatum, persecutionum, discordiarum, hæresum, tribulationum, adversitatum, atque tentationum qualiumcúmque, eò quòd numerus electorum suorum, & terminus merito-

2. Cor. 3.

rum

rum ſit æternaliter & immutabiliter ab eo prævisus, in tantùm, ut etiam omnia bona & mala, propria & aliena, proſpera & adverſa eis coopeentur in bonum, niſi fortè in hoc, quòd glorioſiores & probatiores appareant in adverſis. Securè ergò & expeditè cuncta, & ſingula committamus, plena cum fiducia, divinæ providentiæ, quæ idcircò permittit mala qualiacúmque, qualitercúmque fieri, & bonum eſt, & benè fit, ut ſinat ea fieri, nec fierent, niſi permitteret ea fieri, nec aliter, nec plùs fieri poſſunt, niſi in quantùm permittit, quia ſcit, poteſt, & vult ea in meliùs convertere & diſponere. Sicut enim ejus operatione omnia bona fiunt, ſic ejus permiſſione omnia mala, bona fiunt, ut certè ex hoc appareat ejus potentia, ſapientia, clementia per reparatorem Chriſtum, miſericordia & juſtitia, virtus gratiæ, & defectus naturæ, pulchritudo univerſi comparatione oppoſitorum, laus bonorum, reproborum malitia atque pœna. Similiter in peccatore converſo contritio, confeſſio, & pœnitentia, manſuetudo Dei, pietas,

& charitas, laúſque ejus, & bonitas. Non tamen eis ſemper cedit in bonum, qui malè agunt, ſed ut communiter in periculum magnum, & maximum malum, privationis ſcilicet gratiæ & gloriæ, & incurſionis culpæ & pœnæ, nonnumquam etiam æternæ, à qua nos cuſtodiat JESUS CHRISTUS. Amen.


O. A. M. D. G.





INDEX
Capitum hujus Libelli.







Errata notabilia benevolus Lector ſic corrigat.

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
2	5	ſno.	ſuo.
19	27	ſuammet.	ſuummet.
28	4	ſno.	ſuo.
35	4	omplacuit.	complacuit.
52	1	verum falſum.	verum & falſum.
57	10	quæ.	quâ.
69	23	Clementis.	Elementis.
81	3	et.	eſt.
88	21	Ediſcito.	Edicito.
95	14	au.	ad.
140	20	ordinatum.	inordinatum.
144	16	Denorem.	Honorem.
145	1	Imperium.	Impium.
151	13	in infiniti.	infiniti.
153	31	non.	nam.
159	6	hora.	ora.
163	16	hominem.	hominum.
165	25	quarumlibet.	quorumlibet.
173	11	tribui.	tribuit.
195	25	Exercitium.	Exercitum.
203	1	ad.	ab.
239	17	Largitor.	Largitori.
169	30	foriis.	forîs.

Reliquos errores leviuſculos Typographiæ Diſcretioni benigni Lectoris remittimus corrigendos.

